

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841102-p0001-4

Nab. 5.
4.

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS SEPTIMVS

DENUO EDIDIT
NOTAS PASSIM ADIECIT
ATQVE
PECVLIARI DISSERTATIONE
ADAVXIT

IO. FRIDERICUS COTTA

THEOLOGUS TUBINGENSIS



TUBINGAE
SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE
M D CC LXVIII.

ŒN.PR.FR.
UNIVERS.
ZVHALIE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841102-p0006-2



PRAEFATIO EDITORIS.

Lectoris benevoli manibus committimus Gerhardiani Operis *tomum septimum*, eo solo etiam argumento omnibus theologiæ cultoribus inprimis commendabilem, quod gravissimam doctrinam, quæ veri animorum nostrorum gaudii ac solatii fons est, *de Iustificatione* complectitur, cuius dignitatem & momentum nervosissimis effatis testati sunt pii confessores nostri, intime convicti, in ea stabilienda & propugnanda Dei & salutis nostræ caussam versari, sine cuius iactura ne latum quidem unguem a simplicissima veritate in verbo Dei tradita recedi possit. LVTHERO dicitur *articulus stantis et cadentis ecclesiæ*. Aliis *christianorum* audit *peculium et christianismi basis*, itemque *præcipuum religionis christianæ propugnaculum, quo adulterato vel subverso impossibile sit, puritatem doctrinæ in aliis locis retinere*. Verissime hinc pronunciavit PHIL. MELANCHTHON, *doctrinam de iustificatione ecclesiam Dei a cæteris gentibus, Iudæis, Mu-*

hammedanis & Pelagianis discernere (*). Quemadmodum enim religionis christianæ caput & veluti centrum est propitiatio Iesu Christi sanguine facta, cui iustificatio nostra per fidem tota innititur; ita summa naturalismi, in quem omnes Gentilium, Iudæorum, Muhammedanorum, quin & Pelagianorum aliorumque errores vel tandem abeunt, in eo cernitur, quod expiationem peccatorum nostrorum per sanguinem servatoris vel negent plane, vel certe illius pretio ac virtuti plurimum detrahant. Quibus rationibus adductus b. GERHARDUS, in ardua hac doctrina tam copiose quam solide exponenda præclaram operam posuit, cumque animadverteret, esse plurimos, qui quidem satisfactionem meritumque Christi admittant, nihilo tamen minus iustificationem nostram non tam fidei, quam bonis operibus tribuant, quod in ecclesia maxime Romana & olim factum esse, & hodienum fieri constat, contra hos quoque calamum direxit, atque ROB. BELLARMINUM, patrem purpuratum, ecclesiæ suæ placita acriter tuentem, solide & erudite in hoc libro confutavit. Licet, quidquid hac de re dici poterat, exhaustisse videatur vir laudatissimus, loco tamen non alieno positas a nobis fuisse existimamus *notas breviores*, sacræ scripturæ dicta ad thesin probandam a b. GERHARDO adducta partim illustrantes & probandi argumenta subinde stringentes; partim quædam historiæ ecclesiasticæ momenta in textu obvia emendantes & supplentes; partim denique varia ex historiæ litterariæ campo non inutiliter, ut speramus, decerpta exhibentes. Quo copiosius autem in BELLARMINO confutando versatus est b. GERHARDUS, eo breviori manu cum SOCINI sectatoribus pugnavit. Quæ enim *cap. II. §. XXXV - LIII.* occurrunt, non ita sunt com-

(*) in loco *de iustificatione p. m. 215.*

comparata, ut de systemate Socinianorum in loco de iustificatione plene informari lector, & contra horum veritatis hostium insultus rite armari possit. Atque eum in finem placuit tomo huic adiungere *supplementum*, in quo controversiæ de iustificatione cum Socinianis agitatæ in suo nexu systematico traduntur, sobrie diiudicantur, & veritates divinæ non minus vindicantur, quam rationes adversariorum fallaces evertuntur. Consilium prius ceperamus addendarum adhuc dissertationum suppletoriarum: *unius*, ARMINII adsecłis, itemque theologis quibusdam Anglis, speciatim GEORGIO BULLO oppositæ; *alterius* vero contra eos directæ, qui studio minuendarum controversiarum ducti existimarunt, non tantam dissidii inter protestantes atque ecclesiæ Romanæ socios heic esse materiam, remque omnem ad inanes logomachias referre non dubitarunt. At nolumus iam, neque otio nobis suppetente, libri molem absque necessitate augere, fidem facientes, si Deus vitam viresque concesserit, ut dissertationes modo memoratæ in *tomo supplementorum*, opere integro ad finem perducto, compareant. Certe nos omni hucusque pietate & cura in perficiendo opere Gerhardiano versatos fuisse, conscientiæ sensu læti testamur, atque ad ulteriorem in hoc tramite decursum suffragiis etiam theologorum primi ordinis excitamur, quorum tanta apud nos esse debet auctoritas, ut severiores atque iniquiores censuras omnes eo facilius ferre possimus. Licet huius generis pauciſſimas serimus experti, &, quo theologos omnes inprimis animatos esse decet, pacis studio mirifice teneamur, silentio tamen præterire non possumus ea, quæ doctissimus censor Berolinensis (*) (utinam veritati ipsius rei & moderationi theologicæ conformius!) ad-

(*) in *der allgemeinen deutschen Bibliothek V. B. II. St. p. 248.*

versus nos monere consultum duxit. Ac primo quidem graviter fert, quod *Gerhardiani* libri, iam antea, ipso iudice, nimis prolixi ac diffusi, molem notarum nostrarum accessione, supervacanea prorsus opera, adaugeamus. Qui theologiæ amplissimum campum & tot opinionum commenta recentioribus non minus quam antiquioribus seculis nata atque nutrita considerat, rationem profecto non facile inveniet conquerendi de systematis theologici amplitudine, quod integrum & completum esse nequit, nisi ea omnia contineat, quæ theologiæ cultoribus non modo scitu sunt necessaria, sed & diversimode utilia, quin levia quoque ac frivola iudicantur, modo aliquando in ecclesia Dei fuerint agitata, ut eorum cognitionem saltim historicam adquirere possit, sanumque iudicium de his ferre discat, qui ad eruditionem theologicam maiorem & ampliorem adspirat. Quod de notis nostris & dissertationibus adiectis potissimum tenendum est, quas eam ob rationem acrius perfricat censor noster, quod minutiis oblivioni tradendis, quæstionibus inutilibus & scholasticis, v. g. *de massa, e qua formata sit Christi caro, eiusque purificatione*, itemque, *num unica gutta sanguinis Christi ad redemtionem totius generis humani sufficiens fuisset?* indulgeamus nimis, iuvenumque, ignorantia hac feliciorum, ingenia rebus fructu omni vacuis distendamus. Lubenter quidem ipsi concedimus, huiusmodi quæstiones in numerum curiosarum magis quam utilium referendas esse, & optandum veri nominis theologo, ut tenebris æternis sepultæ, neque unquam luci expositæ & controversiis nobilitatæ fuissent. Sed theologum scientiæ amplioris indigum & cupidum æque dedecet earundem ignorantia, ac tot hæresium prisco iam ævo natarum, quæ vero recentiori tempore revocatæ multam ac difficilem eruditorum investigationem necessitatis quadam lege reddiderunt.

Certe

Certe, quid de opinionibus hisce singularibus statuendum sit, sciant necesse est sacrarum litterarum studiosi; ea, quæ ad religionis nostræ fundamentum pertinent, ab accessoriis solicite discernere; undique prospicere & mature cavere discant, ne quid respublica christiana ab humanis commentis primo occursu neglectis detrimenti capiat. Quod quidem ad *primam* quæstionem superius commemoratam, atque a nobis *tom. IV. loc. theolog.* GERHARDI, *§. CIII. p.* 350. occasione argumenti de peccato originali expositam attinet, non potest ea fine insigni vel ignorantiæ vel incuriæ culpa negligi ab eo, qui quæstioni satisfacere studet: qua ratione fieri potuerit, ut *Christus ab Adamo lapso proprie et naturaliter descendens, peccati labe vitiatus non esset*, quæ totam huius progeniem in ipso iam capite & communi parente infecerit? Neque est theologorum nostrorum, qui nihil heic senserit difficultatis (*), quæ omnino tolli debet, & sciri etiam, quæstionem hanc theologorum ingenia olim plurimum exercuisse. Utriusque rei nos, quantum satis est, curam habuisse, ipsæ *notæ*, quas *loc. cit.* subiunximus, declarare poterunt. Ex *altera* quæstione, quæ in *differt. IIItia tomo IV.* GERHARDI præfixa, §. XXIX. & XXX. p. 100. occurrit, eo durius & iniquius a censore nostro de nobis iudicium ferri, ultro agnoscent intelligentes & ab omni partium studio alieni rerum arbitri, quo clarius perspicient, locum ipsum evolventes, quæstionem illam

(*) Hinc non tantum antiquiores, sed & recentiores magni nominis theologi quæstionem istam *de massa, e qua caro Christi fuit formata*, in scriptis suis theologicis subinde pertractarunt. Sufficiat ex iis heic nominasse b. BUDDEUM in *institut. theolog. dogmat. p. 1019.* seqq. & b. canc. PFAFFIUM in *institut. theolog. dogm. & moralis p. 345.* edit. primæ, qui tamen *p. 343.* recte observat, vel ex huius saltim controversiæ, quæ theologos plurimum vexat, exemplo patere, qui simplicitate fidei relicta, spinosis iisque ad pietatem animis ingenerandam, vel veritatem divinam illustrandam parum facientibus quæstionibus heic subinde indulgeatur.

illam pro exiguo rei momento a nobis tactam modo ac delibatam (*), quin inter scholasticas & accessorias ita relatam fuisse, ut illius decisione simul ostenderemus, de verbis magis quam de re ipsa heic moveri litem, & suo sensu vel adfirmantium vel negantium partes sustineri posse. Num ita minutiarum sectatores operam perdimus? num iuvenum ingen... corrumpimus? num *spiritu diiudicationis* destituimur? Utinam vero in suo de nobis iudicio, tam veritatis amore, quam falsæ & odiosæ imputationis horrore, documentum aliquod exhibuisset censor noster, se spiritu eo imbutum, aliisque, quos male habet, exemplo esse! At reponimus heic calamum in spiritu pacis & caritatis, de siniſtris eiusmodi iudiciis acriorum in republica litteraria censorum minus soliciti, & prorsus confisi, fore, ut æquiores lectores operam nostram, sequentibus tomis *locorum theol.* GERHARDI absque omni temporis iactura impendendam, suis dignari suffragiis, nosque ipsos sibi optime commendatos habere pergant.

Dab. Tubingæ die XXVIII. Martii A. O. R. MDCCLXVIII.

(*) Copiosius tamen eandem discussit vir summus, SIG. JAC. BAUMGARTENIUS in *der Untersuchung theologischer Streitigkeiten, tom. II. part. II. art. VI. p. 283 284.* licet & ipse eandem inter quæstiones accessorias retulerit.



LOCUS

LOCUS XVII.
DE
JVSTIFICATIONE PER FIDEM.

PROOEMIUM.

Connexio cum loco præcedente.

§. I.

Doctrinam *de pœnitentia* convenienti ordine sequitur articulus de *justificatione* (*). Hominis enim peccatori in seriis conscientiæ angoribus constituto proponenda est evangelica de Christi beneficiis promissio, quam vera fide amplexus coram Deo justificetur, & ex syrtibus desperationis erutus ad portum salutis æternæ provehatur. Neve carnales homines doctrina de gratuita nostri coram Deo propter Christum justificatione ad securitatem & concupiscentiarum indulgentiam abutantur, ideo præmittitur locus de pœnitentia, absque qua Christi beneficia ac Deo placens justitia in nobis locum non habent. Proinde utrumque indissolubili fœdere conjungitur, *prædicare in Christi nomine pœnitentiam*, &

(*) Calviniani 1.) errant in articulo prædestinationis; ergo & in articulo justificationis, quia justificatio est prædestinationis exsecutio. 2.) Errant circa definitum, definitionem, causam efficientem principalem, instrumentalem & objectum justificationis. a.) Circa *definitum*, quia justificationem a salvatione realiter distinguunt. Joh. Piscator libr. II. de justif. cap. 3. cui suffragantur Neo-Marpurgenses. b.) Circa *definitionem*, quia implicite justificationem *primam* & *secundam* statuunt, dum adserunt, infantes non eo modo justificari, quo adulti. Colloquium Monp. pag. 49. 495. Beza resp. II. ad act. colloq. pag. 97. Piscator ad dict. Hoffm. p. 84. Justificari infantes fide aliena. c.) Circa causam *efficientem principalem*: α.) dum Christi satisfactionem non omnimode fuisse necessariam statuunt. Calvinus II. instit. cap. 17. §. 1. Musculus de justif. pag. 267. quod & Scholastici docuerunt. β.) Meritum Christi mutilando, partim ratione meriti, partim ratione ejusdem objecti. Ratione *meriti*, docendo, Christum non totali, id est, activa & passiva obedientia satisfeciisse. Ratione *objecti*, docendo, Christum non pro toto mundo, sed pro solis electis fuisse mortuum. d.) Circa causam *instrumentalem* duplicem, α.) Verbum & sacramenta: β.) fidem. Verbi & sacramentorum virtutem annihilant, rationi plus tribuunt. Fidem tollunt per absolutum decretum. &c. e.) Circa *objectum*, dum gentilibus salutem adscribunt. GERHARDUS.

& prædicare in ejusdem nomine *remissionem peccatorum* Luc. XXIV. 47. Adde, quod veræ in Christum fidei, quæ pœnitentiæ pars est facile primaria, nostra coram Deo justificatio disertis scripturæ verbis transscribatur. Rom. III. 28. *Statuimus, fide justificari hominem absque operibus legis.* Rom. IV. 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.*

Dignitas & utilitas hujus loci.

§. II. Maxima utique hujus articuli dignitas est cum pari utilitate & necessitate conjuncta (*), siquidem pia & sincera ejus tractatio debitum honorem Christo adserit, firmam consolationem territis conscientiis ostendit, discrimen legis & evangelii communit, πληροφορίαν fidei in vera ac Deo grata invocatione necessariam excitat, & ad serium bonorum operum studium animos piorum inflammat (**). Quod igitur de remissione peccatorum Augustinus dicit in enchiridio ad Laur. c. 64. *Per hanc stat ecclesia, quae in terris est, per hanc non perit, quod perierat & inventum est;* idem de justificatione pronunciare possumus, quippe quæ in peccatorum remissione consistit. Rom. IV. 7. Unde graviter scribit Chemnitius part. II. loc. theol. loc. de justif. in princ. *Hic locus est tanquam arx & praecipuum propugnaculum totius doctrinae & religionis christianae, quo vel obscurato, vel adulterato, vel subverso, impossibile est puritatem doctrinae in aliis locis retinere; salvo autem hoc loco corruunt per se omnes idolomaniae, superstitiones, & quicquid est corruptelarum in omnibus fere aliis locis.* Desumsit hoc ex Luthero, qui in explicatione Ps. CXVII. tom. V. Germ. Jen. f. 159. sic commentatur: *Modo unicum istud doctrinae christianae caput conservetur sanum & integrum, ecclesia manet concors & pura absque dissensionibus & sectis, quia hoc unicum & nihil quicquam praeter illud constituit & conservat Christi ecclesiam.* Vide locum integrum ut & tom. I. Isleb. f. 18. tom. IV. Lat. Jen. f. 3. (***) Idem in comment. epist. ad Galat. fol. 10. *Facente articulo justificationis, jacent omnia, itaque summe necessarium est, ut eum perpetuo inculcemus & acuamus, quemadmodum Moses de sua lege dicit; nam satis vel nimium non potest inculcari & urgeri.* In cap. XXI. Gen. *Hic est summus fidei articulus, quem si tollas vel depraves, neque ecclesia consistere potest, neque Deus retinere potest suam gloriam, quae est, quod sit misericors, & quod propter Filium condonare peccata ac salvare velit.*

Ἐτυμολογία & significatio vocabuli justificationis.

§. III. Auspicabimur ab explicatione vocabuli, quæ ad ipsius rei cognitionem nos deducit (*). הִצְדִּיק in hiphil, *justificavit, justum*

(*) Apologia conf. Augustanæ p. 60. commendat articulum de justificatione a dignitate & summa utilitate ac necessitate, ad quem locum provocat formula conc. art. III. §. *Cum autem.* GERHARDUS.

(**) Doctrina de justificatione vocatur *admirabilis justitia*; Psalm. LXV. 6. quia modum ejus invenit is, qui Esaj. IX. 6. vocatur *admirabilis*, quique res suas in ecclesia maxime instituit & deducit præter & contra omnem rationis humanæ ordinem. Luc. I. 17. vocatur eadem φρόνησις τῶν δικαίων, ut ostendatur, nos tum demum recte sapere in spiritualibus, quando articuli hujus doctrinam probe cognitam habemus. Psalm. XXV. 14. vocatur *secretum Domini.* GERHARDUS.

(***) Idem in præfat. epist. ad Gal. *In corde meo iste unus regnat articulus, scilicet fides Christi, ex quo, per quem & in quem omnes meae diu noctuque fluunt & refluunt theologicae cogitationes. Nec tamen comprehendisse me experior de tantae altitudinis, latitudinis, profunditatis sapientia, nisi infirmas & pauperes quasdam primitias & veluti fragmenta.* Ibidem: *Hoc articulo jacente & pereunte jacet & perit simul tota cognitio veritatis, eo vero florente florent omnia, bona religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium statuum & rerum.* Quidam veterum locum de justificatione *clavem auream* vocavit, quæ si integra retineatur, portam cœli reserare; si vero adulterata fuerit, non cœli, sed inferni portas reserare dicitur. GERHARDUS.

(*) Nomen *justificationis* a profanis scriptoribus Latinis usurpatum non legi testatur Cotterus in enchir.

ſtum pronunciavit, juſtitiam imputavit, accuſatum abſolvit & juſtum pronunciavit. LXX. reddiderunt δικαιᾶν, δικαιοῦσθαι, δίκαιον κρίνειν. Gen. XLIV. 16. *Quid dicemus, & quo juſtificabimur?* כַּה־נִּצְטַדָּק, non eſt, quo nos innocentes eſſe declaremus, ut a reatu furti abſolvamur. Exod. XXIII. 7. *Non juſtificabo impium*, id eſt, non abſolvam a culpa, non dimittam impunitum. Prov. XVII. 15. מַצְדִּיק, *juſtificans impium*, ὃς δίκαιον κρίνει τὸν ἄδικον, *abominatio eſt coram Domino.* Eſa. LIII. 11. *In notitia ſui* יְצַדִּיק צַדִּיק, *juſtificabit juſtus ſervus meus multos.* Ezech. XVI. 51. *Juſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus, quas feciſti*, id eſt, tanta impietate contaminata es, ut ſorores tuæ, ſi tecum conferantur, quodammodo juſtæ & piæ cenſeri queant. Dan. VIII. 14. *Et juſtificabitur ſanctuarium*, id eſt, mundabitur, καθαρισθήσεται, ubi uſurpatur paſſivum נִצְדַּק, Matth. XI. 19. Luc. VII. 35. *Et juſtificata eſt ſapientia*, ἐδικαιώθη ἡ σοφία. Syriace וְאִזְדְּקַרַת, Forſterus in lexico monet, peculiari ſignificandi modo juſtificari ibi accipi pro *corripi*, argui, reprehendi. *Juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, hoc eſt, qui debebant ei tanquam filii obedire ac ſubjici ſapientiæ, eam ut ſapientiores & magiſtri reprehendunt. Hanc ſententiam ſequitur Lutherus in verſione germanica, & Brentius in confeſſ. Würtemb. p. 286. Alii referunt hanc pericopen ad credentes, *juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, hoc eſt, ſi vel maxime increduli ſapientiam evangelii repudient, credentes tamen eam juſtificant, adprobant & recipiunt, quem ſenſum Syriaca paraphraſis exprimit addens copulam ו pro adverſativa: *Sed juſtificata eſt ſapientia &c.* (*) Chryſoſtomus ita interpretatur: *Sapientia divina omnia tentavit, & nihil eorum omiſit, quæ ad converſionem & ſalutem filiorum pertinent*, juſtificata igitur, hoc eſt, abſoluta & excuſata eſt, ita, ut culpa perditionis ſit penes ipſos. Eſt, qui juſtificari hic accipit pro *abſolvi & liberari* ab obligatione, perinde ut uſurpatur Act. XIII. 38. *Remiſſio ab omnibus, a quibus non potuiſtis juſtificari in lege Moſis.* Sapientia ex promiſſione patribus facta quaſi jure quodam obligata erat Judæis, ſed quia illam repudiant, qui debebant eſſe filii ſapientiæ (**), ideo abſoluta eſt ab illo jure ſeu obligatione & libera eſt, ut prædicatione transferatur ad gentes, Luc. VII. 29. Publicani juſtificarunt Deum ἐδικαίωσαν *baptizati a Iohanne*, h. e. pronunciarunt Deum juſtum, tribuerunt ei laudem ſapientiæ & juſtitiæ, peccatorum humili confeſſione & baptiſmi ſuſceptione. In eadem ſignificatione accipitur Pſ. LI. 6. *ut juſtificeris*

enchir. c. 6. p. 227. A Græcis uſurpatur tripliciter: 1.] neutraliter pro *exiſtimare* ſeu *cenſere*: 2.] active pro *ſupplicio adficere* ſeu *punire*: 3.] paſſive, ſed bonam in partem pro *juſtitiam conſequi*. צדק in kal eſt *juſtitiam habere*, in piel *juſtitiam alicui tribuere*, in hiphil *in judicio aliquem abſolvere & juſtum pronunciare*, in hithpaël *ſe ipſum juſtificare & cauſæ ſuæ bonitatem demonſtrare*. In nov. teſt. vix ulla verbi δικαιᾶν ſignificatio dabitur, quæ non alicui ex vet. teſt. indigitatæ correſpondeat. Varinus δικαιᾶν δύο δηλοῖ· τότε κολάζειν καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν. *Duo ſignificat, & punire, & juſtum cenſere.* GERHARDUS.

(*) Auſcultoribus ſuis ſive ſervis Sirac. IV. 12. *filii ſapientiæ* dicuntur illi, qui quærunt & inveſtigant eam. Baſilius in expoſ. Pſalm. VII. pag. 107. τέκνα δὲ σοφίας ὁ κύριος ἅπε τὰς ἐν τῇ ζητήσει μεμορφωμένας, ἐδικαιώθη γάρ, φησὶν, ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Chemnitius p. II. loc. p. 276. *ſapientia eſt juſtificata*, id eſt, *excuſata & abſoluta filiis ſuis.* Ribera in c. XIV. Hoſeæ n. 25. eandem interpretationem ſequitur. Obſerva emphatice addi, ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων. GERHARDUS.

(**) Analogia ſcripturæ oſtendit υἱὸς & τέκνα denominari ab ea re, ad quam pertinent, aut cui ſunt dediti. υἱοὶ ἀπειθείας. Eph. II. 2. υἱοὶ φωτὸς. Joh. XII. 36. υἱὸς γεέννης. Matth. XXIII. 15. υἱοὶ βασιλείας. Matth. VIII. 12. υἱὸς ἀρᾶς. Luc. X. 6. υἱοὶ ἡμέρας. 1 Theſſ. V. 5. &c. τέκνα ἐπαγγελίας. Gal. IV. 28. τέκνα ὀργῆς. Eph. II. 3. τέκνα φωτὸς. Eph. V. 8. τέκνα ὑπακοῆς. 1 Pet. I. 14. GERHARDUS.

ris in sermonibus tuis, id est, ut laus justitiæ tibi tribuatur Luc. X. 29. Juris peritus se ipsum *justificabat*, h. e. laudem justitiæ sibi arrogabat. Eodem modo usurpatur Luc. XVI. 15. Jac. II. 21. *Abraham ex operibus justificatus est*, h. e. justus declaratus. צדק in kal significat *justitiam habere, justum esse* positive. Exempla sunt Psalm. XIX. 10. CXLIII. 2. Job. XI. 20. 1.) In Jobo frequenter usurpatur de justitia *inhaerente*, quæ est novæ obedientiæ seu bonæ conscientiæ Job. XIII. 18. XXXIV. 5. ubi diligenter observare jubet Chemnitius, justitiam illam inhærentem in Jobi historia premi cruce & tentationibus, ne inducat persuasionem pharisaicam. 2.) Nec tantum *neutraliter*, sed semel etiam *active* sumitur pro *juste agere*, Job. XXXIII. 9. & 12. 3.) Semel etiam de justitia fidei. Esa. XLV. 25. 4.) Et pulcerrima est observatio, quod justitia fidei seu evangelica respectu nostri sit in tertia conjugatione, id est *imputativa*, respectu vero mediatoris est in prima conjugatione, id est, *positiva*. Utramque significationem Latini notant terminis *a* vel *coram Domino* & *in Domino*. Si dicimur *justificari a* vel *coram Domino*, tunc est in tertia conjugatione, & significat *nos absolvi* vel *justos pronunciari*. Si vero dicimur *justificari in Domino*, tunc est in prima conjugatione, & significat *nos* positive *justos esse*, sed *in Domino*. 2 Cor. V. 21. 1 Cor. I. 30. צִדֵּק in piel notat *tribuere sibi* vel *alteri justitiam* Jer. III. 11. Job. XXXII. 2. XXXIII. 32. Ezech. XVI. 51. הִצְדִּיק in hiphil significationem habet *forensem*, atque idem est, quod in judicio aliquem *absolvere* & *justum pronunciare*, sive id vere fiat, sive falso, sive de Deo dicatur, sive de creaturis, quemadmodum contrarium הִרְשִׁיעַ *improbificare* seu *maleficare* non est ex bono malum facere, sed malum vel reum aliquem habere, condemnare. הִצְטַדֵּק in hithpaël significat *se ipsum justificare*, δικαιολογίαν *causaeque bonitatem adserere*, & semel tantum usurpatur Gen. XLIV. 16. Sic ergo in nulla conjugatione significat *justitiam infundere*.

Significatio forensis demonstratur.

§. IV. In articulo justificationis hoc verbum habet *forensem* seu *judicialem* significationem, quæ & alias vulgatissima est, quod sequenti confirmatum damus argumento: quodcunque vocabulum notat actum judicialem, & opponitur condemnationi, cujus insuper cognata & æquipollentia sunt judicialia, illud forensem habet significationem. Atqui vocabulo justificationis priora omnia competunt. Ergo etiam posterius haudquaquam ei denegandum. *Minorem* confirmamus:

1.) Quia notat actum judicialem.

I.) notat *actum judicialem*, non solum extra doctrinam justificationis gratuitæ coram Deo, sed etiam in ipso justificationis articulo. Prioris membri exempla passim sunt obvia. Esa. V. 23. *Vae illis, qui justificant impium propter munera* מַצְדִּקֵי δικαιοῦντες justum pronunciantes. Deut. XXV, 1. *Si fuerit causa inter aliquos, & venerint in judicium, judicent eos, justificent justum*, id est, absolvant justam causam habentem, & *condemnent* (הִרְשִׁיעוּ q. d. improbificent) *impium*. 2 Sam. XV. 4. *Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent litem & judicium, & justificem eos*. Psalm. LXXXII. 3. *Iudicate pauperi & pupillo, pauperem & egenum justificate*. Esa. XLIII. 9. *Dent testes suos & justificentur*. Posterioris membri exempla hæc sunt. Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium tuum cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*). Job. IX. 2. *Scio, quod non justificetur homo, comparatus Deo*. v. 3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei unum respondere pro mille*. Luc. XVIII. 14. publicanus se ipsum accusans & precibus a Deo veniam petens, dicitur *justificatus*, id est, absolutus a peccatis *descendisse in domum suam*, ita quoque Lyranus exponit. Si quis obvertat, justificari in Scripturis etiam accipi pro eo, quod est *adprobare, testificari, agnoscere, cele-*

(*) Psalm. CXLIII. 2. non modo fit mentio judicii, sed & forensem significationem in verbo *justificari* evincit consequentia argumentationis Davidicæ. Si *justificare* significaret infundere justitiam, nulla esset in verbis Davidis consequentia, siquidem si Deus cum servo suo maxime intraret in judicium, tamen posset illi Deus justitiam infundere. GERHARDUS.

celebrare, confiteri aut justum, tribuere & arrogare justitiae laudem, proinde non videri significationem hujus vocabuli perpetuo forensem esse, illi respondet Chemnitius part. II. locor. de justif. cap. 6. p. 628. *Justificare in hac significatione tria complecti:* 1.) *adversatum & in judicium deductum absolvere ab intentato crimine, ne judicialiter condemnetur:* 2.) *pro justo censere, pronunciare, recipere & acceptare:* 3.) *ita justificatis tribuere laudem, testimonium & praemia, quae justis & innocentibus debentur.* Proinde ut in omnibus linguis vocabula a specie transferuntur ad genus, ita quoque in hac ipsa justificationis voce contingere, ut γενικῶς in quibusdam scripturae dictis usurpetur pro celebratione, confessione, testimonio & arrogatione justitiae, ut ex allegatis scripturae locis patet. Breviter, vox *justificandi* proprie & in genere est, justum aliquem pronunciare, sive is revera justus sit sive injustus. Ad Deum relatum usurpatur vel *active*, pro eo, quod est a peccatis absolvere & justum pronunciare, vel *passive*, pro eo, quod est Dei justitiam ab aliis agnosci & praedicari.

2.) *Quia opponitur condemnationi.*

§. V. II.) Quia opponitur *condemnationi*, (*) idque itidem non solum extra doctrinam justificationis gratuitae coram Deo, sed etiam in ipso justificationis articulo. Jam vero oppositа sunt sub eodem genere. Prioris membri exempla occurrunt, Deut. XXV. 1. *Si fuerit causa inter aliquos, justificent justum & condemnent improbum:* 1. Reg. VIII. 32. *Judices servos tuos condemnando impium & justificando justum.* Prov. XVII. 15. *Qui justificat impium, & condemnat justum, abominatio uterque est coram Deo.* Matth. XII. 37. *Ex verbis tuis justificaberis*, id est, justus declaraberis, *vel condemnaberis.* Posterioris membri exempla sunt, Rom. V. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem εἰς κατάκριμα, gratia autem ex multis delictis in justificationem εἰς δικαίωμα.* Rom. VIII. 33. & 34. (**) *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est, qui condemnet?* Ut ergo רִשְׁעַ, est improbitatis & impietatis aliquem damnare: ita הִצְדִּיק, est a culpa absolvere & justum pronunciare. *Excipit* Bellarminus libr. II. de justif. c. 3. justificationem recte opponi condemnationi, & tamen non ideo semper esse forense vocabulum, *cum ipsa etiam condemnatio interdum sit actus judicis deputantis ad poenam eum, qui in judicio reus inventus est, interdum autem effectus culpae, quae poenam commeruit, siquidem & Adam nos condemnavit & Deus: sed Adam nos condemnavit non judicando nec modo forensi, sed imprimendo culpam originalem. Deus autem damnavit, judicando: ita Christus, secundus Adam, nos primo justificat delendo peccata, & infundendo gratiam, secundo in die judicii nos justificabit declarando justos.* Resp. Sufficit causae nostrae, quod Bellarminus fatetur, quotiescunque condemnatio describitur tanquam actus Dei, tunc significationem vocis esse forensem. Subsumimus enim: In omnibus illis locis con-

(*) Paucis heic notamus, justificationem in sacris litteris non tantum opponi *condemnationi*, prout ex locis supra a GERHARDO excitatis, imprimis *Rom. VIII. 33, 34.* patet; sed & *peccato imputato*, ea nimirum ratione, ut Deus id nobis haud tribuat eapropter, quod Christo id omnino ὑπὲρ ἡμῶν sit tributum. 2 *Cor. V. 19, 20, 21.* Ex quo loco sequens nectimus ratiocinium: Qua ratione Christus pro nobis factus est peccatum, eadem ratione nos in Christo facti sumus justitia: Atqui Christus peccatum pro nobis factus est non aliter, quam actu forensi: E.

(**) Ex oraculo hocce Paulino luculenter demonstrari potest, vocem *justificationis* habere significationem *forensem* seu judicialem. Omnia enim verba heic occurrentia nihil aliud, quam forensem causam denotant. Argumentum, quod exinde formamus, hoc est: In quacunque actione est *judex*, est *reus* quidam atque *accusatus*, est porro *sponsor* aliquis, ejusque non tantum *satisfactio*, sed & *deprecatio* atque excusati defensio, est denique *sententia* damnationi *contraria*, illa actio non alia, quam *judiciaria* censeri debet. Atqui in justificatione hominis coram Deo &c. Ergo.

demnatio tribuitur Deo tanquam justo judici, & in oppositione dicimur justificari fide in Christum, ergo justificatio in illis dictis habebit significationem forensem. Probandum autem erat Bellarmino, non nude adferendum, quod condemnatio alicubi non sit forense vocabulum. In dicto apostolico Rom. V. nihil subsidii inveniet pro stabilienda illa altera condemnationis significatione, fatetur enim ipsemet, condemnationem eo in loco significare actionem judicis, quæ non potest esse non forensis & judicialis, aliam igitur quærit elabendi rimam, sic scribens: *Quamvis condemnatio & justificatio alicubi significent actionem judicis, ut in illo loco citato, judicium ex uno in condemnationem &c. tamen quando Deus justificat impium, declarando facit justum, quoniam judicium ejus secundum veritatem est.* Resp. Omnino judicium Dei justum est, quando propter imputatam per fidem Christi justitiam hominem justificat, quemadmodum etiam justum fuit ejus judicium, quando propter peccata nostra percussit Filium suum; sed ex eo non debet nec potest inferri, quod per aut propter inhærentem justitiam nos justificet, alias non impius, sed justus justificaretur, cujus contrarium pronunciat apostolus Rom. IV. 5. qua de re postea plura.

3.) *Quia ejus cognata sunt forensia.*

§. VI. III.) Quia totus justificationis actus describitur per *verba forensia*. Exprimitur enim *judicium*: Psalm. CXLIII. 2. *judex*: Joh. V. 27. *tribunal*: Rom. XIV. 10. *reus*: Rom. III. 19. *accusator*: Joh. V. 45. *testis*: Rom. II. 15. *chirographum*: Col. II. 14. *debitum*: Matth. XVIII. 24. *advocatus*: 1 Joh. II. 1. *absolutio* Psalm. XXXII. 1. Lex coram Dei judicio adcusat peccatorem, ut fiat ὑπόδικος, *obnoxius Deo*, Rom. III. 19. conscientia συμμαρτυρεῖ, *testimonio suo comprobat hanc legis accusationem* Rom. II. 15. Cumque per peccatum tota hominis natura & omnia ejus opera sint misere contaminata, ideo nihil invenit, quod judicio Dei opponere possit; lex igitur fulmen maledictionis & condemnationis in hominem peccati convictum vibrat, sed evangelium monstrat Christum mediatorem, qui perfectissima sua obedientia pro debitis peccatorum nostrorum satisfecerit, ad hunc peccator territus & voce legis damnatus vera fide confugit, hanc Christi justitiam judicio Dei & adcusationi legis opponit, ac hujus respectu & imputatione justificatur, hoc est, a sententia damnationis absolvitur & justus pronunciatur. Per hunc judicialem processum describit apostolus justificationis articulum, ut contra Epicuræas & pharisaicas peccati extenuationes eum muniat. Epicuræi opinantur, peccatoris justificationem esse rem valde levem, ideo peccatum non admodum curant. Pharisæi persuasionem propriæ justitiæ induunt, qua coram Deo consistunt, sed quando sub imagine judicialis processus coram tribunali Dei doctrina justificationis proponitur, Epicurææ & pharisaicæ illæ cogitationes facile evanescunt. 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus, qui enim me judicat, Dominus est.* Hæc omnia non nisi in seriis pavoribus & angoribus conscientiæ recte intelliguntur.

4.) *Quia æquipollentia habet judicialia.*

§. VII. IV.) Quia *æquipollentes phrases* itidem sunt *judiciales*. Justificari enim est *non vocari in judicium*: Psalm. CXLIII. 2. *non condemnari*: Joh. III. 18. *non venire in judicium*: Joh. V. 24. *non judicari*: Joh. III. 18. Publicanus descendebat justificatus in domum suam, *absolutus* scilicet *a peccatis*, quorum remissionem seriis gemitibus fuerat precatus, Luc. XVIII. 14. Apostolus Paulus justificare exponit per *imputare justitiam*: Rom. IV. 3. *fidem imputare ad justitiam*; v. 5. *tegere iniquitates, non imputare peccatum*: v. 7. *remittere peccata*: Rom. III. 25. *condonare peccata*, Col. II. 13. Pertinent etiam huc sequentes phrases, *Deo reconciliari*, Rom. V. 10. *justum constitui* v. 19. *benedictionis participem fieri*: Eph. I. 3. *remissionem peccatorum accipere*: Act. X. 43. *salvum fieri* Act. IV. 12. Cumprimis vero elegans hypotyposis justificationis nostræ proponitur in parabola servuli, qui decem millia talentorum Domino suo debens & debiti remissionem & poenæ relaxationem ab ipsius gratia impetrat. Matth. XVIII. 27.

§. VIII.

Dicta veterum, forensem significationem comprobantia.

§. VIII. Veteres scriptores licet quandoque disputationum cursu abrepti de significatione vocabuli ex grammatica compositione judicent, tamen evidentia dictorum scripturæ convicti, præsertim in precibus, meditationibus & soliloquiis, quando processum illum judicialem coram Dei tribunali sibi proponunt, genuinam justificationis significationem deprehendunt. Justinus in dial. cum Tryph. p. 207. *Bonitas & humanitas Dei & immensitas divitiarum ejus pœnitentiam agentem respiscentemque a peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atque justum, quique peccatum non admiserit, habet.* In epist. ad Diognet. p. 386. *In quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quam in solo Filio Dei? (ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ) o dulcem permutationem! o imperveſtigabile artificium! o beneficia exſpectationem omnem ſuperantia! ut iniquitas quidem multorum in juſto uno abſcondatur, juſtitia autem unius faciat, ut multi injuſti pro juſtis habeantur.* Ambroſius in c. III. Rom. *Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide juſtificati ſunt dono Dei.* In c. IV. Rom. *Manifeſte beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nulla ab his pœnitentiae requiſita opera, niſi tantum ut credant.* In cap. VIII. Rom. *Quomodo implebitur in nobis juſtificatio, niſi cum datur remiſſio omnium peccatorum.* Idem ſerm. III. in Pſalm. CXVIII. *Qui dixit peccata ſua, juſtificatur.* (Bellarminus libr. II. de juſtif. c. 13. regerit, *peccati remiſſionem eſſe ipſam juſtitiae infuſionem*, qua de re ſuo loco plura.) Hieronymus libr. I. contr. Pelag. *Tunc juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia.* Auguſtinus libr. de Spiritu & lit. c. 26. *Factores legis juſtificabuntur, id eſt, juſti habebuntur ac deputabuntur.* Libr. XIX. de civ. Dei, cap. 27. *Ipſa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tanta tamen eſt, ut potius peccatorum remiſſione conſtet, quam perfectione virtutum. Teſtis eſt oratio totius civitatis Dei, quae peregrinatur in terris, per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita noſtra!* (Bellarminus excipit libr. II. de juſtif. c. 13. *Non excludi perfectionem virtutis, quo minus ex parte juſtificatio ei tribuatur, cum dicatur juſtitia vera.* Reſp. Juſtitia novæ obedientiæ in renatis eſt vera juſtitia reſpectu juſtitiæ philoſophicæ, quæ non procedit ex fide, nec refertur ad debitum finem; interim tamen non poteſt coram Dei judicio ſubſiſtere, cum ſit imperfecta & immunda, adeo ut ſancti in medio curſu bonorum operum indigeant remiſſione peccatorum.) Idem libr. II. contra Julian. Pelag. *Juſtificatio porro in hac vita ſecundum tria illa confertur: primo lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata; deinde congreſſione cum vitiis, a quorum reatu abſoluti ſumus; tertio dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita noſtra.* In Pſalm. XXXI. *Si juſtificatur impius, ex impio fit juſtus, ſed quomodo? nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur omnia mala, ſi, quod debetur illis operibus, Deus redderet, utique damnaret. Quid ergo fit? non reddit tibi Deus debitam pœnam, ſed indebitam gratiam: debebat vindictam, dat indulgentiam.* Ibidem: *Qui ſunt beati? non in quibus non invenerit Deus peccatum, nam in omnibus invenit, omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non ſint beati, niſi quorum remiſſa ſunt peccata. Hoc ergo apoſtolus ſic commendavit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Idem in Pſalm. XXXIV. *Chriſtus juſtificat impium, quomodo autem juſtificat impium? niſi credentem & confitentem.* In Pſalm. CXVIII. *In via fidei pro non peccatoribus habentur, quibus peccata non imputantur.* Cyrillus in cap. VI. Joh. *Fides ſalutem adſert, & gratia juſtificat, mandata vero legis condemnant magis.* Oecumenius in c. III. Rom. ex veteribus: *Juſtitia Dei eſt juſtificatio ex Deo, abſolutio & liberatio a peccatis, a quibus lex ipſa*

ipsa absoluere non potuit nec voluit. Item: *Quomodo fit justificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo consequimur.* Bernhardus serm. I. de adnunc. b. Mar. col. 106. *Si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur &c. Sic enim arbitratur apostolus, hominem gratis justificari per fidem.* Idem serm. XXIII in Cant. *O solus vere beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Nam quis non habuerit peccatum? Nemo, omnes enim peccaverant, & omnes egent gloria Dei. Quis adcusabit tamen electos Dei? sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi.* Et postea: *Non peccare Dei justitia est, hominis justitia Dei indulgentia.* (Bellarminus l. d. regerit, *nunquam remitti culpam, quin simul infundatur justitia.* Resp. sit sane; interim ex eo non sequitur, quod infusio justitiæ, hoc est, renovatio interior sit *formaliter* ipsa peccati remissio, sed est ejus consequens, ut ex sequentibus erit manifestum.) Idem epist. 190. *Ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum, & quid ipsa, nisi justificatio?* Glossa in c. VIII. Rom. *Justificavit scilicet remissione peccatorum.* Gerson passim præcipit, *ut peccator provocet a throno justitiae ad thronum misericordiae divinae.* Lombardus III. sent. dist. 19. §. 1. *A diabolo & a morte per Christi mortem liberati sumus, quia, ut ait apostolus, in sanguine ipsius justificati sumus, & in eo, quod sumus justificati, id est, a peccatis soluti, a diabolo sumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat.* Et postea: *Dicimur quoque & aliter per mortem Christi justificari, quia per fidem mortis ejus a peccatis mundamur. Unde apostolus: justitia Dei est per fidem Jesu Christi.* Item; *Quem Deus proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, id est, per fidem passionis, ut olim adspicientes in serpentem aeneum in ligno erectum a morsibus serpentum sanabantur. Si ergo recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diabolo solvimur, id est, a peccatis.* Agnoscunt hoc quidam ex ipsis adversariis. Sic enim Pineda in c. IV. Jobi. *Justificare significans justum declarare, est verbum forense.* Rom. VIII. *Deus est, qui justificat impium, quis condemnet?* Vega libr. V. de justific. c. 3. *Aliquando justificari idem est, quod pronunciari justum, ut Rom. VI. ubi dicit*, eum qui mortuus est peccatis, per baptismum justificatum esse a peccatis, *quod est absolutum esse, vocabulum forense.* Toletus in c. II. Rom. hanc *significationem in scripturis* dicit *esse frequentissimam.* Tilet. in confut. Antverpiensis confessionis in c. de justif. fatetur, *verbum justificandi plerumque significare absolvere, non autem infusis novis qualitatibus re ipsa justum facere, quod addit* ex c. V. Rom. *manifestum fieri: quod apud Paulum significat re ipsa justum facere*, de eo paulo post videbimus. Alph. Salmeron tom. III. comm. p. 342 agnoscit præter primam & secundam (quam alii pontificii statuunt) esse *tertiam justificationem, cum quis sententia judicis absolvitur, & pronunciatur justus*, sed addit, *quod non nisi post hanc vitam justis contingat.* (imo vero cum in hac vita detur peccatorum remissio, utique etiam illa justificatio sive absolutio.) Ipse Bellarminus sui oblitus libr. I. de pœnit. c. 10. §. Promissionem: *Quid est remissio peccatorum nisi justificatio?* libr. I. de sacramentis. c. 9. §. Solum: *Habet analogiam exterior absolutio, quae ore pronunciatur* (in sacramento pœnitentiæ) *cum interna justificatione, quae a Deo efficitur.* (Atqui minister absolvens non infundit justitiam, sed forensi significatione justificat, hoc est, absolutum pronunciat pœnitentem. Ergo ut sibi constet analogia, etiam interior justificatio, quæ efficitur a Deo, in absolutione a peccatis sive in remissione peccatorum consistet.)

Adsensus quorundam adversariorum.

§. IX. His non obstantibus Pontificii justificare exponunt per τὸ infundere justitiam. Censura Colon. fol. 157. *Mirum est, cum Monhemius grammaticen & Aristotelem profiteatur, non potuisse ex utraque scientia justificationis etymon aut ve-*

Antithesis: Justificationem sumi pro infusione justitiæ.

veram significationem deprehendere, ut ad hebraismum confugiendum fuerit. Costerus in ench. p. 257. *Justificare est justum facere seu justitiam dare, sicut calefacere est calidum facere seu calorem dare.* (*) Nobis res erit cum Bellarmino, is libr. I. de justif. c. 1 scribit: *Justificationis nomen in sacris literis multis modis accipi: 1.) Pro ipsa lege, quae justitiam docet:* Psalm. CXIX. 8. Justificationes tuas custodiam. 2.) *Pro acquisitione justitiae,* 1 Cor. VI. 11. Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis. Rom. VIII. 30. Quos vocavit, hos justificavit. c. IV. 5. Credenti in eum, qui justificat impium. 3.) *Pro incremento justitiae, quo quis ex justo fit justior,* Eccl. XVIII. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari. Jac. II. 24. Videtis, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum. Apoc. XXII. 11. Qui justus est, justificetur adhuc. 4.) *Pro declaratione justitiae modo quodam forensi.* Prov. XVII. 15. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Dominum. Esa. V. 23. Væ qui justificatis impium, &c. (**)

Psalm. CXIX. Justificationes tuas custodiam.

§. X. Ex his significationibus omnibus *quartam* tantum propriam & dictis scripturæ de nostra coram Deo justificatione agentibus convenientem judicamus. Resp. igitur I.) Psalm CXIX. 8. haberi vocabulum חֻקֹּתֶיךָ, quod LXX. interpretes verterunt δικαιώματα, latinus interpres *justificationes*, satis incommode, rectius enim vertitur *statuta, mandata* &c. Quæritur autem hoc loco, non quomodo interpres latinus hoc vocabulo sit usus, sed quomodo in hebræo & græco textu proprie usurpetur. II.) In dictis illis, quæ pro *secunda* vocabuli significatione demonstranda adducuntur, vox justificationis itidem modo forensi accipitur pro absolutione & peccatorum remissione, ut ostendit propria sedes hujus articuli, ex qua de genuina vocabuli significatione judicium fieri debet. 1 Cor. VI. 11. præcedenti enumerationi scelerum opponit apostolus beneficia, quibus Corinthii ad Christum conversi fuerint adfecti. Sordibus antegressæ vitæ opponitur ablutio, contaminationi sanctificatio, reatui & condemnationi justificatio. Quid? quod justificatio a sanctificatione distinguitur, quomodo igitur eadem esse poterunt? per sanctificationem acquiritur justitia novæ obedientiæ, sed justificatio consistit in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi, ideo notanter addit apostolus: *Justificatio est in nomine Domini nostri Jesu Christi,* cum quo conferatur Act. IV. 12. *Non est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. X. 43. *Huic* (Jesu Nazareno) *omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Act. XIII. 38. *Per hunc vobis remissio peccatorum adnunciatur & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari.* Ex quo adparet, justificari in nomine Christi nihil aliud esse, quam fide in Christum accipere peccatorum remissionem, ab accusatione legis absolvi, & salutis participem fieri. Plura de hoc loco inferius. III.) Rom. VIII. 30. itidem non pro infusione justitiæ, sed pro remissione

1 Cor. VI. Justificati estis.

Rom. VIII. Quos vocavit.

(*) Thomas 1. 2. q. 113. art. 1. *Justitia passive accepta importat motum ad justitiam, ut calefactio motum ad calorem, hoc autem fit secundum rationem motus a contrario, & sic justificatio importat transmutationem a statu injustitiae ad justitiam, & hoc modo hic loquimur de justificatione, & quia motus magis denominatur a termino ad quem; ideo haec transmutatio dicitur justificatio impii. &c.* GERHARDUS.

(**) Becanus in altera parte disputationis suæ de justificatione catholicorum c. 1. corrigens Bellarminum, duntaxat *tripliciter* in sacris literis hoc vocabulum usurpari docet, probe animadvertens, primam significationem a Bellarmino adlatam esse spuriam, propterea quod non ex fontibus hebraæ linguæ, sed ex vitiosa vulgata versione est deducta. GERHARDUS.

hos & justificavit.

ne peccatorum vox *justificandi* accipitur, quod & glossa ordinaria agnoscit; modum justificationis cap. III. & IV. præcedente satis clare expositum apostolus, ut non opus sit dubiis conjecturis, quomodo vocabulum *justificandi* acceptum velit. Adde, quod immediate subjungat v. 33. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat.* v. 34. *Quis est, qui condemnet &c.* ubi ipsa oppositio justificationis & condemnationis judicialem hujus verbi significationem evidenter probat. IV.) Idem judicium esto de dicto Rom. IV. 5. Ostendit enim series textus, justificationem ibidem describi per imputationem justitiæ & peccatorum remissionem; *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, sicut & David beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat justitiam sine operibus.* Principium igitur petit Bellarminus. dum dicta hæc de justitiæ infusione accipienda statuit. V.) Eccles. XVIII. 22. in Græco sic legitur: *μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι. Non exspectes usque ad mortis tempus justificari & Deo reconciliari, sed in tempore peccatorum offende conversionem tuam*, ut habent præcedentia, hoc est, dum adhuc peccare potes, absline a peccatis, & emenda vitam tuam, alias non relinquis peccata, sed peccata te deserunt, ac multi subitanea morte abrepti sunt, antequam pœnitentiam agere possent. Nihil hic de incremento justitiæ audis, interim non negamus, justitiam novæ obedientiæ ac renovationem quotidie crescere debere, sed in ea non consistit nostra coram Deo justificatio. VI.) Jac. II. 24. justificari accipitur pro *declaratione justitiæ*, ut suo loco confirmarum dabimus, & agnoscit Thomas Aquin. in cap. III. Gal. VII. Apoc. XXII. 11. distinguitur justificatio a *sanctificatione*. Ergo non est par utriusque ratio; absit enim, ut otiosam *ταυτολογίαν* textui tribuamus. Vocabulum *ἔτι* aut actus cujusdam incrementum, aut ejusdem continuationem & perseverantiam vel reiterationem notat. *Priori* modo accipitur in sanctificatione, *posteriori* vero in justificatione. (*). Lutherus vertit: *Wer from ist, der sey immer hin from.* τὸ *ἔτι* non ponitur pro *μᾶλλον* vel *πλέον*, sed pro *προτέρως*. *Qui justus est, justificetur adhuc*; 1.) per *continuationem*, hoc est, qui fide coram Deo justificatus, non desistat petere remissionem peccatorum quotidie, cum in carne adhuc habitet peccatum, cujus remissio & mortificatio omnibus renatis quotidie necessaria. Ut remissio peccatorum, ita quoque justificatio nostra renovatur indies, ac fides non tantum in primo initio, sed quotidie imputatur credenti ad justitiam. Gregorius in Cant. c. 4. *Quamvis anima mox, ut peccat, a justitia deviet, tamen dum semper credit in eum, qui justificat impium, & assidue sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones justitiam suam retinet.* 2.) Per *reiterationem*. Si in peccata fuerit prolapsus, vera pœnitentia ad Deum redeat, ut a peccatis absolvatur. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, hoc est, pergat & crescat in sanctificatione, sive, ut apostolus loquitur, 2 Cor. VII. 1. *perficiat sanctificationem*. Quod si vel maxime de justitia novæ obedientiæ locus acciperetur, hoc sensu, quod renatos quotidie oporteat crescere & proficere in sanctitate & justitia novæ obedientiæ ex auditu verbi; (quo sensu accipit Brentius in confessione Wirtemb. pag. 287.) nihil tamen accederet causæ pontificiorum; nondum enim ex eo sequitur, quod illud studium novæ obedientiæ ac legalis justitiæ sit nostra coram Deo valens justitia, cum fide, non operibus, ex evangelio & non ex legenos justificari scriptura adserat. Quinimo cum justitiam, quæ coram Deo valere debet, oportet

Rom. IV. Credenti in eum, qui justificat impium.

Eccles. XVIII. Ne verearis usque ad mortem justificari.

Jac. II. Videtis, quod ex operibus justificetur homo, non ex fide tantum.

Apoc. XXII. Qui justus est, justificetur adhuc.

(*) Multi pontificii accipiunt hunc locum de justificatione secunda, quæ ab ipsis definitur non per *justitiæ infusionem*, sed *bonorum operum exercitium*, cum quibus Bellarminus transigat. GERHARDUS.

teat esse numeris omnibus perfectam, ex eo manifestum est, justitiam novæ obedientiæ, quam oportet quotidie crescere, quæque ex eo imperfectionis convincitur, non esse eam, qua coram Deo justificamur. Priorem explicationem, utpote analogiæ fidei & textui magis congruam, præferimus.

§. XI. Nihil igitur subsidii ex his dictis peti potest ad *infusionem*, vel incrementum justitiæ, id est, *habitualem* vel *actualem* justitiam comprobandam, quarum illam in infusione qualitatum, hanc in operibus bonis collocant, illam vocant justificationem *primam*, hanc vero *secundam*, aliam igitur quercum excutit Bellarminus, & libr. II. de justif. c. 3. tria producit testimonia, ex quibus demonstrare conatur, *justificari per Christum*, non esse haberi aut pronunciari justum, sed vere fieri justum per adeptionem inhærentis justitiæ perfectæ.

Rom. V. Per unius obedientiam justi constituuntur multi.

1.) Rom. V. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi;* ubi urget phrasin constitui justum & antithesin Adami & Christi. (*) *Per inobedientiam Adami constituti sumus injusti injustitia in nobis vere & realiter inhaerente, non autem imputata. Ergo eodem modo per obedientiam Christi constituimur justi, justitia nobis inhaerente.* Resp. 1.) Manifesta est in textu apostolico oppositio inter justificationem & condemnationem, & quidem bis repetita v. 16. & 18. Cum autem opposita sint sub eodem genere, irrefragabiliter ex eo evincitur, justificationem non minus esse actum *judicialem*, quam est condemnatio. 2.) Regerit Bellarminus, *Adamum nos condemnasse non modo forensi, nec judicando, sed imprimendo culpam originalem: ita quoque Christum nos justificare delendo peccata & gratiam infundendo.* Resp. condemnatio in verbis apostolicis haudquaquam tribuitur Adamo, sed indefinite apostolus pronunciat: v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, hoc est, sicut per Adami delictum in omnes propagatur peccatum, quod illis cedit in condemnationem coram Deo, propter quod justissime a Deo condemnantur; (nisi fiat reconciliatio) ita per unius Christi meritum propagatur in omnes vera justitia & salus ut ex fide justificentur. 3.) Quare ut condemnatio nunquam sit extra actum forensem, ita nec justificatio coram Deo, ac proinde non potest pro infusione gratiæ sumi. Ambrosius in hoc loco: *Uno Adae peccato condemnati sunt, qui in similitudinem praevaricationis ejus peccarunt, gratia vero Dei per Christum non ex uno delicto, sed ex multis justificavit homines dando illis remissionem peccatorum.* Et postea: *Sicut per unius delictum omnes condemnationem meruerunt similiter peccantes: ita & in justitia unius omnes justificabuntur credentes.* 4.) Justum constitui & justificari habentur ab apostolo pro æquipollentibus, tam ergo justum constitui opponitur condemnationi, quam justificari, & proinde utrumque habet forensem significationem. Verbum enim *constituendi* significat hæc agi coram judicio Dei Rom. X. 3. *propriam justitiam conantur στῆσαι & justitiae Dei non sunt subjecti.* Qui coram Dei judicio propriam justitiam erigere & constituere laborant, nec se humiliant, ut aliam justitiam, quam Deus proposuit, quærant, non sunt subjecti justitiæ Dei, hoc est, illi justitiæ, quam Deus in judicio suo adprobat. Quemadmodum *Deus fecit*, sive constituit *Christum peccatum, ita nos reddimur* sive constituimur *justi*, 2 Cor. V. 21. Utrumque fit per actum quendam judicialem. Adde, quod in hoc cap. V. 9. & 10. idem statuit esse justificari & reconciliari Deo per sanguinem Christi. Atqui reconci-

(**) (Idem facit Becanus p. I. de justif. c. 2. §. 14. *Quemadmodum per inobedientiam Adae injusti sumus constituti, ita per obedientiam Christi constituimur justi. At per Adae inobedientiam non formaliter, sed efficienter & meritorie duntaxat constituimur injusti. Ergo etiam per obedientiam Christi non formaliter, sed efficienter & meritorie duntaxat, justi constituimur.*) GERHARDUS.

cilliatio illa significat peccatorum remissionem, receptionem in gratiam &c. 5.) Peccat Bellarminus extendendo dictum apostolicum ultra collationis tertium. Apostolica collatio talis est: ut condemnatio est ab Adamo per peccatum, ita justificatio est a Christo per obedientiam. Nec ulterius hic progreditur apostolus, cum applicationis modum in præcedentibus docuerit, videlicet, fide justitiam Christi nobis imputari cap. III. & IV. peccatum vero Adæ carnali generatione in nos propagari. (*) Si collatio Adami & Christi ultra terminos apostolici textus extenditur, inferri poterit, in omnes omnino homines citra ullum fidei vel incredulitatis respectum justitiam Christi propagari; sicut per naturalem generationem peccatum Adæ in eos propagatur. 6.) Nec constat sibi ipsi Bellarminus, hoc enim loco scribit: *Injusti constituimur injustitia in nobis vere ac re ipsa inhaerente, non injustitia Adami nobis imputata*; contra vero libr. IV. de amiss. grat. & statu peccati c. 10. adserit, *peccatum Adae ita posteris omnibus imputari, ac si omnes idem peccatum patravissent*, & recitat dictum Bernhardi: *Nostra est Adami culpa, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus: & nobis justo Dei judicio imputabatur licet occulto.* Ac docet res ipsa, non posse imputationem illam excludi, quamprimum enim peccarunt primi parentes, ipsorum transgressio reputata fuit totius humani generis transgressio, utique ergo nobis omnibus imputata; unde damnati sumus, antequam nati. Alii pontificii addunt locum Dan. VIII. 14. וְנִצְדַּק קֹדֶשׁ *justificabitur* seu *mundabitur sanctuarium.* Resp. 1.) Phrasis illa notat cultus restaurationem, non justitiæ infusionem, de qua quæritur. 2.) Verbum est *niphal*, non in *hiphil*, de quo potissimum hic quæritur. 3.) *Declarative* potest accipi; *sanctificabitur*, id est, sanctum purgatumque declarabitur.

§. XII. II.) *Alterum* dictum, quo conatur Bellarminus probare, justificare non esse vocabulum forense, petit ex Dan. XII. 3. *Qui ad justitiam erudierunt multos, fulgebunt sicut stellae*, quod non potest trahi ad judices declarantes. Resp. 1.) Nec hic locus infusionem justitiæ probat, doctores enim non infundunt novas justitiæ qualitates. 2.) Vulgata versio reddidit, *qui ad justitiam erudiunt multos*; ab ea vero discedere Bellarmino non erit integrum propter anathema Tridentinum. 3.) Reducitur autem hæc sententia pulcerrime ad propriam significationem verbi *justificare.* Deus enim justificat, hoc est, solvit, remittit & condonat peccata, sed utitur ad hoc ministerio verbi. 2 Cor. V 19. *Posuit in nobis ministerium reconciliationis.* Matth. XVIII. 18. *Quicquid solveritis in terra solutum erit in cælo.* Joh. XX. 23. *Quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt.* Deus igitur justificat *efficienter* & principaliter, ministri ὀργανικῶς, perinde ut Timotheus *se ipsum & auditores suos salvasse* dicitur 1 Tim. IV. 16, nimirum ὀργανικῶς per ministerium *evangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. I. 16. Etsi minister evangelii peccatorum remissionem prædicans, non fert sententiam more judicis authentici & summi, facit tamen hoc more præconis sententiam absolutionis, a Deo summo judice in evangelio patefactam, adnuncians. Flacius in clav. p. 502. dicit: *verbum justificandi hoc loco positum neque pro facere justum, neque pro absolvere ab omni culpa, quod*

Dan. XII. Qui ad justitiam erudierunt multos.

(*) Comparatio inter inobedientiam Adæ & obedientiam Christi non instituitur simpliciter, sed secundum quid, nimirum quoad originem & ipsam propagationem tam condemnationis, quam justificationis, non autem quoad modum propagationis, alias sequeretur Christi justitiam per carnalem propagationem propagari. Considerat apostolus 1.) salutis ac condemnationis nostræ causas, sicut enim condemnatio ab Adami inobedientia, ita salus ab obedientia Christi. 2.) Obedientiæ & inobedientiæ *effecta*; sicut enim per inobedientiam Adæ constituuntur peccatores: ita per obedientiam Christi constituuntur justi. 3.) *Utriusque subjecta.* Sicut enim inobedientia Adæ transiit in omnes, ita obedientia Christi præstita est pro omnibus. GERHARDUS.

quod est solius Dei, sed pro instituere ad justificationem, quo respexit etiam vulgata versio & Lutherus, ut sic ministri dicuntur justificare ratione διδασκαλίας per informationem & adhortationem. 4.) Denuo autem non constat sibi Bellarminus, hoc enim loco scribit: *Qui praedicat evangelium, non pronunciat homines justos more judicis, sed aperit viam ad justificationem*; sed libr. III. de poenit. cap. 3. disputat: *Sacerdotes esse judices super terram constitutos, potestatem clavium esse potestatem judiciariam.* Item: *Si non essent sacerdotes judices, nec vere peccata remitterent, sed solum adnunciarent esse remissa, nemo periret ex eo solum, quod sacerdotem reconciliantem habere non posset.*

Esa. LIII. In scientia sui servus meus justus justificabit multos.

§. XIII. *Tertium*, in quo praecipuum robur causae collocat Bellarminus, petit ex Esa. LIII. 11. *In scientia sui servus meus justus justificabit multos.* Resp. 1.) Unde probabit Bellarminus, *justificare* in hoc loco notare infusionem justitiae? 2.) Quin potius apostolus docet, justificationem illam fieri per remissionem peccatorum. 3.) Verbum hebraeum in tertia conjugatione significat *justum pronunciare, justitiam imputare*, sicut in prima significat justum esse *positive*. 4.) Per *scientiam* intelligitur vera in Christum fides, quia verba notitiae apud Hebraeos connotant adfectum cordis. Christus igitur servus Dei, qui *venit in hunc mundum, ut aliis inserviret*, Matth. XX. 28. quique *justus* est, non solum *essentialiter* secundum divinam naturam, & *inhaesive* secundum humanam naturam, sed etiam *active*, qui sanctissima sua obedientia & passione perfectam peperit justitiam, *in notitia sui*, id est, dum vera fide agnoscitur & adprehenditur, *justificabit*, id est, justos pronunciabit, absolvet & acceptabit *multos*, hoc est, quotquot in ipsum credunt, *& iniquitates ipsorum portabit*, est enim *agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Joh. I. 19. Ideo enim *justificamur per redemtionem, quae est in Christo Jesu, quia proposuit eum Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus*, ut habet apostolica hujus dicti paraphrasis. Rom. III. 24. & 25. *Ac scientia salutis nostrae consistit in remissione peccatorum.* Luc. I. 77. Peccat igitur Bellarminus, opponendo subordinata. Christus justificat *meritorie*: Ergo non *judicialiter*; imo vero Christus in officio mediatoris non solum perfectam acquisivit justitiam Deo Patri ministrando, pro peccatis nostris laborando, & animam suam in redemtionem tradendo, sed etiam beneficia mortis ac passionis suae voce evangelii nobis offert & per fidem adplicat.

Compositio vocis justificare.

§. XIV. Solenne autem est Bellarmino & aliis ex compositione vocis argumentari. *Sicut sanctificare est sanctum facere, ita justificare erit facere justum.* Resp. 1.) Non tam ex compositione vocis latina, quam ex usu linguae sanctae statuendum est de vera significatione vocis *justificandi*. 2.) Ostendimus autem superius immotis scripturae fundamentis, quod justificare צדיק significet *justum pronunciare, absolvere* &c. sed ex nullo scripturae loco probari potest, quod justificare significet *justitiam infundere.* (*) 3.) Ne quidem *sanctificandi* verbum semper significat ex non-sancto facere sanctum, infuso sanctitatis habitu. Jubemur enim *sanctificare Iehovam exercituum*, Esa. VIII. 13. petimus *nomen ejus sanctificari*, Matth. VI. 9. quis vero diceret, nos Deum ac nomen ejus sanctum facere? 4.) Sanctificatio de hominibus usurpata quandoque accipitur pro imputatione sanctitatis Christi per fidem. Act. XXVI. 18. *Ut accipiant remissionem peccatorum & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, quae est erga me.* Eph. V. 26. *Christus dedit semet ipsum pro ecclesia, ut sanctificaret eam mundatam lavacro aquae per verbum.* Hebr. X. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam:*

(*) Cum justificatio non sit *physica* aliqua mutatio, perperam cum calefactione, dealbatione & aliis hujusmodi mutationibus comparatur. GERHARDUS.

quo pertinet phrasis illa levitica: *Sacerdos sanctificabit leprosum*, id est, sanctum pronunciabit: quandoque vero accipitur pro renovatione sive *inhaerentis* sanctitatis inchoatione ac continuatione. 2 Cor. VII. 1. *perficiamus sanctificationem &c.* Si vel maxime sanctificare semper idem significaret, quod *inhaerentis* sanctitatis habitu donare, non tamen idem de *justificandi* voce dicendum foret. In justificatione enim homo sistitur tribunali Dei, adcusatur a lege, & reconciliandus est prius Deo, ubi non habetur respectus ad inhærentem justitiam, sed ad solius Christi meritum fide adprehensum: sed in sanctificatione homo jamdum Deo reconciliatus & a peccatis propter Christi meritum absolutus donatur Spiritu sancto, qui in ipso inchoat & perficit sanctificationem. Urgent etiam regulam grammaticam: *Verba in kal neutra, in hiphil activa vim agendi habent & exponuntur per facere.* Resp. 1.) Si vel maxime concedatur, tamen nondum sequitur: PIEL significat *justum facere;* ergo notat justitiæ infusionem: potest enim quis justus fieri per alterius judicium, pronunciationem & declarationem, 2.) verba enim tertiæ coniugationis hoc tantum important, quod qualitas primæ conjugationis tribuatur alteri vel re ipsa, vel permissione, vel judicio, adseveratione & declaratione alterius. Vide Flacium p. I. clav. pag. 499.

§. XV. Nullus igitur a Bellarmino produci potuit scripturæ locus, qui diserte & evidenter probaret, quod justificare significet justitiam infundere. Quare contra pontificiam hujus vocabuli explicationem concludimus hoc modo: Quæcunque significatio vocabuli non potest probari ex scripturis, præsertim ex propria cujusque doctrinæ sede, sed illi potius repugnat, & absurda secum trahit, illa rejicienda est. Talis est significatio illa pontificia, qua justificatio exponitur pro justitiæ infusione. Ergo rejicienda est. *Minor* est trimembris. Primum membrum ex discussione eorum scripturæ locorum patet, quæ Bellarminus pro confirmatione suæ sententiæ adduxerat, ea enim vel non petita sunt ex propria sede, vel non possunt aliter exponi, quam de actu judiciali. *Alterum* membrum patebit ex argumentis, quæ pro *formali* justificationis causa inferius producentur. Si quis fundamenta apostolica in toto hoc argumento expendet, deprehendet, non posse significationem illam cum eis conciliari. *Tertium* membrum conspicuum est ex analysi dictorum, in quibus justificatio non potest pro infusione justitiæ accipi, alias sequeretur, iniquos judices justitiam infundere impiis, Prov. XVII. 15. Esa. V. 23. publicanos Deo infundere justitiam, Luc. VII. 29. pharisæos & scribas sibi ipsis justitiam infundere, Luc. X. 29. cap. XVI. 15. Iisdem absurdis conflictari hanc vocabuli significationem in propria hujus doctrinæ sede suo loco inferius demonstrabitur. Argumentantur denique hunc in modum: I.) *Si justificatio in hoc negotio non habet aliam significationem, quam forensem, sequitur, hominem justificari absque ulla sui mutatione, quod contrarium scripturae.* Resp. 1.) Si mutatio accipitur pro mutatione *physica* vel ejusmodi alteratione, qua injustitia expellatur & justitia infundatur, negamus, ejusmodi mutationem in ipso actu justificationis, prout in judicio Dei consideratur, fieri, nec uspiam tale quid scriptura adserit. Si vero mutatio accipitur in *genere* pro qualicunque variatione, non negamus, in ipsa justificatione fieri quandam mutationem; quando enim homo justificatur, id est, a peccatis absolvitur, tunc hac ratione mutari dicitur, ut ex statu iræ transferatur in statum gratiæ non propter aliquam infusam justitiam, sed propter misericordiam Dei in Christo. 2.) Mutatio illa, qua homo justificatus coram Deo fit novus homo, per quam Spiritus sanctus novos motus in homine excitat, ea non pertinet ad ipsum justificationis actum, sed est effectus quidam actum justificationis consequens. II.) *Deus foret injustus judex, si hominem injustum, in quem non prius infusa esset justitia, pronunciaret justum.* Resp. qui hominem injustum simpliciter & absque ullo interveniente medio satisfactionis justum pronunciat, is merito injustus judex pronunciatur. Sed Deus propter Christi satisfactionem peccata remittit, &c.

§. XVI.

Summa hujus articuli.

§. XVI. Porro totam justificationis doctrinam perspicua & miranda brevitate complectitur dictum apostolicum: Rom. III. 24. *Justificamur gratis ipsius* (Dei) *gratia, per redemtionem, quae est in Christo Jesu.* v. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius ad declarandam justitiam suam per remissionem praecedentium delictorum.* Exprimitur enim ibi causa *efficiens principalis* justificationis, quae est gratia Dei: causa *meritoria*, quae est obedientia & satisfactio Christi mediatoris: causa *formalis*, quae est remissio peccatorum: causa *instrumentalis*, quae est fides: causa *finalis*, quae est declaratio justitiae, ex parte Dei, pax conscientiae & vita aeterna, ex parte nostri; quae omnia in sequentibus latius ab apostolo tractantur & explicantur.

CAPUT I.

DE CAUSA EFFICIENTE JUSTIFICATIONIS.

§. XVII.

Causa efficiens principalis justificationis.

Causa *efficiens principalis* justificationis est gratia Dei. Rom. III. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Est autem justificatio solius & unius veri Dei actio, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Quod sit solius Dei actio, patet ex eo, quia ipse *solus Dominus Deus noster, & salvator non est praeter eum*, Ose. XIII. 4. *Ipse solus potest peccata remittere*, Marc. II. 7. *Ipse ipse est, qui delet iniquitates nostras*, Esa. XLIII. 25. *Unus est, qui potest salvare & perdere*, Jac. IV. 12. Quod sit actio Patris, Filii & Spiritus sancti, patet ex regula theologica: (cujus fundamentum est simplicissima unitas divinae essentiae & potentiae) opera Trinitatis ad *extra* sunt indivisa, servato tamen ordine & discrimine personarum. Inde dilectio Dei, quae est causa efficiens principalis nostrae justificationis tribuitur *Patri*, Joh. III. 16. *Filio*, Gal. II. 20. *& Spiritui sancto*; Rom. V. 5. inde etiam oritur trajectio apostolica Eph. IV. 32. *Deus in Christo* ἐχαρίσατο *donavit nobis.* Col. III. 13. ὁ χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν, *Christus donavit vobis.* Sic Rom. VIII. 34. *Deus est, qui justificat:* vicissim de Christo dicitur Esa. LIII. 11. *In scientia sui justificabit servus meus multos.* 1 Cor. VI. 11. mentio fit totius sacrosanctae Trinitatis: *Justificati estis per nomen Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.* Cyrillus libr. V. de Trinit. tom. II. p. 341. *Non seorsim quidem Deus & Pater, seorsim autem & proprie Filius, sed quae esse intelligitur justificatio a Patre, ea omnino est & Filii, & quam Filius largitur, ea est & Patris*; quo pertinet, quod in baptismo, qui est sacramentum regenerationis & medium justificationis nostrae, invocatur super nos nomen Patris, Filii & Spiritus sancti.

§. XVIII. Quidam dicunt, causam *efficientem principalem* justificationis esse Deum. Rom. III. 26. *Ut sit ipse* (Deus) *justus & justificet eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Rom. VIII. 33. *Deus est, qui justificat.* Gal. III. 8. *Deus ex fide justificat gentes.* Gratiam autem Dei vocant causam *impulsivam internam*: Eph. II. 4, 5. *Deus, qui dives est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo, gratia enim estis salvati &c.* sed res eodem redit, cum dilectio Dei & Deus diligens sint *realiter* unum. Intelligitur autem hoc loco per *gratiam Dei*, ipsius misericordia, dilectio & favor, quo credentes in Christum complectitur, quod contra concilium Trident. ejusque propugnatores demonstramus: I.) ex συνωνυμίᾳ. Justificatio & salvatio in scripturis tribuitur gratiae, misericordiae, philanthropiae, dilectioni & caritati Dei. Ergo haec habenda sunt pro ἰσοδυναμέσι. Rom. III. 24. *Justificati gratis per ipsius gratiam.* Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis,*

Gratiam Dei in articulo justificationis denotare ipsius misericordiam, probatur. 1.) ex συνωνυμίᾳ.

qui

qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Eph. II. 4. *Deus, qui est dives in misericordia, propter nimiam suam caritatem, qua dilexit nos.* v. 5. *cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo.* Tit. III. 4. *Cum benignitas & humanitas (ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία) adparuit salvatoris nostri.* v. 5. *Non ex operibus justitiae, quae nos fecimus, sed secundum misericordiam suam salvos nos facit.* v. 7. *Ut justificati ipsius gratia heredes simus secundum spem vitae aeternae.* 1 Pet. I. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos.* 1 Joh. IV. 9. *In hoc adparuit caritas Dei, quod Filium suum misit in hunc mundum.* Hebr. II. 9. *Christus gratia Dei pro omnibus gustavit mortem;* illud Paulus Rom. V. 8. sic effert: *Commendat Deus caritatem suam, quod adhuc peccatoribus existentibus nobis, Christus pro nobis mortuus est.* In parabola Matth. XVIII. 27. 33. misericordiae tribuitur debiti condonatio & poenae relaxatio.

Exceptiones Bellarmini.

Talia dicta occurrent alibi longe plura. Excipit Bellarminus libr. II. de justif. cap. 3. 1.) *Favorem Dei satis explicari per vocem gratis, qui enim gratis justificat, certe ex benevolentia & liberalitate justificat. Illo igitur additio per gratiam, non ipsum favorem, sed aliquid aliud, id est, effectum illius favoris significabit, scilicet justitiam ab illo donatam & infusam, quae est formalis causa justificationum.* Resp. scripturae non est insolens, majoris ἐμφάσεως causa unum vocabulum exponere per aliud, vel duo synonyma conjungere, aut adverbium addere nomini ejusdem significationis propter rei certitudinem. Matth. II. 10. *gavisi sunt gaudio magno.* Luc. II. 9. Ut illustrior igitur esset significatio vocabuli *gratiae*, ac firmius munita contra omnes corruptelas, ideo apostolus addit vocabulum *gratis*. Cum enim gratia Dei nos justificantis non solum donet peccatorum remissionem, sed etiam per Spiritum sanctum inchoet novos motus, hoc est, cum justificatio & renovatio, gratia & donum per gratiam semper sint conjuncta, ideo ne quis opinetur, propter illos novos motus Deo placentes nos justificari, ideo additur particula *gratis*, ut sit sensus, nos sine ullo merito nostro, imo contra meritum nostrum coram Deo justificari, & causam acceptationis gratuitae non esse in nobis, sed in solo Deo. Chemnitius in loco de justif. p. 739. ex scripturis ostendit, vocabulum *gratis* a.) opponi solutioni pretii: b.) significare sine justa causa, temere, ex levitate & petulantia: c.) opponi merito sive ad bonum sive ad malum. Ex his significationibus prima & tertia huic loco congruunt. Justificamur *gratis*, hoc est, *nihil operantes, neque vicem reddentes*, ut exponit Ambrosius in hoc loco, nec praecedentibus operibus meremur, nec sequentibus compensamus. *Deus nihil invenit in nobis, unde salvet, multum autem invenit, unde damnet, & tamen ex misericordia propter Christum nos recipit*, ut scribit Augustinus serm. XV. de verbis apostoli. De Josepho dicitur, quod *invenerit gratiam in oculis domini sui;* Gen. XXXIX. 4. sed additur, *quia erat vir fortunatus*, hoc est, propter egregias virtutes, quas Potiphar animadvertebat in Josepho, diligebat eum. Ne igitur quis opinetur, eodem modo & nos gratia Dei justificari & salvari, addit apostolus particulam *gratis*, ut ostendat, Deum in justificatione non respicere ad dignitatem, meritum seu quodcunque aliud nobis inhaerens, ut propterea nos in gratiam recipiat; sed quando invenit in nobis causam, cur posset damnare, mera gratuita bonitate nos acceptat ad vitam aeternam. Haec Chemnitius. Invertimus proinde argumentum Bellarmini. Apostolus particulam *gratis* addit, quando ex gratia nos justificari pronunciat. Ergo per gratiam non potest intelligi donum aliquod nobis inhaerens, infusus quidam habitus, quo formaliter coram Deo simus justi, sed denotatur gratuitus Dei favor in Christo & propter Christum nos acceptans. 2.) *Praepositionem* PER *non recte adcommodari favori & benevolentiae, sed causae formali aut meritoriae aut instrumentali. Non enim recte diceremus: Deus per suum favorem aut per suam benevolentiam nos justificat; recte autem dicimus: Deus per gratiam inhaerentem,*

per

per meritum Filii, per fidem & sacramenta nos justificat. Resp. particula *per* non habetur in græco textu, sed simpliciter dicitur: δικαιόμενοι δωρεὰν τῇ χάριτι αὐτοῦ. Adde, quod particula *per* sæpissime causam efficientem in scripturis notet. *Per Deum* tanquam causam efficientem dicuntur *esse omnia* Rom. XI. Hebr. II. *Christus* dicitur *resuscitatus per gloriam Patris*, hoc est, a gloriosa potentia Patris Rom. VI. 1 Cor. I. *fidelis Deus, per quem vocati estis in consortium sanctorum*: per Christum omnia facta dicuntur, per Christum dicimur redemti & liberati, equis vero negabit, Christum esse efficientem causam creationis & redemtionis? Sic Tit. III. 5. κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον *secundum suam misericordiam salvos nos fecit Deus*, num & hoc loco misericordia notabit infusum habitum? 3.) *Benevolentiam Dei non esse inanem, sed omnino praestare atque efficere id bonum, quod alicui vult. Ergo Deus justificans non solum bene vult, sed etiam justos & sanctos facit.* Resp. verissime nos justificat Dei gratia ac favor, imputata nobis per fidem Christi justitia, quam imputationem esse veram & efficacem, non *putativam* vel imaginariam, ut Bellarminus solet calumniari, patet ex imputatione peccatorum nostrorum Christo facta: eadem Dei justificantis gratia dat nobis Spiritum sanctum, per quem natura nostra renovari incipit, sed hæc renovatio non est statim perfecta, sed quotidie debet crescere, in futura autem vita perficietur. Neque est, quod Bellarminus aliquam Dei impotentiam ex eo inferat, agnoscat potius extremam naturæ nostræ corruptionem, agnoscat turpissimam peccati intime adhærentis labem, quæ adeo altas in nobis egit radices, & quasi venenum quoddam omnes animæ & corporis vires pervasit, ut non prius plene exstergatur, antequam corpus in cinerem ac pulverem redigatur, agnoscat perpetuum exercitium pœnitentiæ & humilitatis in his peccati reliquiis nobis propositum esse: *Multum enim nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad ejus depositionem sub venia viveremus*, ut elegantissime ac verissime loquitur Augustinus X. de civ. Dei cap. 22. circa finem. Effectus igitur a causa & donum per gratiam ab ipsa gratia distinguendum, ac de distinctis distincte loquendum.

§. XIX. Genuinam illam vocabuli *gratiae* in hoc articulo explicationem demonstramus II.) ex *oppositione*. Gratia in tractatione apostolica hujus articuli opponitur operibus, debito, merito, legi &c. Ergo non potest infusionem justitiæ *formaliter* inhærentis denotare. Rom. XI. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. IV. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* v. 5. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* v. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Eph. I. 5. *Deus praedestinavit nos in adoptionem filiorum.* v. 6. *In laudem gloriae gratiae suae, in quo* ἐχαρίτωσεν *gratos nos habuit ac dilexit in dilecto.* Infusus habitus est causa efficiens & principium bonorum operum ex hypothesi pontificiorum. Jam vero gratia in articulo justificationis opponitur operibus. Ergo non potest significare infusum habitum. Gratia in justificatione opponitur legi Rom. III. 21. *sine lege justitia Dei manifestata est.* Rom. VI. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Gal. II. 21. *Si per legem justitia, Christus gratis mortuus est.* Gal. V. 4. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Jam vero donum renovationis & sanctificationis nihil aliud est, quam donatio Spiritus sancti, per quem *Deus legem suam in cordibus nostris scribit*, Jer. XXXI. 33. atque efficit, *ut in praeceptis ipsius ambulemus.* Ezech. XXXVI. 27. Quod si per gratiam intelligitur donum renovationis, quomodo consistit oppositio apostolica? Certe infusum illum justitiæ habitum Pontificii describunt potissimum a caritate, jam vero caritas est summa impletio & ἀναπεφαλαίωσις legis Matth. XXII. 40. Rom. XIII. 10. Huc pertinet insigne dictum apostoli, Eph. II. 8. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis*, (nec ex vestris viribus, nec ex aliquo, quod in vobis inhæreat) *Dei donum est, non ex operibus;* si

2.) *Ex oppositione.*

respectu qualitatis alicujus in nobis hærentis, vel respectu operum justitiæ Deus non justificat, jam non est gratia, sed merces seu debitum. Rom. IV. 4.

§. XX. III.) Ex *etymo hebraeo.* חָנַן significat *gratificari, in gratiam recipere*, ac sæpe conjungitur & exponitur per verbum *miserendi.* Exod. XXXIII. 19. *Gratiosus ero, cui fuero gratiosus*, id apostolus Rom. IX. 15. reddidit: ἐλεήσω, ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω. Gen. VI. 8. *Noah dicitur invenisse gratiam in oculis Domini*, quod Hebr. XI. 7. *per fidem* factum esse adserit. 2 Reg. XIII. 23. *Et misertus est* וַיְחָן *Jehova illorum.* Thargum reddidit per וְרָחֵם. Matth. XV. 32. *Misereor super hac turba:* ibi Syrus habet vocabulum אֶתְחַנַּן. Huc referenda etiam conjugata hujus verbi; χάρις, χαρίζομαι, χαριτόω, *gratificor, condono, gratis acceptum habeo.* Luc. VII. 42. *Non habentibus, unde redderent*, ἐχαρίσατο, *ex gratia condonavit utrisque.* 2 Cor. II. 10. *Cui aliquid donatis* χαρίζεσθε, *& ego. Nam & ego, quod donavi,* κεχάρισμαι, *si quid donavi propter vos in persona Christi.* 2 Cor. XII. 13. χαρίσασθε, *condonate mihi hanc injuriam.* Eph. I. 6. *In laudem gloriae gratiae suae, in qua* ἐχαρίτωσε *dilectos & gratos nos habuit in dilecto.* Stapletonus antid. Rom. III. p. 97. exponit, *multis gratiarum donis replevit;* sed hoc non congruit verbis antecedentibus, in quibus electi dicimur in Christo ante constitutionem mundi. v. 4. Eph. IV. 32. Col. III. 13. χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, *condonantes invicem, sicut & Deus in Christo vobis donavit.* Col. II. 13. χαρισάμενος *donans nobis delicta.* In his ac similibus locis verbum χαρίζεσθαι & χαριτᾶν non potest accipi pro infusione justitiæ. Ergo nec χάρις ita accipi debet. In latina lingua favor & gratia habent se *correlative.* Favor significat *active* benevolentiam, qua alios homines complectimur, gratia vero significat acceptationem, ut sic loquar, *passivam*, ut cum dicimus, est in magna gratia apud principem, id est, acceptus principi.

3.) *Ex etymologia.*

§. XXI. IV.) Ex *effectis & circumstantiis* illius gratiæ. Gal. I. 15. *Deus vocavit me per suam gratiam;* atqui vocatio est opus misericordiæ divinæ. 2 Tim. I. 9. *Salvos nos fecit, & vocavit nos Deus vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia;* v. 10. *manifestata autem nunc per manifestationem salvatoris nostri.* Aureus hic locus est, non uno modo sententiam nostram comprobans: conjunguntur enim propositum Dei & gratia ipsius, & gratia illa dicitur nobis data in Christo, (ergo non per inhæsionem nobis competit) & quidem ante tempora secularia, (cum nondum essemus renovati: jam vero donum renovationis in tempore demum contingit) ac series apostolici textus tale nobis submINistrat argumentum: Qua gratia electi sumus ab æterno, ea gratia & non alia justificamur in tempore. Eph. I. 5. 6. *Praedestinavit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, juxta* εὐδοκίαν *voluntatis suae, ut laudetur gloria gratiae ejus, qua caros nos reddidit in dilecto.* Atqui gratia Dei, id est, misericordia Dei sumus electi in Christo ab æterno Rom. IX. 11. Eph. I. 4. Ergo eadem gratia Dei, & non alia, id est, misericordia Dei in Christo, justificamur. Sic Hebr. IV. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum.* Per thronum gratiæ non potest aliud quicquam intelligi, quam misericordia Dei in Christo, propitiatorio nostro, nobis obvia, ideo misericordia & gratia conjunguntur. Referendum huc insigne dictum baptistæ Joh. I. 16. *De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia.* v. 17. *Quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ubi gratia illa 1.) dicitur ex plenitudine meritorum Christi ad nos descendere: 2.) opponitur iræ, quam denunciat lex Mosaica: 3.) dicitur *pro gratia*, hoc est, gratis nullo nostro merito nobis contingere, vel quod idem est, propter Christum, qui est unicus homo in gratia, dicimur & nos in gratia

4.) *Ex effectis & circumstantiis gratiæ.*

tiam a Deo recipi. In quibusdam locis non potest sine insigni absurditate gratia exponi pro infuso habitu. Rom. V. 20. *Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia*; finge, gratiam significare infusam justitiam, & habebis in abundantia delicti abundantiam inhærentis justitiæ. Rom. VI. 15. *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?* Si in hac tractatione apostolica gratia significaret infusum habitum, nullus certe foret locus isti objectioni. (*)

Dicta veterum.

§. XXII. Veteres vocabulo *gratiae* pro donis renovationis frequenter utuntur, res enim ipsis erat cum Pelagio, qui concedebat, gratia Dei nobis remitti peccata; negabat autem ad peccati mortificationem & novam obedientiam opus esse peculiari Dei gratia, sed hominem liberi arbitrii viribus hoc præstare, & legi Dei satisfacere posse. Hac occasione utrumque Christi beneficium, videlicet gratuitam Dei benevolentiam, acceptantem credentes in Christum ad vitam æternam, ac donum renovationis per Spiritum sanctum, nomine *gratiae* ut plurimum complectuntur veteres; interim tamen quibusdam in locis gratiam illam, qua justificamur, recte explicant, videlicet de *gratuita Dei misericordia* acceptante credentes propter Christum ad vitam æternam. Ambrosius in c. I. Rom. salutationem apostolicam ita interpretatur: *Gratia, quia a peccatis absoluti sumus: pax, quia ex impiis reconciliati sumus.* In c. III. Rom. *Gratiam Dei in Christo esse testatur, quia in voluntate Dei a Christo redemti sumus, ut manumissi justificaremur, sicut & ad Galatas dicit: Christus nos redemit offerens se pro nobis.* In 1 Cor. I. *Datam dicit apostolus gratiam a Deo in Christo, quae gratia sic data est in Christo, quia sic constitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* In c. II. Eph. *A Deo alienati mortui eramus, gratia autem Dei revocavit nos, hoc est, vivificavit nos in Christo. Huic dono addit & gentes, significans salvos nos gratia Christi.* Origenes in c. III. Rom. adserit justitiam Dei, quæ hic commendatur, *esse ipsum Christum, qui est nobis datus a Deo & sic donum Dei, neque tamen nobis inhaeret, sed nos ei fide innitimur.* Idem in libr. Reg. homil. unic. *Gratia a nobis per fidem primo conjungitur, sicut & apostolus dicit: Gratis salvi facti estis per fidem.* Et mox: *Post gratiam credulitatis emendatio fit morum & vitae conversio.* Basilius serm. de bapt. *Gratia immensae humanitatis Dei nos in dilectione Christi Iesu Domini nostri praevenit, cujus nobis ad mortem usque obedientia sicut scriptum est, facta est redemtio.* Idem in Psalm. XXXIII. *Non in virtute, non in sapientia humana, sed in Dei gratia est salus.* Cyrillus libr. V. in Esai. orat. 2. *Vincit gratia, quae justificat impium, & omni labe eos, qui misericordiam consecuti sunt, liberat*

(*) Justitia etiam Dei usurpatur de *bonitate & misericordia* Dei, qua credentes in Christum absolvit a peccatis, in gratiam acceptat &c. quæ vulgo dicitur *justitia Dei evangelica*, Rom. I. 17. *justitia imputata*, Rom. IV. 3. δικαιωσις ζωης Rom. V. 18. Hoc modo usurpatur, ubicunque in scriptura agitur de justificatione, & mentio fit justitiæ Dei. Psalm. LI. 16. *Libera me a sanguinibus, & praedicabit lingua mea justitiam tuam.* Psalm. LXXI. 2. *In justitia tua libera me Domine.* Inprimis vero Psalm. XL. 10. justitia ἐξηγητικῶς exponitur per misericordiam: *Adnunciavi justitiam tuam in coetu multo, non celavi misericordiam & veritatem tuam.* Psalm. CXLIII. 1. orat David: *Exaudi me Deus propter justitiam tuam*, & tamen addit: v. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo.* Unde interpretes frequenter ista vocabula *justitiae* & *misericordiae* Dei in articulo justificationis invicem commutant, ut cum Gen. XIX. 19. Loth diceret ad angelum in hebræo: *Magnificasti misericordiam tuam*, reddiderunt LXX. interpretes δικαιοσύνην. Vicissim Psalm CIII. 6. cum David in hebræo dixisset: *Facit justitias Dominus*, verterunt LXX. ἐλεημοσύνας *misericordias*. Similia loca conferantur in Psalm CIII. 6. Gen. XX. 13. XXI. 23. XXXII. 10. Quam licentiam sapientissimi isti viri non sumsissent, si non intellexissent, justitiam Dei interdum notare ejus misericordiam, qua benefacit credentibus. GERHARDUS.

liberat. Theodoretus in 1 Cor. I. *Gratia donat peccatorum remissionem, haec confirmat Dei promissionem donans gentibus benedictionem.* Theophylactus in epist. ad Rom. *Iustificantur omnes gratis gratia Dei, quae per redemtionem fit, hoc est, perfectam libertatem, quam operatus est Christus, ipse enim seſe in pretium redemtionis dans justificavit nos.* Ambrosius in cap. XI. Rom. *Manifestum est, quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordia interveniente concessa.* Et mox: *veniam dare peccantibus non aliud quam gratia est.* Hieronymus libr. II. contra Pelag. *Maxime ostendit apostolus, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse justitiam, quae sine legis operibus credentium suscipit fidem.* Augustinus in exposit. epistolae ad Gal. cap. I. *Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo: pax autem, qua reconciliamur Deo.* Libr. I. retract. cap. 25. *Ubicunque dixi, gratiam esse in remissione peccatorum, pacem vero in reconciliatione Dei, sic accipiendum est, ac si pax ipsa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quod specialiter nomine gratiae remissionem significaverit peccatorum.* Libr. de praedestin. & gratia cap. 11. *Recte vivendi donum* vocat *gratiam secundam, eamque a gratia vocationis* distinguit. In Psalm. CXLIV. *Da intellectorem & totum dixit: Gratia salvi facti estis: ubi audis gratiam, gratis intelige. Si ergo gratis, nihil attulisti, nihil meruisti.* Fulgentius libr. I. ad Monimum. *Accepimus gratiam pro gratia: gratiam glorificationis pro gratia justificationis indebitae, ut gratia justificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio.* Plura loca ex Augustino vide apud Carletonum de consens. eccles. cathol. contra Tridentinos part. IV. cap. 5. pag. 436.

Adversariorum testimonia.

§. XXIII. Thomas & Richardus dicunt, quosdam accipere gratiam pro *beneplacito* & *gratuita dilectione* Dei, qua homines eligit, vocat, adoptat & justificat: fatentur etiam, Paulum ita de gratia loqui, Eph. I. 6. & Tit. III. 4. Quamvis vero alteram significationem praeferant, qua gratia accipiatur de *novis qualitatibus*, tamen speculationibus tantum philosophicis innituntur, & sufficit causae nostrae, receptam adhuc in ecclesia sententiam tum temporis fuisse, quod gratia in disputatione apostolica de justificatione significet *gratuitam Dei misericordiam*, qua propter Christum in gratiam recipit, & remissis peccatis ad vitam aeternam acceptat illos, qui poenitentiam agunt, & fide ad Christum mediatorem confugiunt. Bonaventura libr. II. dist. 26. dub. 2. *Dicendum, quod magister* (ubi dicit gratiam esse virtutem) *non intendit, in illo verbo notificare gratiam gratum facientem, quemadmodum ad suam essentiam, sed quasi per posterius & quodammodo per effectum, quia in illos actus non exit gratia, nisi mediantibus habitibus virtutum, videlicet fidei & caritatis, ideo notificans gratiam dicit, quod gratia nihil aliud fit, quam fides cum dilectione pro eo, quod per illos habitus dicitur gratia in actus exire, per quos innotescit nobis.* Biel II. sent. dist. 26. quaest. 1. *Gratia accipitur* 1.) active, *pro gratiosa Dei voluntate dante omnibus liberaliter gratis non ex debito; ita accipitur* Act. XV. *Credimus per gratiam Dei salvari.* Rom. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* (Nota, quomodo vocabulum *gratiae* Biel in dictis illis accipiendum esse statuat) 2.) Passive, *pro dono aliquo gratis dato.* Art. 2. addit, *conclusionem illam, quod gratia, qua Deus ad vitam aeternam acceptet animam & ejus actum, sit aliquid positivum in anima, non posse sufficienter demonstrari, licet ad hoc plerique doctores multum laborent.* Pererius disp. XIII in cap. III. Rom. n. 53. *Nomen gratiae, cum hic dicit, justificati gratis per gratiam ipsius, licet possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem a Deo infusam animae hominis, & in ea inhaerentem, qua est justus & gratus Deo, videtur tamen potius hoc loco significare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem; opponit enim Paulus operibus hominum gratiam Dei, significans, non meritis hominum quasi debitam reddi justitiam, sed nullis praecedentibus homi-*

hominum bonis meritis, imo plurimis malis meritis, propter infinitam tamen Dei benignitatem & misericordiam gratuitam dari justitiam homini. Ipse Bellarminus agnoscit significationem illam gratiæ, qua de *gratuita Dei misericordia* exponitur, non esse a scripturis alienam. Sic enim loquitur libr. I. de grat. & lib. arb. cap. 2. col. 542. *Quod attinet eas scripturas, quae faciunt caritatem posteriorem gratia, dicimus eas intelligendas esse de gratia, ut significat benevolentiam Dei erga nos, non autem aliquam qualitatem, quae fit in nobis.* Etquamvis libr. I. de grat. & libr. arbitr. c. 1. *Gratiam simpliciter pro dono gratis dato* accipiat, sequenti tamen cap. 2. sui quasi oblitus *gratiam aeternam a temporaria* distinguit; illam definit per *amorem, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa aeternitate dilexit, in cujus gratiae laudem & gloriam nos a Deo praedestinatos esse apostolus testatur:* hanc vero vocat *beneficia vocationis & justificationis, quae ex aeterna gratia, ut effectus ex causis, derivantur.* Subsumo: eadem est gratia salvationis & justificationis, quæ est electionis, ut evidenter patet ex 2 Tim. I. 9. Ergo per gratiam justificationis intelligitur Dei favor & dilectio. Cumprimis vero notandum, quod scribit Piggius in libr. V. de lib. arbitr. *Gratiae acceptionem variam non ex scholis, sed ex divinis scripturis petemus, quandoquidem in illis fere imaginantur gratiam Dei, qualitatem aliquam increatam animae nostrae a Deo vel eandem cum caritatis habitu vel distinctam ab eadem. Quae commentitia universa existimo, nec ex scripturis ullam auctoritatem habere.* Scotus libr. II. dist. 27. q. 1. *Gratia formaliter est virtus, quae est caritas.* Et paulo post: *Illud propter quod Deus acceptat habens ut dignum beatitudinis cognitatis, quae est in correspondentia meriti ad praemium, illud dicitur gratia, & ita aliquam imperfectionem includit illud, quod est gratia.*

Antithesis, quod gratia significet infusum habitum.

§. XXIV. Videamus, quibus rationibus contra hanc sententiam scholastici pugnent. Thomas p. II. q. 27. artic. 1. mentionem facit quorundam, qui statuerint, *gratiam gratum facientem* nihil creatum in anima esse, sed eam duntaxat esse in Deo, videlicet gratuitum ipsius favorem, hanc sententiam ipse improbat, usus hac ratiocinatione: *Cum Deus aliquem acceptare vel diligere dicitur, nihil aliud significatur, quam Deum velle ei aliquod bonum vel naturale vel supernaturale. Naturale, ut omnibus rebus a se conditis vult, & ideo largitur etiam bona naturalia, unde dicitur omnia diligere.* Sap. XI. 25. *Quanquam horum naturalium bonorum respectu nemo dicitur habere gratiam vel esse in Dei gratia, sed tantum respectu supernaturalis boni, quod est vita aeterna, juxta illud* Esa. LXIV. 4. *Oculus non vidit o Deus, quae praeparasti diligentibus te.* & Rom. VI. 23. *Gratia Dei est vita aeterna.* Non quidem potest simpliciter improbari, quod Thomas statuit, Deum dici aliquem proprie acceptare seu diligere, quatenus ei vult bonum aliquod supernaturale, hoc est, vitam æternam; interim distinguendum erat inter dilectionem Dei *generalem*, qua complectitur totum genus humanum, cui Filium suum dedit, ac beneficia illius per verbum hominibus offert, ut convertantur & vivant: & inter dilectionem Dei *specialem*, qua complectitur eos, qui credunt in Christum, & fide oblata in evangelio bona adprehendunt. Deinde cum exemplum ponit bonorum supernaturalium, quorum respectu aliquis dicatur habere Dei gratiam, non solum vita æterna erat nominanda, cum in censu bonorum supernaturalium contineantur etiam media, per quæ in possessionem vitæ æternæ a Deo perducimur, quæ sunt ex parte Dei verbum & sacramenta, ex parte nostra fides in Christum. Subjungit Thomas: *Haec bona*, scilicet vitam æternam, *Deus non vult alicui indigno.* At si Deus vitam æternam nullis vellet nisi dignis, quis eam posset consequi? Ne quidem *tribulationes hujus vitae condignae sunt ad futuram gloriam;* Rom. VIII. 18. quanto minus opera nostra? Vita æterna non est dignitatis cujusdam nostræ meritum, sed χάρισμα θεοῦ, gratuitum misericordiæ divinæ donum Rom. VI. 23. Voluntas Dei de danda hominibus vita æterna non in tempore demum cœpit, sed est æterna, quod

enim jam vult Deus, idem ab æterno voluit: at quæ dignitas noſtra eſſe potuit ante jacta fundamenta mundi, cum nondum eſſemus? Apoſtolus evidenter adſerit 2 Tim. I. 9. *Gratiam illam, qua Deus vult nobis aeternam ſalutem, datam fuiſſe in Chriſto ante tempora ſecularia.* In Chriſto igitur, non in nobis, dignitas illa quærenda, propter quam datur vita æterna. Si Deus non vult dare vitam æternam niſi dignis, ſequetur, quod non elegerit, niſi dignos: ſequetur igitur, electionem non eſſe gratuitam nec factam ſecundum propoſitum voluntatis Dei, ſed ex præviſa dignitate noſtra, cujus opinionis falſitatem ſuo loco oſtendimus. Sed regerit Thomas, *ſe non loqui de indigno ſua natura, ſic enim omnes ſumus indigni, ſed de indigno ſimpliciter*; contendit enim, *Deum per ſuam gratiam facere dignos vita aeterna, quoscunque ad vitam aeternam pro ſua voluntate gratis ordinavit ac praedeſtinavit, facere autem dignos dono ſui Spiritus infuſo, ut eſt regeneratio.* Unde ſubjicit has propoſitiones: 1.) *ex natura ſua hominem non eſſe dignum tanto bono, ſcilicet vita aeterna;* (hoc eſt immotæ veritatis) 2.) *proinde ſi quis ſit dignus, illum eſſe dignum dono ſupernaturali:* intelligit autem donum aliquod creatum, nobisque infuſum. Nullum creatum bonum nos propriè dignos efficere poteſt tanto bono, ſcilicet vita æterna, quippe quæ eſt bonum infinitum, ad quod boni creati & infuſi nulla eſt proportio: multo minus donum aliquod creatum poſt lapſum nobis infuſum dignos vita æterna nos facere poterit, inficitur enim & contaminatur naturæ noſtræ corruptione, quicquid in nos inſtillatur a Deo boni, unde *omnes juſtitiae noſtrae* dicuntur *pannus mulieris menſtruatae;* Eſa. LXIV. 6. Adde, quod perpetua ſit oppoſitio inter dignitatem noſtram & gratiam, jam vero, ut aphoriſmus apoſtolicus ſonat, Rom. VI. 23. *Gratia Dei eſt vita aeterna* 3.) *Dono hoc ſupernaturali, quo reddimur digni vita aeterna, Dei voluntatem non moveri ad hoc, ut nos ad vitam ordinet, hoc eſt, praedeſtinet, ſed contra, ex praedeſtinatione Dei oriri collationem illius boni.* Rectiſſime dicitur, nihil eſſe in nobis, quod Deum moveat ad prædeſtinationem, quo pronunciato electio juxta prævisionem operum penitus evertitur; addendum vero & hoc, nihil eſſe in nobis, quod dignitate ſua Deum moveat, ut det nobis vitam æternam, hoc eſt, cauſam meritoriam glorificationis non eſſe quærendam in nobis, ut enim Deus ex gratia prædeſtinavit, ita ex gratia juſtificat & ex gratia glorificabit, *ſi vero ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. XI. 6. 4.) *Hominem dici gratiam habere, non ſolum ex hoc, quod a Deo diligitur ad vitam aeternam, ſed ex hoc, quod datur ei aliquod donum creatum, per quod dignus fiat vita aeterna, atque hoc donum dici & eſſe gratiam gratum facientem.* Id vero diligentiori diſcuſſione indiget. Non negamus, Deum in nos conferre varia bona; accendit in nobis fidem, renovat nos per Spiritum ſanctum, efficit & auget in nobis caritatem, ſpem, patientiam, humilitatem &c. Sed nullum ex his donis eſt, quod proprie loquendo nos dignos faciat vita æterna, ſed ex mera gratia propter dignitatem meriti a Chriſto præſtiti per fidem nos recipit, atque ad vitam æternam acceptat, poſtea demum ſequitur renovationis donum, quod cum regeneratione ac peccatorum remiſſione perpetuo quidem conjunctum, interim naturæ ordine poſterius eſt, oportet enim perſonam prius Deo reconciliatam eſſe per fidem in Chriſtum, antequam renovationis donum contingat. Ipſa illa fides, qua coram Deo juſtificamur, non alicuius meriti vel dignitatis reſpectu nos juſtificat, ſed quatenus adprehendit Chriſtum, noſtram coram Deo juſtitiam. Sin vero terminus dignitatis καταχρηστικῶς accipiatur hoc ſenſu: ſicut Deus nos reputat juſtos, ita quoque ex gratia nos reputat dignos vita æterna, propter Chriſtum fide adprehenſum, ac quod variorum chariſmatum collatione declaret, ſeſe nos in Chriſto dignatum fuiſſe vita æterna, concedimus, *dignitatis* vocem hic habere locum. Sic Luc. XX. 35. οἱ καταξιωθέντες, *qui digni fuerint habiti ſeculo illo.* 2 Theſſ. I. 5. *ut digni habeamini regno Dei.* Apoc. III. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Huc pertinet, quod Biel diſputat I. ſent. diſtinct. 17. q. 1. artic. 2. *Ideo ſalutem noſtram tribui divinae gra-*

gratiae, quia posita quacunque forma supernaturali in anima possit Deus eam non acceptare ad vitam aeternam, neque enim posita forma necessitatur Deus ad producendum id, sine quo illa forma potest stare. Ergo (inquit) *Deus quemcunque beatificat, mere contingenter, libere & misericorditer beatificat ex gratia sua, nisi quod Deus misericorditer ordinavit, quod habens tale donum, mereatur vitam aeternam.*

§. XXV. Pontificii scholasticorum sententiam secuti statuunt, gratiam Dei in articulo justificationis significare *qualitatem* nobis *infusam*, hoc est, vocabulum *gratiae* ex praedicamento *relationis* transferunt in praedicamentum *qualitatis*, inde concilium Tridentinum sess. VI. can. 11. anathema dicit illis, *qui statuunt, gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei.* Catechismus Rom. cap. de baptismo p. 310. *Gratia est divina qualitas in anima haerens ac veluti splendor quidam & lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit.* Bellarminus libr. I. de grat. & libr. arbitr. c. 3. *Theologorum communis sententia est, gratiam esse habitum supernaturalem a Deo nobis infusum, quo anima exornatur & perficitur, adeoque justa, Deoque grata & accepta redditur.* cap. 6. *Certe si gratia justificans a virtutum theologicarum habitibus distingueretur, jure concilium Tridentinum reprehendi posset, gratia ergo justificans non distinguitur ab habitu caritatis.* Idem libr. II. de justificat. cap. 3. col. 138. *Gratia justificans est non solum favor Dei, sed donum in anima inhaerens.* Costerus in enchir. cap. de justif. *In hominis peccatoris justificatione immittit Deus pro sua misericordia in animam divinum quoddam & admirabile Spiritus sancti donum, videlicet gratiam, quae est qualitas quaedam infusa animae, per quam non aliter fugantur peccata, quam tenebrae adventu luminis.* Colonienses in censura p. 26. disputant: *Gratiam Dei in Christo, qua justificamur & salvamur, hoc esse, quod Deus servantibus legem promiserit, se daturum vitam aeternam.* Antequam vero argumenta ipsorum excutiamus, verus *controversiae status* indagandus erit. 1.) Non est quaestio, an in quibusdam scripturae dictis vocabulum *gratiae* usurpetur pro donis ex gratia datis? illud enim haud inviti fatemur; sed quaestio est, quae sit propria & genuina significatio vocabuli *gratiae* in articulo justificationis, quae scilicet sit illa Dei gratia, qua justificamur & salvamur? Ibi vero animadvertimus, apostolum distinguere *gratiam & donum per gratiam*, Rom. V. 15. 16. & 17 & justificationem tribuere gratiae, ut a donis per gratiam distinguatur, quod comprobant argumenta superius adducta, praesertim oppositio inter gratiam & opera. Observant quidam, quando vocabulum *gratiae* usurpatur pro donis per gratiam, tunc poni absolute, sed in articulo justificationis cum προθέσει quadam dici gratiam Dei gratiam Christi. 2.) Non est quaestio, an renovatio per Spiritum sanctum itidem sit Christi beneficium credentibus ex gratia donatum? illud enim itidem haud inviti fatemur: sed hoc in quaestione est, num illud renovationis beneficium vel solum, vel una cum reconciliatione ac peccatorum remissione denotetur, quando dicimur gratia justificari & salvari? quod negamus. 3.) Non est quaestio, an gratuita Dei misericordia, credentes propter Christum in gratiam recipientis, & donum renovationis per Spiritum sanctum semper sint conjuncta? Illud enim itidem a nobis conceditur, cum certum sit, neminem Deo reconciliari, quin simul renovetur. Sed in quaestione est, an propter illud renovationis donum a Deo in gratiam recipiamur, & ad vitam aeternam acceptemur? sive, quod idem est, an donum illud renovationis intelligendum sit, quando gratia justificari & salvari dicimur? quod a nobis negatur. Breviter, gratia justificationis & gratia renovationis accurate sunt distinguenda. Videamus igitur, quomodo Bellarminus sententiam suam probare conetur.

Status quaestionis.

§. XXVI. Producit aliquot scripturae dicta, ex quibus exsculpere nititur, gratiam justificantem esse donum in anima inhaerens.

Gratiam, qua justificamur, esse donum inhaerens. 1) Quia

dicitur donum, quod accipimus.

rens. I.) *Gratia dicitur donum, quod accipimus.* Rom. V. 17. *Accipientes abundantiam gratiae & donationis.* Resp. demus sane, in quibusdam scripturæ dictis gratiam accipi pro effectis seu donis per gratiam, nondum tamen ex eo sequitur, in disputatione apostolica de justificatione sic intelligendum; quo minus enim sic accipiamus, prohibent argumenta superius adducta, quibus adnumerandum etiam istud. Si vox *gratiae* in disputatione apostolica non notat Dei misericordiam & favorem, sequetur, non enumerari ibi omnes causas justificationis, & principalem omitti. Consequens admitti nequit, ergo nec antecedens. Quod attinet locum Rom. V. 17. in eo adcuratissime gratia & donum per gratiam distinguuntur, ut non possint citra vim quandam textui illatam confundi. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum* τὸ χάρισμα. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia* ἡ χάρις τὰ θεῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι *unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* v. 16. *Et non sicut per unum peccatum, ita & donum* τὸ δώρημα: *nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem* τὸ δὲ χάρισμα *ex multis delictis in justificationem.* v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae & donationis justitiae accipientes,* οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες, *in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Quid per illam *abundantiam gratiae* & donationis justitiae intelligendum sit, exponitur ibidem satis dilucide, quod scilicet sit gratuita reconciliatio facta per Christum, justificatio per ipsius sanguinem, plenitudo gratiæ ad justitiam, justificatio vitæ per obedientiam & justitiam Christi, &c. v. 20. additur, *ubi abundavit delictum,* ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, *superabundavit gratia,* ubi eadem περισσείας vox usurpatur, illa gratiæ superabundantia non nisi per insignem absurditatem de *donis infusis* accipi potest. Adde, quod abundantia illa gratiæ, quæ Eph. II. 7. dicitur ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος, etiam propter hanc rationem non possit de infusis donis accipi, quia donorum spiritualium non est talis περισσείας & immensitas in sanctis, cum *primitias* tantum *Spiritus sancti* accipiant Rom. VIII. 23. Nec est, quod vocabulum δωρεᾶς urgeatur, an non Christus est maximum illud donum a Patre cœlesti nobis datum? quis tamen Christum vel Christi justitiam *formaliter* nobis inhærere dixerit?

2) Quia dicitur dari per Christum.

§. XXVII. II.) *Gratia justificans dicitur dari per Christum.* Joh. I. 17. *Lex per Mosen data, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Non autem recte dicitur facta per Christum benevolentia Dei Patris.* Resp. quæ vero absurditas est dicere, factam nobis per Christum benevolentiam Patris? quin potius gratia Dei justificantis nec debet nec potest aliter considerari, nisi in Christo mediatore & redemtore. Eph. I. 6. *Dilexit nos in dilecto.* Deus sua natura justus est, adeoque ipsa justitia, ideo odit ac punit delicta; cum vero Christus pro peccatis satisfecerit, inde & ideo jam locum habet Dei justificantis gratia, salva nihilominus manente justitia, nempe propter illam Christi satisfactionem, qua de re Anshelmus in libris: *Cur Deus homo?* late tractat. Conjungitur in dicto Johannis gratia & veritas, quæ ex antithesi legis simplicissime explicari possunt. Gratia opponitur legis accusationi & condemnationi, significat ergo gratuitam reconciliationem, & acceptationem ad vitam æternam propter Christum, quippe per illum non solum prædicatum est evangelium, quod est verbum gratiæ, sed etiam ἐγένετο facta est gratia, quia obedientia & passione sua nos Deo reconciliavit, & cœlestia bona in evangelio oblata promeruit. Veritas opponitur non solum legis ceremonialis umbris & figuris per Christi adventum completis, sed etiam legi monstranti quidem viam justitiæ, non autem præbenti vires & facultatem, significat ergo restaurationem naturæ, hoc est, renovationem mentis & vitæ novitatem, quam Christus per Spiritum sanctum operatur. Epli. IV. 21. *in Christo veritas est.* Vide Chemnitii

nitii cap. XX. harmoniæ evangel. Ipse evangelista ibidem diserte explicat, quomodo per Christum nobis facta sit gratia. v. 12. *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus.* v. 16. *Ex plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia*, hoc est, propter illam gratiam, qua Pater Filium pro nobis sub lege factum diligit & acceptat, nos etiam sibi gratos & acceptos habet. Rom. V. 15. *Gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos abundavit.* Eph. I. 6. *Gratos nos sibi reddidit in dilecto.*

3.) *Quia dicitur dari ad mensuram.*

§. XXVIII. III.) *Gratia dicitur dari ad mensuram ab ipso Christo.* Eph. IV. 7. *Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. At benevolentia Dei non datur ad mensuram neque a Christo.* Resp. fatemur, gratiam in hoc dicto usurpari pro donis per gratiam datis, probandum erat, in propria sede hujus articuli de justificatione eodem modo accipi.

4.) *Quia comparatur essentiae quae datur per creationem.*

IV.) *Gratia comparatur essentiae, quae datur per creationem, inde enim dicimur creari in Christo,* Eph. II. 10. *& esse nova creatura.* Gal. VI. 15. *Atqui id, per quod creaturae dicimur, intimum & inhaerens est.* Resp. Eph. II. 10. & Gal. VI. 15. agitur de regeneratione, quæ fit fide in Christum, hanc apostolus vocat creationem, cum sit veluti secunda creatio. Regeneratio illa est opus divinæ gratiæ, quæ nec præcedentia nec sequentia merita nostra respicit, sed gratis propter Christum nobis contingit. Quemadmodum nemo quidpiam confert, ut generetur: ita quoque ad spiritualem regenerationem nihil plane ex penu nostrarum virium conferre possumus. Cum hac regeneratione individuo nexu conjuncta est renovatio, per quam natura nostra incipit legi divinæ conformari, sed propter illas novas qualitates non regeneramur, Deo reconciliamur, & ad hæreditatem vitæ æternæ adoptamur, quin potius requiritur, ut prius per fidem in Christum mediatorem Deo reconciliemur, per Spiritum sanctum regeneremur, & ex gratia propter Christum accipiamus *υἱοθεσίαν*, antequam in operibus bonis ambulare possimus. V.) *Gratia comparatur luci.* 2 Cor. VI. 14. *Quae participatio justitiae cum iniquitate? quae societas luci cum tenebris?* Eph. V. 8. *Lux estis in Domino.* 1 Joh. II. 9. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est. At certe lux non facit corpus lucidum, nisi inhaereat. Quomodo ergo potest homo justificatus dici lucidus, si adhuc tenebrae peccatorum in ipso haerent, & gratiae lux extrinsecus manet?* Resp. in illis dictis non proprie gratia justificans, sed renati ex gratia justificati dicuntur lux in Domino & in luce esse. Fatemur autem libenter, renatos a tenebris ignorantiæ peccatorum & æternæ mortis liberatos ac a Deo illuminatos esse, sed ex eo nondum sequitur, quod gratia justificans sit inhærens quædam qualitas. Christus ipse dicitur *lux vera*, Joh. I. 9. *lux mundi*, Joh. VIII. 12. nec tamen est qualitas nobis inhærens. An remissio peccatorum sit totalis deletio peccatorum, ita, ut de illis nihil maneat reliquum, an vero indulgentia Dei peccata non imputantis ad damnationem, alibi expositum est. Nec dicimus gratiæ lucem extrinsecus manere, sed interiorem illuminationem nobis conferre, quid vero ex eo accedit causæ Bellarmini?

5.) *Quia comparatur luci.*

6.) *Quia dicitur caritas in cordibus diffusa.*

VI.) *Gratia justificans dicitur caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum;* Rom. V. 5. *quod Augustinus exponit de caritate, qua nos Deum diligimus.* Et Rom. VIII. 10. *Per gratiam justificantem vivere dicimur: Spiritus vivit per justificationem. At non recte dicimur vivere per extrinsecum Dei favorem, cum nihil sit magis intimum quam vita.* Resp. in priori dicto apostolus confirmat hanc propositionem, quod spes non confundat, argumento eo, quod caritas Dei, qua nos ut filios diligit, amplissimum habeat testimonium in cordibus nostris per Spiritum sanctum, quo donati sumus, perinde ut 1 Joh. IV. 13. dicitur: *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de*

Spiritu suo dedit nobis. v. 16. *Nos cognovimus & credidimus caritati, quam habet Deus in nobis.* Proinde non potest hic intelligi caritas nostra, qua Deum complectimur, quæ non est immotum illud spei nostræ fundamentum, sed spes nostra fundatur in caritate Dei, qua nos *diligit in dilecto* Eph. I. 6. Dicitur illa *caritas diffusa in cordibus nostris* quoad effectum, non quoad *subjectivam* inhæsionem vel inhærentiam. Adde, quod in sequente v. 8. apostolus diserte se ipsum explicet, de qua caritate loquatur, videlicet de illa, quam commendavit in eo, quod Christus pro nobis mortuus, cum adhuc essemus peccatores. Hanc interpretationem nostram confirmat connexio textus, & sequuntur eam Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, glossa ordinaria &c. imo communiter omnes teste Dominico Soto in hunc locum. (*) Demus vero ex hypothesi caritatem nostram hic intelligi, num propterea gratia, qua justificamur, erit illa caritas? num apostolus dicit per & propter illam caritatem nos justificari? In posteriori dicto nulla fit mentio gratiæ justificantis, est ergo a quæstione alienum.

§. XXIX. Referenda in hunc locum ea, quæ Bellarminus disputat libr. I. de gratia & libero arbitrio, cap. 4. ut probet, gratiam gratum facientem esse qualitatem per modum habitus in homine permanentem. I.) Rom. V. 19. *Per obedientiam hominis unius justi constituentur multi; hoc est, merito obedientiae Christi reconciliatur nobis Deus, & ab eo justitia donamur, quae est qualitas animae nostrae infusa & inhaerens, id quod ex antithesi verborum apostoli probatur. Constat enim, nos non constitui peccatores per imputationem injustitiae, quae fuit in Adamo, sed per injustitiam vere nobis inhaerentem per modum habitus.* Resp. de hoc dicto apostolico egimus superius §. 11. & 26. (**) Hac vice monemus, apostolum eo loco, quo nos Christi obedientia justos constitui dicit, non habere nomen gratiæ, argumentum igitur est a quæstione alienum. Antithesis non est extendenda ultra comparationis tertium. (***) Scopus apostoli est monstrare fontem ac originem utriusque extremi, justitiæ & injustitiæ, quarum hæc ab Adamo, illa a Christo nobis contingat.

Rom. V. Per obedientiam unius justi constituentur multi.

II.) Joh. IV. 14. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Fons iste est gratia a Spiritu sancto inhabitante diffusa, quae per modum habitus animae inhaeret, ex qua fluunt rivuli bonorum operum.* Resp. sicut in prophetis doctrina de pœnitentia & remissione peccatorum sæpe proponitur sub *methaphora* sitis, terræ sterilis seu aridæ & aquæ refrigerantis, refocillantis & vegetantis: Esa. XII. 3. cap. XXXV. 7. cap. XLIV. 3. cap. LV. 1. Jer. II. 13. Ezech. XLVII. 1. Joel. III. 18. Zach. XIV. 8. ita quoque Christus hoc loco sub illis figuris concionatur Samaritanæ ad aquam hauriendam egressæ de aqua viva, per quam intelligitur *primo* caritas & misericordia Dei Patris erga nos in Christo, *deinde* meritum & gratia, cujus plenitudo erat in Christo, *tertio* quod beneficia illa per Spiritum in credentes effunduntur ad remissionem peccatorum & vitam æternam, Joh. VII. 38. Vocatur autem *aqua viva*

Joh. IV. Aqua, quam ego dabo, fiet fons aquae, &c.

(*) Cajetanus itidem nostram interpretationem amplectitur, Pererius, Origenem secutus, utramque amplectitur disp. II. in cap. V. Rom. num. 9. Idem ibidem num. 8. *Sive legamus diffusa, non aliud ea voce significatur, nisi quod caritas Dei aperte ac evidenter declarata est per multa & variae dona Spiritus sancti, quae in nos effudit, id est, large, copiose ac abundanter contulit.* GERHARDUS.

(**) Carletonus in libr. de consensu ecclesiæ cathol. contra Tridentinos parte IV. cap. 4. pag. 425. ostendit, *Bellarminum λάυσατα hoc loco scribere, quando statuit justitiam nobis a Deo donatam ex merito obedientiae Christi & justitiam nobis inhaerentem, quam homo nondum reconciliatus Deo mereri potest ex congruo.* GERHARDUS.

(***) *Imputatio peccati* non est neganda, quia minatur Deus Exod. XX. 5. *se visitaturum iniquitatem patrum in filiis &c.* id fieri non potest, nisi impiis & impœnitentibus filiis imputando peccata parentum. Rom. V. 13. *peccatum non imputabatur, cum lex non esset*, ergo lex hoc facere potest, ut peccatum imputetur. GERHARDUS.

viva tum ratione *fontis*, qui est in Christo, tum ratione *effectus*, est enim aqua vivificans, qua sitis agnitione peccatorum & sensu iræ divinæ excitata restinguitur, ne in æternum ea torqueamur; Luc. XVI. 24. sed habeamus vitam æternam. Hæc Chemnitius cap. XXXII. harmon. pag. 212. Demus vero, per aquam intelligi donum aliquod creatum & inhærens, num ex eo statim sequitur, quod donum illud intelligatur in dictis scripturæ, quæ nos gratia justificari asserunt, aut quod donum illud sit id, quod nos coram Deo justificet? Sane fides est veluti fistula ex fonte aquæ vivæ, qui est Christus, justitiam & consolationem hauriens, interim tamen fons & perennis scaturigo manet in Christo; sane ex fide promanant rivuli bonorum operum, quibus ex gratuita Dei promissione proposita sunt æterna in nobis præmia: interim tamen illud non contingit ex quodam merito. III.) Rom. V. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum; jam vero donum in corde effusum non potest dici externus Dei favor, sed aliquid ipsum cor attingens, purgans & renovans, quod est gratia habitualis.* Resp. de hoc dicto egimus §. præcedente. Nec est, quod Bellarminus urgeat vocem ἐκκέχυται, quasi non possit hoc intelligi de caritate, qua nos Deus complectatur. Audiat enim Chrysostomum in h. l. *cum dixisset* (apostolus): *Spes non pudefacit, addidit & demonstrationem, inquiens, quod dilectio Dei effusa est in cordibus nostris. Nec dixit, data est, sed effusa est in cordibus nostris, liberalitatem ostendens. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit: non cœlum; non terram, non mare; sed quod his omnibus antiquius ac pretiosius erat, & angelos ex hominibus & Dei filios & Christi fratres effecit. Quid autem hoc est? Spiritus sanctus. Quod si nollet magnis nos coronis post labores donare, nunquam ante ipsos labores tot tantaque donasset bona, nunc vero dilectionis suae fervorem hinc declarat, quod non sensim ac pedetentim nos honestavit, sed cumulate ac plena manu bonorum fontem effudit, idque ante ipsa certamina. Quamobrem ut etiam non sis admodum dignus, ne desperes, cum magnum in causa patronum habeas judicis dilectionem, idcirco enim & ipse per haec verba: Spes non pudefacit, non ad nostra merita, sed ad Dei dilectionem caritatemque erga nos totius negotii laudem retulit.* Hæc Chrysostomus, cujus explicatio congruit cum vaticiniis propheticis, in quibus itidem vox *effundendi* de donatione Spiritus sancti usurpatur, ex quibus apostolus eam desumsisse videtur. Esa. XLIV. 3. *Effundam aquas super sitientes.* Ezech. XXXVI. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab iniquitatibus vestris.* Joel. III. 1. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Zach. XII. 10. *Effundam super domum David Spiritum gratiae & precum.*

Rom. V. Caritas Dei diffusa est.

IV.) *Gratia comparatur pignori & sigillo:* 2 Cor. I. 22. *unctioni:* 1 Joh. II. 20. *semini;* cap. III. 9. *rebus videlicet creatis & permanentibus. Quid enim est semen Dei in nobis nisi caritas habitualis?* Resp. per sigillum, pignus & unctionem in illis dictis ipse Spiritus intelligitur, qui in renatis habitat, & promissiones evangelii in cordibus ipsorum obsignat, id quod ex ipsis verbis apostoli manifestum, 2 Cor. I. 22. *Deus signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, id quod sic exponitur: Eph. I, 13. *Obsignati estis Spiritu promissionis sancto*, v. 14. *qui est pignus hereditatis nostrae.* Eph. IV. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis.* 1 Joh. II. 27. *unctio docet vos de omnibus.* Demus autem, gratiam Dei in his dictis intelligi, detur nobis vel potius ipsi veritati, gratiam *justificationis* a gratia *renovationis* esse distinguendam. Gratia *justificationis* nihil aliud est, quam gratuita Dei misericordia, qua credentes in Christum amplectitur, condonat illis peccata, acceptat in filios & heredes vitæ æternæ: hanc gratiam obsignat Deus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui *testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei*, Rom. VIII. 16. Gratia *renovationis* est, quæ priorem gratiam sequitur, non quidem tempore, sed ordine natu-

Gratia comparatur pignori, unctioni & semini.

turæ, hæc consistit in interiori mentis ac voluntatis ἀνακαινώσει, quæ cum in hac vita nunquam sit tam plena ac perfecta, ut nullo amplius indigeat incremento, ideo in ea non potest quæri vel constitui nostra coram Deo justificatio. V.) *Patrum dicta & rationes*, quas Bellarminus hoc loco adducit, nihil aliud probant, quam quod Deus ex gratia in illis, quos justificat & salvat, per Spiritum sanctum ad interiorem renovationem efficax sit, justitiam novæ obedientiæ & satisfactionem in illis operando: sed ex eo nondum sequitur, quod propter illam sive habitualem, sive actualem justitiam coram Deo justificemur (*).

An gratia gratum faciens distinguatur ab habitu caritatis?

§. XXX. Cap. 6. probare conatur Bellarminus, *gratiam gratum facientem realiter non distingui ab habitu caritatis.* Fatetur autem non convenire in hac quæstione theologorum sententias, quarum ipse quatuor enumerat. *Quidam* (inquit) *volunt gratiam gratum facientem esse habitum re & ratione a caritate distinctum, & gratiam quidem in ipsa animæ substantia, tanquam in subjecto sedem habere, caritatem in voluntate.* Thomas in 1. 2. q. 110. art. 3. & Cajetanus ibidem, Capreolus in II. sentent. dist. 26. Dominicus a Soto libr. II. de nat. & gratia. cap. 17. *Alii distinctionem inter gratiam & caritatem non realem, sed formalem constituunt.* Alensis part. III. q. 69. membr. 2. Albertus & Bonaventura in II. sentent. dist. 26. *Alii gratiam & caritatem neque re ipsa, neque formaliter; sed tantum ratione distinguunt.* Richardus, Scotus, Mayro, Biel & alii in II. dist. 26. Andreas Vega libr. VII. concil. Trident. cap. 25. *Alii denique nihil interesse volunt inter gratiam & caritatem, ac solo nomine distingui affirmant.* Durandus II. sent. dist. 26. Potuisset addere quintam sententiam, quæ est Bielis II. sent. dist. 26. q. 11. quod *gratia gratum faciens & caritas differant in connotato, licet realiter sint indistincta & subtractive idem significent.* Beccanus cap. V. de justif. *parum* scribit *referre, sive dicas cum Thoma realiter distinctam esse gratiam a caritate, sive id ipsum neges cum Scoto, quia neutrum ex scripturis aut concilio Trident. efficaciter convinci aut condemnari possit.* Vides argumentum papistici consensus toties a Bellarmino deprædicati. Nec est, quod obvertat, hanc controversiam non pertinere ad catholicam fidem, ut in principio hujus capitis loquitur, quid enim magis ad fidem pertinet, quam scire, quidnam illud sit, per quod *formaliter* coram Deo justificamur, sine ipsa caritas, vel aliud a caritate distinctum? Bellarminus amplectitur tertiam sententiam, quæ gratiam & caritatem non quidem re ipsa vel *formaliter*, ratione tamen distinguit. *Resp.* caritatem ad gratiam renovationis sive gratiam *habitualem* pertinere non negamus, eam vero esse gratiam gratum facientem, sive per aut propter eam nos coram Deo justificari, totis viribus negamus, quod cum ex quibusdam scripturæ dictis male detortis Bellarminus probare conetur, breviter ea excu-

(*) Thomas, postquam argumenta quædam pro more objecerat, cum tandem contra objectiones illas sententiam suam statuere cœpit, miriſico prorsus innititur fundamento. Sic enim refert 1. 2. q. 150. art. 2 *Sed contra est, quod super illud*: Psalm. CIII. *ut exhiberet faciem in oleo, dicit glossa, quod gratia est nitor animæ sanctum concilians amorem, sed nitor animæ est quædam qualitas, sicut & pulcritudo corporis. Ergo gratia est quædam qualitas.* Atqui Glossæ ordinariæ auctoritas non est sacrosancta in ecclesia. Nec glossæ sententiam recte retulit Aquinas, nam integra glossæ verba sic habent: *Gratia ergo & nitor quidam, qui est ad hominis conciliandum sanctum amorem, oleum dicitur.* Sed & glossator ipse Augustini sententiam quoque eo loco referre voluit, non corrumpendi, sed abbreviandi studio, ab auctoris mente detorsit. Augustini enim verba sunt: *Quid est exhilaratio faciei in oleo? gratia Dei, nitor quidam in manifestatione, sicut dixit apostolus: Unicuique datur Spiritus ad manifestationem.* Atqui apostolus eo in loco 1 Cor. XII. 7. non agit de gratia justificante, sed de donis Spiritus sancti. Observa ex Aquinate, hanc opinionem enatam ex hominum ingeniis sine scripturæ testimonio. Nam si potuisset hæc sententia vel scriptura vel patrum testimonio confirmari, non dubium est, quin ea adducturus fuerit Thomas, nec in glossatoris verbis hæsurus. GERHARDUS.

excutiemus. Argumentum ipsius est hujusmodi: *Quibus eadem tribuuntur, illa sunt omnino eadem, nec nisi sola ratione distinguuntur. Atqui gratiae gratum facienti & caritati eadem tribuuntur. Ergo sunt omnino eadem.* Resp. *Major* non est universalis, neque enim ea, quæ in quibusdam conveniunt, statim omnimode sunt eadem, unus idemque effectus diversis causis vel concurrentibus vel subordinatis tribui potest; sed transeat propositio *major*, quomodo Bellarminus probat *minorem*? I.) *Gratia dat esse quoddam supernaturale animae, ex quo dicitur homo filius Dei per participationem & divinae consors naturae, id vero totum tribuitur caritati,* 1 Joh. III. 1. *Videte, qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* 1 Joh. IV. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Resp. gratia justificationis efficit nos Dei filios non per infusionem cujusdam habitus supernaturalis, cujus tanta sit dignitas ac tantus valor coram Dei judicio, ut propter illum nos in gratiam recipiat, & in filios acceptet; sed *per fidem in Christum reddimur Dei filii*; Joh. I. 12. ac *diligimur in dilecto*, Eph. I. 6. Fundamentum illius dignitatis ac meriti, propter quod υἱοθεσίας participes reddimur, est in Christo, non in nobis aut in habitu quodam nobis infuso. Gratiæ igitur sive misericordiæ Dei in Christo nos diligentis tribuitur υἱοθεσία, nunquam vero & nuspiam caritati eadem tribuitur. Prius enim dictum non de nostra, sed de Dei caritate diserte loquitur: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater*, ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν, hoc est, quam caros & gratos nos habuit, videlicet in Christo, dilecto Filio suo. Lutherus rectissime vertit: *Sehet, welche eine Liebe hat uns der Vater erzeiget*, nimirum ut simus filii Dei, idem est, quod Joh. I. 12. dicitur: ἐξουσίαν *dedit filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* Eadem phrasi dicitur: Rom. V. 11. *Reconciliationem accepimus per Christum*, id est, reconciliati sumus. In posteriore dicto dilectio nostra non ut causa υἱοθεσίας, sed ut nota proponitur, ex qua filii Dei agnoscimur, perinde ut 1 Joh. III. 14. dicitur: *Scimus, quod translati simus de morte ad vitam, quia fratres diligimus*, Augustinus in h. l. *Quid scimus? quia transivimus de morte ad vitam. Unde scitis? quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transit a morte ad vitam.* II.) *Tunc accipit homo illud esse supernaturale, cum regeneratur ac fit nova creatura. Id vero fit per caritatem, nam semen, ex quo renascimur, est verbum Dei.* 1 Petr. I. 23. Jac. I. 18. *Verbum illud gignit proprie fidem, eamque vivam, quae per dilectionem operatur.* Gal. V. 6. *Fides ergo viva, id est, cum caritate, est id, per quod renascimur.* Resp. rectissime dicitur, nos regenerari per fidem, ac semen, ex quo renascimur, esse verbum Dei, nec abnuimus, fidem illam, per quam renascimur, quæque ex semine verbi oritur, esse vivam & efficacem, sed vitam & efficaciam regenerandi non accipit a caritate, sed a Christo, quem adprehendit. Est enim duplex fidei ἐνέργεια, *una*, qua in Christum mediatorem verbo evangelii monstratum recumbit, ejusque beneficia adprehendit, *altera*, qua per caritatem operatur. Gal. V. 6. Regeneramur & justificamur fide, non ratione posterioris ἐνεργείας, sed quatenus Christum mediatorem adprehendit. Vera fides & caritas, regeneratio & renovatio, justificatio & sanctificatio perpetuo quidem nexu sunt conjuncta, interim tamen cuique tribuendum, quod suum est. III.) *Gratiae proprium est facere hominem Deo dilectum: at* Prov. VIII. 17. *legimus: Ego diligentes me diligo; &* Joh. XIV. 21. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.* Resp. nostram dilectionem non esse dilectionis divinæ causam evidenter adferitur 1 Joh. IV. 10. *In hoc est caritas, non, quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* v. 19. *Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos.* Ostendit idem res ipsa, quomodo enim homo peccator Deum diligere posset, cujus judicio ad æternam damnationem tenetur obnoxius, nisi prius reconciliatio antegrediatur? Ergo in adlatis dictis non describitur causa dilectionis divinæ, sed ex consequente effectu describuntur, qui sint illi, quos Deus diligit, nimirum hi, qui Deum diligunt, hoc

est, vera fide & caritate ipsi adhærent: ideo additur in antithesi, v. 24. *Qui non diligit me, sermonem meum non servat.* Est igitur perpetua, ut ita loquar, reciprocatio dilectionis inter Deum & pios homines, sed vera illa Dei dilectio non habet in nobis locum, antequam fide in Christum ipsi reconciliemur. *IV.) Gratia est vita animae, at caritas itidem est vita animae.* 1 Joh. III. 14. *Qui non diligit, manet in morte, & nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Resp. translationis illius beatissimæ ex morte in vitam causa est Dei gratia, credentes in Christum ad vitam gratis acceptans. Eph. II. 4. *Deus, qui est dives in misericordia propter caritatem suam nimiam, qua dilexit nos*, v. 5. *convivificavit nos in Christo, gratia enim estis salvati.* Joh. V. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in judicium non venit, sed ex morte transivit in vitam*; nota autem ac testimonium illius μεταβεσεως est dilectio nostra, veræ fidei comes individua. *Scimus*, dicit Apostolus, *nos ex morte translatos in vitam, quia diligimus fratres.* Vides non translationis, sed scientiæ de translatione causam constitui dilectionem. *V.) Gratia dicitur donum illud, per quod in nobis habitat Spiritus sanctus, at* Rom. V. 5. *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Resp. Idem, qui ex gratia justificat, dat etiam ex gratia Spiritum sanctum, sed donationem illam Spiritus sancti in nobis habitantis præcedat oportet nostra cum Deo per fidem in Christum reconciliatio. Ostendimus etiam superius, caritatem Dei, non nostram hic intelligi. *VI.) Per gratiam justificamur. At* Luc. VII. 47. *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Resp. ostendimus in loco de pœnitentia §. XCI. *particulam ὅτι* esse *ratiocinativam*, cum Christus ab effectu ad causam ratiocinando progrediatur. Ex his judicium fieri potest de reliquis, quæ in hoc capite Bellarminus adfert, perpetuo enim confundit justificationem & renovationem, causam & effectum, τὸ fieri & τὸ agnosci.

CAPUT II.

DE CAUSA MERITORIA JUSTIFICATIONIS.

Causa meritoria justificationis.

§. XXXI. Diximus hactenus de causa *efficiente* principali justificationis, quæ est gratia Dei; sequitur, ut agamus de causa justificationis *meritoria*, quæ est ἀπολύτρωσις per Christum facta. Rom. III. 24. *Justificamur gratis ejus* (Dei) *gratia, per redemtionem factam per Christum Iesum*, v. 25. *quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus.* Idem vero est, sive dicatur, Christum mediatorem ac redemtorem nostrum esse causam meritoriam justificationis, sive obedientiam & satisfactionem Christi esse loco meritoriæ causæ habendam, quia Christus ut mediator ac redemtor, id est, ratione suæ obedientiæ ac satisfactionis hic consideratur. Quare autem post lapsum necessaria fuerit obedientia & satisfactio Christi mediatoris ad nostram justificationem, id ex eo intelligi potest. Deus non solum misericors, sed etiam justus est. Syr. V. 7. ἔλεος καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ. Augustinus in Psalm. C. *Homines quando judicant, aliquando victi misericordia faciunt contra justitiam, & videtur in eis esse misericordia & non esse judicium, aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiae perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiae bonitatem.* Leo serm. I. de jejun. decimi mensis: *In Dei operibus atque judiciis nihil vacat a veritate justitiae, nihil a miseratione clementiae.* Quare cum Deus non sit solum misericors & benignus, sed etiam justus, imo ipsa justitia, odio habens & puniens peccata, ideo ne ipsius justitia per peccatum læsa veniret in discrimen, intercedere oportuit perfectam pro peccatis satisfactionem, sine qua non poterat genus humanum peccato contaminatum in gratiam recipi. Esa. I. 27. *Sion in judicio redimetur & captivi ejus in justitia.* Vicissim cum Deus sit ipsa

ipsa immutabilis & æterna veritas, & vero disertum exstet comminationis edictum: *Quacunque die ex arboris vetitae fructibus comederis, morte morieris;* Gen. II. 17. ideo postquam homo per præcepti divini transgressionem judicio Dei ac peccatorum pœnis obnoxius erat factus, ex immensa & ineffabili Dei misericordia facta est quædam translatio, ut pœnas peccatorum nostrorum Christus in se reciperet, ne divinæ veritatis gloria labefactaretur.

A quibusdam dicitur causa impulsiva externa.

§. XXXII. Hoc justificationis & salutis nostræ meritum a Christo præstitum, quidam vocant causam *impulsivam externam*, quæ scilicet moverit Deum, ut credentes in Christum ab æterno elegerit ad salutem, eosque in tempore justificet & salvet: ubi tamen addendum est, satisfactionem & obedientiam Christi hic considerari, ut est non nudi hominis, sed ipsius Filii Dei satisfactio & obedientia, qui a Patre non est divisus nec separatus, sed *essentialiter* unum cum Patre, Joh. X. 30. Unde notanter dicit scriptura: *Deus suo sanguine ecclesiam redemit*, Act. XX. 28. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato;* 1 Joh. I. 7. nimirum, ut ostendat satisfactionem & obedientiam Christi inde & ideo esse tantæ efficaciæ, ac tanti coram Deo pretii, quia est ipsius Filii Dei satisfactio & obedientia. Cum enim hanc ἀπολύτρωσιν nec hominum nec angelorum quisquam præstare posset, siquidem homines & angeli jam ante ad obedientiam Deo præstandam, homines insuper ad pœnas pro peccatis sustinendas obstricti erant, ideo mediatoris partes in æterno sacrosanctæ Trinitatis consilio ipse Dei Filius in se suscepit, ac in plenitudine temporis homo factus. *Legi semet ipsum subjecit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus;* Gal. IV. 4. & 5.

Ut & causa materialis.

§. XXXIII. Quidam hanc Christi mediatoris obedientiam vocant causam *materialem* justificationis, cujus partes seu gradus insigniores sint incarnatio, passio ac mors, resurrectio & adscensio. Lobechius disp. VII. in Aug. confessionem th. 37. Zehnerus in comp. theol. & alii. Hi respectum habent non tam ad meritum, quam ad ipsam adplicationem: quam enim Christus mediator obedientiam nostri loco Deo præstitit, ea in actu justificationis per fidem nobis adplicatur, proinde quando quæritur, quid sit illud, per quod ac propter quod sit justitia sive obedientia & satisfactio Christi per fidem nobis imputata? Ut rectius id percipiatur, notandum, quod Christus sub tribus potissimum rationibus ad justificationem nostram concurrat. 1.) *Meritorie*, ipse enim sanctissimo & perfectissimo suo merito gratiam justificationis nobis impetravit. 2.) *Efficienter*, neque enim a peccatis solum, morte ac diabolo nos liberavit, & justitiam, quæ coram Deo valet, nobis peperit, sed etiam pretiosa ista bona tam care adquisita in verbo evangelii nobis offert & per fidem adplicat. 3.) *Formaliter* in ipsa adplicatione, siquidem nulla alia re coram Deo sumus justi, quam justitia a Christo adquisita & per fidem nobis imputata.

An Christus mediator sit instrumentum justificationis?

§. XXXIV. Illorum vero sententiam probare non possumus, qui Christum mediatorem ac redemtorem vocant instrumentum *justificationis*. Bellarminus libr. I. de justif. c. 2. *Causa efficiens per modum instrumenti conjuncti est Christi humanitas.* Quamvis enim in exsequendis officii mediatoris partibus Christus *obediens factus sit Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. II. 8. atque hoc respectu dicatur *Dei servus;* Esa. LIII. 11. tamen cum actiones & passiones Christi mediatoris ac redemtoris non sint humanæ tantum naturæ, sed toti personæ tribuendæ, ideo in ipso illo mediationis ac redemtionis officio Christus est & manet *auctor* ac dator *vitae*, Act. III. 15. *Dominus gloriae*, 1 Cor. II. 8. *Jehovah justitia nostra;* Jer XXIII. 6. & XXXIII. 16. ideo instrumentum justificationis vocari haudquaquam debet. (*) Per Christum

(*) Cornelius a Lapide in comm. cap. [illegible] *Sanguinem Christi, id est, [illegible] Christi vocat non meritoriam, sed instrumentalem justificationis causam.* GERHARDUS.

ſtum nobis parta eſt juſtitia & remiſſio peccatorum, non tanquam per inſtrumentum, ſed ut per eum, qui eſt unus cum Patre & Spiritu ſancto benedictus in ſecula. Nomina officii competunt Chriſto ſecundum utramque naturam. Jam vero eſſe mediatorem ac redemtorem noſtrum eſt nomen officii. Ergo competit Chriſto ſecundum utramque naturam. At quis Chriſtum ſecundum utramque naturam inſtrumentum juſtificationis dixerit?

Neo-Photinianorum error.

§. XXXV. Porro Chriſtum mediatorem ac redemtorem noſtrum eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis conſentiunt omnes, ſolos ſi excipias Neo-Photinianos (*), qui ſuperiori ſeculo blaſphemum hunc non tam errorem, quam furorem, eructarunt & publicis ſcriptis propugnare cœperunt. *Chriſtum nec per hoc, quod legi ſubditus perfecta eam obedientia implevit, nec quod pœnas peccatis debitas ſuſtinuit, vel iram Dei placaſſe, vel juſtitiae ſatisfeciſſe, imo ne quidem ſatisfactione opus fuiſſe, cum Deus libera voluntate & abſoluta bonitate non ob meritum aliquod Filii peccata condonet, & vitae aeternae participes faciat illos, qui Chriſti verbo credunt & vitae innocentiae ſtudent: Chriſtum quidem perfecte impleviſſe legem, ſed ad obedientiam illam pro ſemet ipſo adſtrictum fuiſſe: Chriſtum dici redemtorem noſtrum, id vero de metaphorica quadam redemtione intelligendum eſſe, in qua peragenda nullum intervenerit pretium: Chriſtum dici ſalvatorem noſtrum, non quia pro peccatis noſtris ſatisfecerit, ac vitam aeternam nobis promeruerit, ſed quia ſalutis viam nobis adnunciaverit, eandem effuſione ſanguinis ſui confirmaverit, & exemplo ſuo praemonſtraverit: denique quia poteſtate a Patre accepta vitam aeternam nobis ſit daturus.* Hæc omnia infaustus ille Fauſtus Socinus, Neo-Photinianorum πρόμαχος, inculcat in libr. de Chriſto ſervatore libr. I. cap. 1. & ſeqq. editis anno 1594. *Divinae* (inquit) *juſtitiae, per quam peccatores damnari merentur, pro peccatis noſtris Chriſtus nec ſatisfecit, nec, ut ſatisfieret, opus fuit* (**). Socini veſtigia ſequuntur Chriſtophorus Oſtorodus in ſcripto germanico adverſus Georg. Tradel. edito anno 1602. ac Smalcius in catecheſi germanica Racoviæ edita anno 1608. cap. 8. pag.

(*) Concedunt quidem, Chriſtum eſſe noſtrum ſervatorem 1.) *doctrina*, quatenus ſalutis æternæ viam nobis adnunciavit; 2.) *exemplo*, quatenus iſtam viam nobis in ſua ipſius perſona commonſtravit, & a mortuis reſurgendo manifeſte confirmavit; 3.) *communicatione*, quatenus pleniſſima poteſtate in cœlo & terra a Patre accepta, ſe vitam æternam nobis daturum probavit & re ipſa tandem largiturus eſt. Negant vero eſſe ſervatorem 4.) *ſatisfactione*, qua mediante morte & paſſione peccata noſtra expiarit, iram Dei placarit, noſque cum illo reconciliarit. GERHARDUS.

(**) Vide librum Bernhardini Ochini monachi Senenſis (†), quem *invictum* proclamant in diſp. adverſus Volanum p. 112. diſputationem de loco Rom. VII. inter Proſperum Dyſſidium & nobilem quendam a. 3. Item tractatus aliquot chriſtianæ religionis editos falſo titulo Ingolſtadii anno 1573. Item ſynopſin juſtificationis noſtræ per Chriſtum auctore Gratiano Turpiano Gerapolenſi, editam Gerapoli anno 1591. cujus auctor Socinus, ut ipſe teſtatur in præfat. libr. de Chriſto ſervatore. Socinus in præl. theol. Heidelb. academ. Smalcio inſcriptis anno 1609. GERHARDUS.

(†) Fuit is primum Franciſcanus, deinde Capucinus, hujusque familiæ præfectus. Deſerta religione Romana ad Reformatorum caſtra tranſiit, atque Tiguri cœtum ex Italis collectum docuit. Plurimos quoque edidit libros, in quibus varias ſententias a mente eccleſiæ Reformatæ alienas propugnare haud dubitavit. Hinc ex Helvetia ſenex admodum & inops medio in rigore hiemis excedere fuit coactus, ſeque in Poloniam contulit, ubi ad Antitrinitarios atque Anabaptiſtas defecit. De ejus erroribus diximus nonnulla ad GERHARDI *tom. IV. loc. theol. p. 129. nor. 4.* Vitam & fata hujus viri enarrarunt SANDIUS in *bibliorh. Antitrinitar. p. 4. ſeqq.* BAYLE in *dict. hiſt. & crit. tom. III. p. m. 520. ſeqq.* & NICERONIUS in *memoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres, tom. XIX. p. 166. ſeqq.*

pag. 261. ubi adseritur, *sententiam illam de Christi satisfactione ac merito esse erroneam, scripturis sacris & rectae rationi contrariam, plenam seductionis & perniciosam* (*).

Occasio erroris.

§. XXXVI. Occasio blasphemi hujus erroris animadvertitur potissimum duplex: I.) Abnegatio divinitatis Christi. Cum enim Michael Servetus Hispanus circa annum Christi 1532. errorem Samosateni & Photini de deitate Christi renovaret, vestigiis illius Neo-Photiniani illi insistentes una cum divina Christi natura etiam satisfactionem ejus pro peccatis nostris praestitam negare coeperunt; cum enim nudus homo ἰσόῤῥοπον pro peccatis λύτρον persolvere non potuerit, ideo negata divinitate Christi satisfactionem ejus negari in proclivi est. II.) Absolutum electionis decretum, quod propugnant Calviniani. Si enim absoluta Dei voluntate

(*) Anno Christi 1140. quidam M. Petrus Abaelardus satisfactionem Christi strenue negavit (†), cui deinde adsensere Arnoldus quidam de Brixia & Gilbertus Pictavienses episcopus cent. Magd. XII. cap. V. fol. 849. Anabaptistae eundem fovent errorem (††), referentibus Wigando & Menio. Smalcius in catech. cap. de Christi sacerd. p. 227. nostram doctrinam de Christo satisfactionem vocat *fallacem, subdolam & erroneam, multisque modis perniciosam.* Valentinus Gentilis in thesibus (quae cum collegio theologico in academia Witeb. anno 1580. exhiberentur, dignae sunt habitae, ut comburerentur, referente Polycarp. Lysero in Calvin. conc. V. part. 2.) blasphemе scribit: *Christi sanguinem non magis ad salutem & justitiam aeternam nobis promerendam profuisse, quam cujusvis* (ignoscat Deus referenti) *porci ac canis sanguinem.* Ostorodus part II. contra Tradel. p. 208. 209. ait: *dogma de reali & vera satisfactione Christi pro peccatis nostris esse merum figmentum Trinitariorum.* p. 210. 211. abominatur ut βδέλυγμα illam doctrinam. Mich. Gitichius defens. argumentorum suorum contra doctrinam de satisf. Christi ad M. Lud. Lucium p. 62. *Quae de merito Christi dicis, mera sunt humana commenta, meae doctrinae hominum, quibus docendis frustra Deum coli ipsa veritas Christus Jesus asserat, & propterea etiam merito a nobis rejiciuntur.* Ostorodus in instit. germ. cap. 36. sententiam nostram *errorem* vocat *ridiculum, puerilem, blasphemum & anilem* pag. 310. 311. &c. Huic errori palliando totus intervit *Vorstius.* Vide libr. ipsius de Deo, ipsius prodromum, responsum plenius, orationem apologeticam, catalogum XCIX. errorum, exegesin apologeticam, paraseven, amicam collationem &c. In orat apolog. habita Hagae anno 1612. edit. Amstel. p. 27. statuit, *Deum remisisse de suo jure, nec mortis aeternae poenam a Christo exegisse, sed obedientiam ipsius tanquam aequipollentem loco satisfactionis plenae acceptavisse, ac si perfecta illa fuisset.* Ostorodus in instit. cap. 36. pag. 298. *So ist nun die Frag, ob in der Rechtfertigung durch Christum unsere Sünde durch eine Vergeltung und Gnugthuung oder aber durch die Vergebung und Verzeihung weggethan und auffgehaben werden. Der meiste Theil hält es dafür, daß solches nicht geschehe ohne Vergeltung und Gnugthuung, wir aber gläuben schlecht durch die Vergebung und Verzeihung.* Smalcius in exam. 157. errorum err. XLVI. p. 15. *nec hodie sub novo foedere cuiquam propter Christum peccata remittuntur, sed tantum per Christum.* Err. XLVII. p. ead. *Probari nequit, Deum tunc iratum fuisse, cum Christus in mundum mitteretur, imo placatum eum vel potius propitium sponte sua fuisse, constat, & in testimonium ejus, quod propitius nobis esset & esse vellet, Filium misit.* Errore LVIII. p. 18. *Quid opus fuit, Christum mereri nobis remissionem peccatorum, siquidem Deus eam sua sponte nobis obtulit? quomodo etiam aliquis eam mereri potuit, siquidem nullum detur apud Deum meritum? cum nullae detur obedientia par divinis promissionibus, quod ad meritum constituendum necessario requiritur.* (Vides fundamentum negati meriti a Christo praestiti.) Err. LXIII. p. ead. *Cum Christum sanguinem habuit, offerre se non potuit. Cum vero se offerre coepit, sanguinem habere desiit, factus scilicet in Spiritu vivificatus.* GERHARDUS.

(†) Conferenda, quae de PETRO ABAELARDO diximus *tom. IV. locor. theol. p. 121.* ubi & observavimus, fuisse viros quosdam doctos, qui ABAELARDUM si non ab omnibus, certe a quibusdam erroribus, qui ipsi olim fuerunt objecti, immunem fuisse judicaverint.

(††) De hocce *Anabaptistarum* errore copiose disseruimus *loco excitato p. 131.*

tate salvandi electi sunt ad vitam æternam, utique etiam absoluta Dei voluntate peccata illis remittuntur, vel certe remitti potuerunt, neque opus erit Christi satisfactione & merito. Vide Graweri dissertationem oppositam Ostorodo pag. 8. ubi luculenter demonstrat, stante dogmate de absoluto prædestinationis decreto non posse Neo-Photinianorum errorem solide refelli. Refero huc verba Calvini libr. II. instit. cap. 17. sect. I. *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quae possit Deum promereri.* Ut & Musculi in locis communibus cap. de justif. p. 267. *Si Deus judiciariae justitiae sic obstrictus est, ut non liceat ipsi, quorum vult, misereri & a peccatis absolvere reos, quod tamen permultos sibi principes & magistratus libere permittere videmus, consequitur insania esse, quaecunque in scripturis de gratia & misericordia Dei leguntur, nec tantum illi potestatis esse in ipsius creaturas, quantum est homini in subditos, imo minus quam est figulo in lutum.* Hæc Musculus, talem peccatorum remissionem introducens, quæ ex absoluta quadam Dei bonitate & libera voluntate contingat (*). His adde Nestorianas illas locutiones, quod *humana tantum natura Christi passa sit*, quod *non sit realis communicatio idiomatum*, quod *Christus pro se ipso obedientiam legi praestiterit*, quod *Christus non sit passus pro peccatis totius mundi* &c. & facile adparebit, quantum detrahatur Christi merito (**). Refero etiam huc disputationes scholasticorum quorundam, quod *Christus secundum strictum rigorem justitiae divinae non potuerit satisfacere* (***). Durandus IV. sent. dist. 15. quod *Deus possit sine satisfactione homini remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem.* Thomas III. q. 46. art. 2. quod *possit Deus remittere peccatum per solam non imputationem, ac proinde rationes Anshelmi in libris:* Cur Deus homo, *nihil probare nisi praesuppositâ divina ordinatione.* Biel III. sent. dist. 20. q. un. Hæc omnia si uno intuitu complexus fueris, facile adparebit, quæ occasio blasphemi hujus erroris Neo-Photinianis exstiterit.

§. XXXVII.

(*) Locum Wolffg. Musculi in quo docet, *Deum non minus absque satisfactione pro nudo beneplacito peccata condonare, quam creditor quispiam pro velle suo debitum remittere potest*; in locis comm. de justif. cap. III. maxime contra Covetum Calvinianum urget Faustus Socinus p. 224. Sicut & Calvinum ex propriis principiis acriter impugnat p. 221. 222. 227. 284. 285. Idem cum Musculo statuit Vorstius in catalogo errorum Sibrandi Luberti pag. 38. errore LXVI. ubi expresse scribit: *id ipsum remitti vere non posse, quod plena solutione jam deletum est; & vice versa, quod vere condonatum est, pro eo plenam solutionem juste exigi non posse.* Vide Piscatorem eleganter contra absolutum decretum suum ex his principiis disputantem in resp. apolog. ad paraen. Vorstii pag. 80. 81. GERHARDUS.

(**) Conrad. Vorstius in resp. ad. II. part. disp. Matth. Sladi p. 83. scribit, *quosdam ex doctoribus nostris non satis prudenter, imo nec satis orthodoxe de satisfactione Iesu Christi docere, ac specialim in duobus, quae sequuntur, capitibus graviter errare: 1.) dum non contenti libera Dei ordinatione, quae merito suis omnibus ubique sufficere debet, absolutam ac praecisam satisfactionis necessitatem urgent, quae scilicet a natura Dei immediate pendeat, hoc est, ab essentiali Dei justitia, per quam Deus necessario quodvis peccatum condigne punire teneatur, nec ullum omnino delictum gratis citraque plenissimam compensationem remittere possit. 2.) Dum non contenti aequipollentia eorum, quae Christus pro nobis perpessus fuit, ex Dei voluntate plenam quoque poenarum identitatem exigunt, hoc est, dum talem satisfactionis Christi modum describunt, qui summum juris divini rigorem arguit, omnemque veram Dei ἐπιείκειαν & acceptationem excludit, eoque mortem aeternam proprie dictam ac desperationem aliasque id genus poenas damnatorum proprias re ipsa Christo tribuunt. Haec talia dum inconsiderate adferunt, doctrinam satisfactionis non modo suspectam, sed & odiosam aliis ad rem pressius attendentibus reddunt &c.* Vide plura contra Christi satisfactionem a Vorstio disputata apud Festum Hominium de controv. Belgic. p. 74. GERHARDUS

(***) Legenda, quæ de his doctorum scholasticorum disputationibus *ad tom. IV. loc. theol. p. 122. seqq.* diximus.

Syllogismus generalis Neophotinianis oppositus.

§. XXXVII. Ceterum cum adcuratam & prolixam hujus furoris refutationem in academia Wittebergensi publice proposuerit Hutterus, quam propediem publici juris procul dubio facturus est, cum catechesin Racoviensem illustri illi academiæ inscribere χρισόμαχοι illi non fuerint veriti, ideo paucis fundamenta scripturæ huic blasphemæ opponenda monstrabimus, & præcipua contradicentium sophismata solum attingemus, reliqua peti possunt ex dissertationibus Graweri, Ostorodo oppositis, & anno 1609. editis. Sic ergo concludimus: Si Christus eo modo 1.) mediator ac 2.) redemtor noster est, ut sit 3.) ἱλασμὸς pro peccatis nostris, 4.) per quem sumus Deo reconciliati, 5.) qui vitam suam dedit λύτρον ἀντίλυτρον pro nobis, 6.) factus pro nobis peccatum, 7.) & maledictum, 8.) suscipiens in se peccata & pœnas peccatorum nostrorum, ac sanguinem suum pro illis fundens, 9.) ut deleto, quod contra nos erat, chirographo, 10.) a maledictione legis, 11.) ab ira Dei, 12.) & ab æterna damnatione liberi, 13.) in ipso coram Deo essemus justi & dilecti; consequens est, Christum pro peccatis nostris satisfeciisse, ac esse meritoriam causam justificationis. Sed Christus est I.) noster *mediator* 1 Tim. II. 5. Hebr. VIII. 6. cap. IX. 15. cap. XII. 24. & II.) *redemtor* Psalm. CXI. 9. Luc. I. 68. cap. II. 38. Rom. III. 24. 1 Cor. I. 30. Eph. I. 7. Col. I. 14. 1. Tim. II. 6. Hebr. IX. 12. & 15. 1 Petr. I. 18. Apoc. V. 9, eo quidem modo III.) ut sit ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis nostris*, 1 Joh. II. 2. ipse (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris*, (& vi propitiationis illius in ara crucis præstitæ intercedit pro nobis apud Deum) 1 Joh. IV. 10. *Deus misit Filium suum* ἱλασμὸν *propitiationem pro peccatis nostris.* Rom. III. 24. *Justificamur gratis illius* (Dei) *gratia per redemtionem, quae est in Christo Jesu* v. 25. *quem proposuit Deus* ἱλαστήριον *propitiatorium vel placamen per fidem in sanguine ejus*, (respicit apostolus ad propitiatorium vet. test. in arca fœderis, quod fuit typus Christi Exodi XXV. 17. IV.) Per Christum sumus Deo reconciliati (*). Esa. LXIII. 3. *Torcular calcavi solus* (puta torcular iræ divinæ, ita enim exponitur Apoc. XIX. 15. ubi Iohanni adparet Filius Dei, cujus nomen verbum Dei, is *indutus erat veste adspersa sanguine*, v. 13. nimirum quia *calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis*, v. 15. perinde ut apud Esaiam dicitur v. 1. *Quis est, qui venit de Edom, rubras vestes habens de Bazra?* v. 2. *Quare rubrum est vestimentum tuum & vestimenta tua sicut calcantis in torculari?* v. 3. *Torcular calcavi solus* &c. Christus igitur iram Dei peccatis nostris debitam in se derivavit, & hac ratione nos patri suo reconciliavit.) Joh. I. 17. *Lex* (quæ *iram operatur* Rom. IV. 15.) *per Mosen nobis data: gratia autem & veritas per Christum nobis facta est*, ἐγένετο. Rom. V. 10. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus:* v. 11. *per Christum reconciliationem accepimus.* 2 Cor. V. 18. *Deus reconciliavit nos sibi per Christum:* v. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi, non imputans illis delicta eorum.* Eph. II. 16. *Christus reconciliavit utrosque* (Judæos & gentes) *in uno corpore per crucem Deo, peremtis inimicitiis per eam.* cap. V. 2. *Tradidit se ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Col. I. 20. *in ipso* (Christo) *complacitum fuit, per eum reconciliari omnia in ipso, pacificando per sanguinem crucis ejus sive*

E 2 *quae*

(*) Photiniani sibi hac in quæstione vi veritatis coacti contradicunt. Joh. Sommerus in refut. Carolin. p. 33. *Christus tanquam agnus innocens & hostia pura sanguine suo in temporis plenitudine pro nobis litavit, suoque isto sacrificio, peccata nostra expiavit, Dei Patris iram placavit nosque jam mundatos ei obtulit* Valent. Smalcius in exam. 157. error. p. 16. *Fatemur, sanguinem Christi verum pretium esse redemtionis nostræ & vim pretii in nobis redimendis habuisse, quia vere id nobis præstitit sanguis Christi, quod pretium in aliquo redimendo captivo præstat.* pag. 17. *Num refert, quomodo redemtus sim sanguine Christi, dummodo per eum vere sim redemtus?* GERHARDUS.

quae in terris sunt, sive quae in cœlis: v. 22. *reconciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem.* V.) Christus vitam suam dedit λύτρον ἢ ἀντίλυτρον pro nobis (*). Matth. XX. 28. Marc. X. 45. *Filius hominis venit, ut daret animam suam λύτρον pro multis.* 1 Tim. II. 5. & 6. *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit se ipsum ἀντίλυτρον pretium redemtionis pro omnibus*: inde beneficium Christi passione ac morte partum dicitur λύτρωσις & ἀπολύτρωσις. Luc. I. 68. Tit. II. 14. 1 Petr. I. 18. Hebr. IX. 15. &c. VI.) Christus factus est pro nobis peccatum. 2 Cor. V. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, Deus fecit pro nobis peccatum*, nimirum quia pro peccatis nostris, quæ Deus ipsi *imposuit*, & velut agmine facto in ipsum incurrere fecit, Esai. LIII. 6. in ara crucis mortuus est, ut exponitur 2. Cor. V. 15. Rom. VIII. 3. *Deus mittens Filium suum in similitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne.* (Christus in adsumta carne sacrificium obtulit pro peccatis nostris expiandis) VII.) Christus factus est pro nobis maledictum. Gal. III. 13. *Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis κατάρα, maledictum; scriptum est enim, maledictus omnis, qui pendet in ligno.* VII.) Christus suscepit peccata & pœnas peccatorum nostrorum. Psalm. LXIX. 5. *quae non rapui, exsolvi.* (Augustinus in illum locum: *Non peccavi & pœnas dabam. Solus enim ipse talis, ipse vero nihil rapuit, non solum nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se evacuavit, ut ad nos veniret.*) Esa. XLIII. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare me fecisti in iniquitatibus tuis.* v. 25. *Ego ego sum, qui deleo praevaricationes tuas propter me.* Esa. LIII. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*; v. 5. *vulneratus est propter praevaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras, castigatio pacis nostrae super eum, & livore ejus sanati sumus.* v. 6. *Iehovah conjecit in ipsum iniquitates omnium nostrum.* v. 8. *Propter praevaricationem populi mei plaga fuit ei &c.* Joh. I. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit αἴρει peccata mundi.* 1 Pet. II. 24. *Christus peccata nostra ἀνήνεγκεν sursum tulit super lignum in corpore suo.* Huc pertinet hircus emissarius Lev. XVI. 23. qui *portabat super se iniquitates Israelitarum*, quem fuisse typum Christi, constat ex Joh. I. 29. IX.) Christus sanguinem suum pro peccatis nostris effudit. Matth. XXVI. 28. *Hic est sanguis meus, qui effunditur in remissionem peccatorum*, 1 Joh. I. 7. *Sanguis Iesu Christi, Filii Dei*, (in ara crucis effusus) *emundat nos ab omni peccato.* Hebr. IX. 13. *Si sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulae adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*; v. 14. *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam ab operibus mortuis.* X.) *Christus delevit chirographum, quod erat contra nos scriptum.* Col. II. 14. XI.) Christus *liberavit nos a maledictione legis.* Gal. III. 13. cap. IV. 5. XII.) *Ab ira Dei.* 1 Thess. I. 10. XIII.) *Ab aeterna damnatione.* 1 Thess. V. 9. *Non posuit nos Deus ad iram, sed ad acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.* v. 10. *qui mortuus est pro nobis.* XIV.) In Christo sumus coram Deo justi & dilecti. 2 Cor. V. 21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut redderemur justitia Dei in illo.* 1 Cor. I. 30. *Factus est nobis a Deo justitia* &c. Immota igitur persistit conclusio, Christum pro peccatis nostris satisfecisse, & esse *meritoriam* causam justificationis (**).

§. XXXVIII.

(*) Ἀντίλυτρον proprie significat *æqualem compensationem, eine Gegenbezahlung, da man einen Menschen mit einem andern Menschen ranzionieret und los kauft.* GERHARDUS.

(**) Adversus dictum Eph. V. 2. quod urgent nostri Theologi, Socinus part. II. de servat. cap. 15. f. 152. & catechismus Racov. de sacerd. Christi f. 331. excipiunt, *juxta Tigurinorum & Castellionis animadversionem post verba:* tradidit semet ipsum, *commatis notam requiri, ut sequentia verba:* oblationem & victimam Deo in odorem fragrantiæ; *sint adpositio & hoc significent, Deo jucundam rem &*

acti-

Excepciones Neo-Photinianorum.

§. XXXVIII Excipiunt Neo-Photiniani 1.) *Christum esse mediatorem nostrum non alio modo, quam quod Deus illo ut internuncio & interprete ad fœdus suum cum hominibus pangendum & sanciendum usus est, & per quem illi ad ipsum, ejus voluntatis cognitione instructi, accedere possunt, qua ratione etiam Moses dicitur mediator vet. test. non autem, quod satisfactione pro peccatis nostris præstita Deum iratum hominibus placaverit.* Socinus part. I. de Christo servat. cap. 7. (*). catechismus Racovienſ. cap. 8. p. 273. Resp. 1.) Subordinata non sunt invicem opponenda. Christus est mediator inter Deum & homines, non solum quia Deus ipso ut internuncio ad nos usus est, sed etiam quia nos Deo reconciliavit, præstita pro peccatis nostris perfectissima satisfactione (**). Si vel maxime concedatur, Mosen non alia ratione dici mediatorem, quam quia fuit internuncius Dei & hominum in opere legislationis; Exod. XIX. 3. & seqq. Deut. V. 5. Gal. III. 19. ex eo tamen nondum sequitur, Christum itidem non alia, nec perfectiori quadam ratione dici mediatorem, quam quia fuit interpres evangelii (***). 2.) Neque enim novum

1.) Christum esse mediatorem, ut internuncium.

tanquam victimam fuisse, quod Christus se ipsum tradidit, ac morte suam prædicationem confirmavit. Resp. At quæ hæc est sententiæ optime cohærentis mutilatio! 1.) Christus tradidit se ipsum confirmandæ prædicationis suæ ergo. 2.) Hoc factum tam jucunda res fuit Deo Patri, quam grata olim fuit victima aliqua oblata; de Christo & corpore ejus expresse dicitur, quod *illud dederit Deo victimam, quæ fuerit Deo gratissima pro nobis, id est,* vice nostri suscepta. Ex vet. test. sacrificiis Christi satisfactio probatur. Quicquid a.) in statu innocentiæ non fuisset in usu, b.) sed demum jussu divino cœpit post lapsum, & quidem cum protevangelio de semine mulieris contriturо caput serpentis & passuro vulnerationem calcanei in illa contritione; c.) & fuit peractum cum concione de futura Christi passione; d.) & suo modo peccata expiavit; e.) ac semper tractatum est circa locum, in quo Christus est passus; f.) & non nisi ab illo populo tractari debuit, ex cujus linea Christus prodiit; g.) & non debuit durare nisi usque ad completam Christi passionem, illud sine dubio habet singularem respectum ad mortem Christi. Sed sacrificia pecorum talia fuerunt. Ergo. *Adsumtum* late probat Frantzius in disp. de sacrificiis. Observa locum clarissimum de expiatione per sacrificia in vet. test. Levit XVII. 11. *Anima carnis in sanguine est, ego dedi illum vobis super altare ad expiandum animas vestras, sanguis ipse animam expiabit,* quem nota propter Socinum, qui part II. cap. 12. de servatore dicit: *nihil extinces unquam, nisi aut ve aut verbis victimis illis satisfaciendi vim attributam fuisse probaveris.* GERHARDUS.

(*) Socinus part. I. de Christo servat. cap. 7. *Decipiuntur omnes, qui persuasum habent, mediatorem non dici, nisi qui duos inter se invicem dissidentes componat, & alterum alteri conciliet. Significat vero nomen mediatoris in sacris literis nihil aliud, quam eum, qui medius quidem est inter Deum & homines, non tamen qui Deum iratum hominibus placet, sed quo Deus ut internuncio & interprete ad fœdera sua pangenda & sancienda utatur, & per quem illi ad ipsum ejus voluntatis cognitione instructi possint accedere.* Item. *Mediatoris adpellatio nihil habet commune cum divinæ gratiæ placatione, ac perinde Christus dicitur esse mediator Dei & hominum, non quia Deum hominibus placaverit, sed quia novum & æternum fœdus cum humano genere ipse Dei nomine sanxerit, & omnem Dei voluntatem, unde ad ipsum Deum accessus est, hominibus patefecerit.* Et postea: *Nulla est in modo istarum, ut ita dicam, mediationum (Mosis & Christi) differentia, sed differunt eo tantum modo, quatenus posterior mediatio, Christi scilicet, excellentioris fœderis fuerit, & præstantiora promissa continentis, quam prior, Mosis videlicet, mediatio.* GERHARDUS.

(**) Duo sunt hujus mediatoris officia: a.) divinæ voluntatis apud homines revelatio; b.) pacificatio, hoc est, pro parte offendente interceſsio & partis offensæ reconciliatio. 1 Tim. II. 5. Hebr. IX. 15. GERHARDUS.

(***) Longe superiore atque excellentiore ratione mediator dicitur Christus, quam Moses; Moses enim duntaxat typus fuit veri mediatoris, & per consequens duntaxat ministerialis vel instrumentalis mediator, Christus autem verus ac principalis mediator est inter Deum & homines, imo proprie & non typice mediator, unde etiam unicus mediator dicitur 1 Tim. II. 5. quod non posset de Christo dici, nisi excellentiori ratione mediator esset. GERHARDUS.

vel absurdum, pauciora esse in typo, quam in antitypo, præsertim si plures typi simul sumti respiciant antitypum. Moses mediator fuit typus mediatoris Christi, sacrificia levitica itidem fuere typi sacrificii in ara crucis a Christo peracti, quod si vel maxime Moses non fuit typus Christi in opere satisfactionis ac propitiationis, num propterea satisfactio Christi fuerit neganda, quam typi sacrificiorum leviticorum adumbrarunt? 3.) Quid? quod ipse Moses officio mediatoris functus est non solum in legis promulgatione, sed etiam in solenni ac publica propitiatione. Cum enim Exodi XXXII. populus Israeliticus gravissimo idololatriæ peccato Deum graviter offendisset, Moses sese veluti medium inter Deum iratum & populum internecionem promeritum posuit, ac precibus ardentissimis oblata sui ipsius ex libro vitæ deletione iram Dei & internecionem populi avertit. Huc referendum, quod Aaron summus vet. test. sacerdos incenso sacrificii sui populum expiaverit, cum adversus Mosen & Aaronem murmurassent, atque itidem gravissimo scelere se obstrinxissent. Num. XVI. 47. Quodsi Moses & Aaron fuerunt mediatores reconciliationis typici, multo magis Christus erit verus reconciliationis ac propitiationis mediator. 4.) Sed enim non est nostris conjecturis liberum relictum, qua ratione Christus dicatur mediator, cum ipsa scriptura ejus rei causam satis dilucide expoſuerit. Sic enim apostolus 1 Tim. II. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire* v. 5. *Unus enim est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, v. 6. *qui dedit se ipsum pretium redemtionis pro omnibus.* Hic exponitur ratio, propter quam Christus dicatur mediator, nimirum quia se ipsum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, & vitam suam in nostrum omnium redemtionem impendit. Negat quidem Socinus, exprimi his verbis modum, quo Christus dictus sit mediator, cum de ira Dei adversus homines in præcedentibus verbis nihil quicquam contineatur; sed parum roboris huic rationi inest, eo ipso enim, quod Christus se ipsum ἀντίλυτρον dedisse dicitur, ira Dei hujus ἀντιλύτρε traditione placanda, piis mentibus cogitanda relinquitur. Cui enim propter partes mediatoris sibi impositas vita impendenda, eum non internuncium tantum, sed & reconciliationis mediatorem esse manifeste constat. Sic Hebr. IX. 15. *Christus nov. test. mediator est, ut morte intercedente in redemtionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt ad aeternae hereditatis possessionem.* Hic denuo exprimitur modus pacti & confirmati per Christum novi fœderis, videlicet interveniens passio & mors mediatoris, per quam iratum Deum placavit & hominibus reconciliavit.

§. XXXIX. II.) *Redemtionis vocem esse metaphoricam, ac nihil aliud in hac quaestione significare, quam simplicem liberationem, quae absque interveniente vero satisfactionis pretio sit facta.*

2.) *Redemtionem significare simplicem liberationem.*

Socinus contra Covetum p. 75. catechismus Racov. cap. 8. p. 270. Smalcius in exam. 157. err. Lt. p. 16. *Fatemur, sanguinem Christi verum pretium esse redemtionis nostrae & vim pretii in nobis redimendis habuisse, quia vere id nobis praestitit Christi sanguis, quod pretium in redimendo aliquo captivo praestat; sed improprie id describi dicimus, quia non omnia requisita, quae ad redemtionem proprie sic acceptam pertinent, in nostra redemtione adsareant. Nemo enim est, cui sanguis Christi sit datus pro nobis, quod ad redemtionem proprie sic dictam necesse pertinet.* Resp. Detur sane, quod verbum *redimendi* quibusdam in locis significet *simplicem liberationem* absque interveniente vero pretio, ex eo tamen nondum sequitur, etiam illis in locis, in quibus Christus redemtor noster dicitur, metaphoricam illam significationem locum habere (*). Disertissime enim testatur scriptura, quod Christus suo sanguine tanquam

(*) Quotiescunque enim non simpliciter fit mentio redemtionis, sed simul additur, quod redemtio sit facta per pretium aliquod, & pretium illud exponitur, tunc non simplex liberatio, sed libe-

tanquam vero redemtionis pretio nos redemerit. Rom. III. 24. *Justificamur gratis ipsius gratia per redemtionem factam in Christo Jesu*, v. 25. *quem proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem in sanguine ejus*; hic conjungitur redemtio & placatio per Christi sanguinem facta. 1 Cor. VI. 20. *Emti estis τιμῆς pretio magno, nimirum non corruptibilibus, auro vel argento, sed τιμίῳ pretioso sanguine velut agni immaculati & incontaminati, Christi*, ut exponit Petrus 1 epist. I. 18. & 19 (*). Gal. III. 13. *Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictum:* hic itidem exprimitur redemtionis nostræ pretium, nimirum exaltatio Christi in ara crucis. Eph. I. 7. Col. I. 14. *In Christo habemus redemtionem per sanguinem ipsius.* Tit. II. 14. *Christus dedit se ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni transgressione.* Hebr. IX. 12. *Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium aeterna redemtione inventa.* v. 15. *Ideo nov. test. mediator est, ut morte intercedente in redemtionem earum praevaricationum, quae erant sub priore testamento, repromissionem accipiant, qui vocati erant, ad aeternae hereditatis possessionem.* Apoc. V. 9. *Mactatus es & redemisti nos per sanguinem tuum.* In his ac similibus scripturæ dictis redemtio Christi & verum redemtionis pretium perpetuo conjunguntur, ex quo immote colligitur, quod *redimere* in hac quæstione significet, eo modo aliquem liberare, ut detur pro eo pretium vel compensatio aliquam satisfactionis vim habens: inde est, quod verba λυτρῶν, ἀπολυτρῶν, λυτρῶσθαι cum verbis ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν in scripturis permutantur. Atqui ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν talem emtionem seu acquisitionem notant, in qua verum intervenit pretium (**). Quod 1 Petr. I. 18. dicitur ἐλυ-

liberatio satisfactoria intelligitur, quo enim fine alias pretii mentio fieret? Vbi est 1.) captivus seu redimendus: 2.) persona, quæ captivum redimit: 3.) λύτρον sive pretium redemtivum, quod pro eo persolvit: 4.) captivitas, a qua eum redimit: & 5.) libertas, in quam eum adserit, ibi est redemtio proprie sic dicta. Atqui in nostra spirituali redemtione 1.) est *objectum* redemtionis, id est, captivi, qui sunt omnes homines, Zach. IX. Galat. III. 10. 2.) causa *principalis* est Christus, redemtor noster, hoc est, propitiatorium nostrum, Rom. III. 24. & propitiatio pro peccatis nostris, 1 Joh. II. 1. 3.) causa *instrumentalis*, sive medium redemtionis, sanguis Christi, qui dicitur sanguis testamenti, Zach. IX. 11. Eph. I. 7. Col. I. 14. 4.) *terminus*, a quo redimimur, est captivitas, sub qua intelligimus ipsum judicem, seu dominum carceris: custodem carceris: carcerem ipsum, ejusque adjuncta. Judex est ipse Deus iratus, sive ira & judicium Dei: Rom. V. 9. Gal. III. 13. custos carceris est diabolus, a quo Christus nos redemit: Os. XIII. 14. carcer est infernus seu lacus, in quo non est aqua: Zach. IX. Os. 13. adjuncta carceris sunt laquei peccatorum nostrorum. Luc. I. 74. Ebr. II. 14. 5.) *Terminus ad quem* est Deus, cui nos redimit Christus, & libertas, in quam nos adseruit Luc. I. 74. &c. GERHARDUS.

(*) Distinguendum igitur inter redemtionem *corporalem*, quæ quocunque modo etiam sine pretii interventu fieri potest, & *spiritualem*, quæ non, nisi sanguinis effusione fieri potest. Hebr. IX. 22. Alii distinguunt inter redemtionem *judicialem* & *extrajudicialem*, hæc sine λύτρῳ peragi potest, illa nunquam. GERHARD.

(**) Objiciunt locum Eph. V. 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, *ubi non habet locum emtio proprie sic dicta.* Resp. sensus est, redimentes occasionem, id est, bonis operibus insistendo habentes rationem opportunitatis & occasionis, punctique momenti & articuli temporis, in quo quicquid agendum est, commode geri potest, sed in id industrie incumbentes, ut tempus in hoc mundo utiliter collocemus, nullam occasionem promovendi gloriam Dei, nostrumque proximum juvandi præterlabi sinentes, tametsi id etiam cum magno aliquo rerum nostrarum dispendio facere nos oporteat, atque ita non omnino hinc excluditur respectus ad aliquod pretium. Nam hic requirit a nobis apostolus sapientiam illam, qua usque adeo non negligamus occasionem lucrifaciendi incredulos, & circumspecte inter illos conversandi, & quicquid agendum est, uriliter agendum, ut etiam parati simus, vel dato pretio eam redimere, quod consistit in variarum rerum tolerantia. Theophylactus: *In curarum & voluptatum mundi abjectione & despectione, in laborum & molestiarum exantlatione, omniumque obstaculorum depulsione & remotione, & beneficiorum in alios collatione.* GERHARDUS.

ἐλυτρώθητε, id 1 Cor. VI. 20. exprimitur per ἠγοράσθητε. Rom. III. 24. Eph. I. 7. Col. I. 14. Hebr. IX. 12. & 15. usurpatur vox ἀπολυτρώσεως. Gal. III. 13. cap IV. 5. Apoc. V. 9. ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν (*). Regerunt adversarii: *Moses dicitur λυτρωτὴς & fuit typus Christi.* Act. VII. 35. *At Moses non satisfecit pro populo Dei. Ergo & Christus nullo vero pretio cuiquam soluto nos redemit.* Resp. denuo repetimus, typi & antitypi non esse parem ac eandem per omnia rationem. Vera est collatio. Quemadmodum Moses populum Israeliticum ex servitute Ægyptiaca redemit: ita Christus ex spirituali servitute peccati nos redemit, sed ex eo nondum sequitur, quod Christus non alia ac præstantiori quadam ratione nos redemerit, cum scriptura toties adserat, interveniente morte & sanguinis effusione tanquam λύτρῳ nos a Christo redemtos esse, de Mose tale quid nuspiam legitur (**).

5.) *Expiare peccata est reatum eorum auferre.*

§. XI. ἱλασμὸν *apud Iohannem nihil aliud significare, quam expiationem, jam vero peccata expiare, non est pro ipsis divinae justitiae satisfacere, sed eorum reatum auferre & ipsa purgare.* Socinus contra Covetum p. 126. Resp. 1.) ἱλασμὸς proprie significat *placationem* seu *propitiationem*, hoc est, talem expiationem, quae simul includit intervenientem propitiationem, quia ἱλάσκεσθαι καὶ ἐξιλάσκεσθαι usurpantur a LXX. interpretibus loco verbi Hebraici כִּפֶּר *texit* & סלח *propitius fuit.* Christus igitur dicitur propitiatio pro peccatis nostris, quia sanguinis sui effusione peccata nostra expiavit, ac Deum nobis propitium reddidit, unde vi hujus satisfactionis a se præstitæ in judicio Dei advocatus noster est. 2.) Subordinata igitur non sunt sibi invicem opponenda. Deus ex mera gratia aufert reatum peccatorum, eademque purgat, sed illa gratia non, nisi propter Christi satisfactionem ac meritum nobis contingit, unde *per Christum* dicitur *nobis facta gratia.* Joh. I. 17. In *Christo* dicimur *electi.* Eph. I. 4. *In Christo* dicimur *habere redemtionem per sanguinem ipsius.* v. 7. 3.) Modum propitiationis ipsa scriptura refert ad effusionem sanguinis Christi, negari proinde nequit, Christi propitiationem esse satisfactoriam propter intercedens λύτρον, quo recte observato sponte concidit cavillatio adversariorum, quod propitiatio quandoque fiat per deprecationem ejus, qui offendit. Cum enim Deus sit judex justissimus, imo ipsa justitia, ideo absque interventu plenae ac perfectae satisfactionis propitiatio illa per nudam submissionem vel deprecationem fieri non potuit. 4.) Inde apostolus pronunciat, quod Deus *proposuerit* Christum ἱλαστήριον *propitiatorium in sanguine ejus*, Rom. III. 25. respectu habito ad operculum aureum in arca fœderis, quod fuit typus unici & veri propitiatorii Christi, qui sanguinis sui effusione (ut notanter addit apostolus, modum propitiationis exprimens,) Deum nobis fecit propitium, ut per fidem ad ipsum, *tanquam thronum gratiae accedentes misericordiam consequamur.* Hebr. IV. 16. Neque est, quod obvertant adversarii, *operculum illud vocari propitiatorium, non quia Deum populo Israelitico placaret, sed quia Deus in eo se propitium & placatum praebens responsa dabat: ita quoque Christum vocari propitiatorium, non quia Deum nobis placaverit, sed quia Deus in ipso se placatissimum nobis ostendens, voluntatem suam per ipsum revelaverit.* Quæ enim hæc consequentia? num typi ac antitypi eadem per omnia est ratio? an ex figuris pugnandum contra manifesta scripturæ dicta, quæ adserunt, Chri-

(*) Socinus ipse in synopsi de justif. p. 7. *Redimendi verbum proprie pretio dato liberare significat, imo si ipsius verbi vim spectes, emtionem omnino declarat, quae sine pretio fieri nequit.* GERHARDUS.

(**) Objiciunt Prov. XIII. 8. *Redemtio animae viri, divitiae suae.* Resp. indicat Salomo, quod dives in manus hostium incidens divitiis suis possit vitam suam redimere. Atque sic vox כֹּפֶר indigitat pretium proprie dictum. GERHARDUS.

Christum præstantiori quadam ratione, videlicet per & propter sanguinis sui effusionem, esse ἱλαστήριον? Invertimus igitur argumentum. Operculum illud aureum non potuisset ἱλαστήριος adpellationem sortiri, neque Deus sese propitium ac placatum in eo ostendisset, nisi respectum habuisset ad Christum, qui morte & sanguine suo Deum placavit, cujus merito & satisfactione peccata nostra contra legem commissa teguntur, quo minus in conspectum Dei veniant & nos condemnent, sicut operculum illud tegebat legis divinæ tabulas in arca reconditas, per quem denique novissimis temporibus Deus ad nos locutus est; Hebr. I. 2. sicut ex propitiatorio inter duos cherubim ad Mosen olim loquebatur, Exod. XXV. 22.

4.) *Reconciliationem esse hominum ad se invicem.*

§. XLI. IV.) *Reconciliationem non esse hominum cum Deo sed secum ipsis, hoc est, gentium cum Judæis, hominum cum Angelis partam concordiam.* Osiorodius contra Tradel. p. 230. *Atque hanc reconciliationem Deum fecisse non alicui justitiae suae satisfaciendo, sed nos, qui abalienati ab ipso eramus, inimicumque animum, mala multa perpetrantes, adversus eum gerebamus, ab iniquitatibus nostris retrahendo, & ita coram se pro ineffabili benignitate sanctos atque inculpatos reddendo, hoc est, nequaquam Deum tanquam nobis inimicum, per Christum nobis reconciliatum esse, sed tantum nos, qui inimici eramus Dei, reconciliatos esse ipsi per Christum, ut ita reconciliatio nostri cum Deo nihil aliud sit, quam procurata a Christo ad Deum nostra conversio, ac renovatam vel potius initam cum Deo amicitiam significet.* Socinus part. I. de Christo servatore cap. 8. catechismus Racov. cap. 8. p. 274. *Resp.* 1.) Subordinata denuo sibi invicem opponuntur. Concedimus apostolum Eph. II. de dissidio inter Judæos & gentes, Col. I. inter angelos & homines per Christum sublato loqui; sed ex eo nondum sequitur, non agi ibidem de dissidio inter homines & Deum per Christi satisfactionem sublato, diserte enim dicit Paulus Eph. II. 16. *Christum utrosque* (Judæos & gentes) *in uno corpore reconciliasse per crucem Deo, peremtis inimicitiis per eam:* reconciliavit ergo ethnicos non tantum Judæis, sed etiam ipsi Deo, ut sint *propinqui Deo*, v. 13. & *aditum ad Patrem habeant*, v. 18. *concives sanctorum & domestici Dei facti.* v. 19. Adde, quod reconciliatio illa dicitur facta per Christi sanguinem, cujus effusio non requirebatur hoc fine, ut inimicitia inter Judæos & gentes tolleretur, sed ut sublato peccato, quod nos *a Deo sejungit* Esa. LIX. 2. homines Deo reconciliarentur. Sic postquam apostolus dixerat Col. I. 20. *per Christum esse omnia reconciliata, pacificatis per sanguinem crucis ejus, sive quae in terra sunt, sive quae in cœlis,* immediate subjungit v. 21. *Et vos, qui quondam eratis abalienati & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliavit* v. 22. *in corpore carnis suae per mortem;* ex quo manifeste patet, reconciliationem hominum cum Deo hoc loco haudquaquam excludi, sed potius includi. Ideo enim angeli cum hominibus in gratiam redierunt, quia per Christum humanum genus Deo est reconciliatum, a quo per peccatum turpissime desciverat. 2.) Deo nos per Christum reconciliatos esse, scriptura evidenter adserit, idque adversarii concedunt, sed ex eo nec debet, nec potest inferri, quod Deus nobis per Christum non sit reconciliatus, quin potius unum ex altero sequitur. Ut enim nos nondum reconciliati a Deo; ita quoque Deus a nobis nondum reconciliatis dissidebat. Esa. LIX. 2. *Peccata vestra diviserunt inter vos & Deum;* utrarumque igitur partium dissidentium reconciliatione opus erat, nec nos Deo reconciliari poteramus, nisi & Deus reconciliaretur nobis. Inde apostolus adserit: *Nos, cum adhuc inimici essemus, reconciliatos esse Deo per mortem Filii ejus;* Rom. V. 10. ubi per inimicitiam intelligitur, non tantum qua nos a Deo, sed & qua Deus a nobis propter peccata dissidebat, ut ex dicto prophetico & ex ipsa Dei justissimi judicis & peccatorum vindicis natura manifestum. Sic postquam apostolus dixerat, 2 Cor. V. 18. *Deum nos reconciliasse sibi ipsi per Christum,* subjungit v. 21. *eum, qui non noverat peccatum, pro*

nobis fecit peccatum; ubi ostendit reconciliationis modum, quod scilicet peccata nostra in Christum conjecerit, & hac ratione per Christi mortem ac satisfactionem nobis iterum placatus sit. Nec est, quod obvertat catechismus Racov. p. 274. *Deum ipsum fecisse hanc reconciliationem, quod sententiam nostram penitus evertat*; illud enim nihil aliud probat, quam quod Deus suam in hoc reconciliationis opere caritatem nobis commendaverit. Rom. V. 8. At in eo ipso justitiam Dei clare effulsisse itidem nobiscum agnoscant, quatenus unigenitum Dei Filium pro nobis in mortem, eamque exsecrabilem, tradi necessarium fuit, ut nostri cum Deo reconciliatio locum habere posset, unde diserte additur, Deum nos sibi ipsi reconciliasse per Christum, per mortem Christi, tanquam pretium nostræ redemtionis. Christus igitur nos reconciliavit Deo, sublatis inimicitiæ causis, hoc est, *expiatis per mortem suam peccatis*, Hebr. II. 17. propter quæ *eramus natura filii iræ*, Eph. II. 3. ut in posterum *dilecti redderemur in dilecto*. Eph. I. 6. Lombardus libr. III. sent. dist. 19. F. *Quomodo nos diligenti Deo sumus reconciliati? propter peccatum cum eo habebamus inimicitias, qui habebat erga nos caritatem, etiam cum inimicitias exercebamus adversus eum, operando iniquitatem. Ita ergo inimici eramus Deo, sicut justitiae sunt inimica peccata, & ideo dimissis peccatis tales inimicitiae finiuntur, & reconciliantur justo, quos ipse justificat. Christus ergo dicitur mediator, eo quod medius inter Deum & homines ipsos reconciliat Deo, reconciliat autem, dum offendicula hominum tollit ab oculis Dei, id est, dum peccata delet, quibus Deus offendebatur, & nos inimici ejus eramus.*

5.) *Voces λύτρα & ἀντιλύτρα esse metaphoricas.*

§. XLII. V.) *Voces λύτρα & ἀντιλύτρα esse metaphoricas, illisque nihil aliud significari, quam quod Christus vitae suae traditione ac sanguinis sui effusione liberationem a spirituali peccati & mortis captivitate impetraverit, non minus ac vero redemtionis pretio persuasi captivi liberari solent.* Socinus contra Covet. p. 75. catechismus Racov. p. 272. *Resp.* in articulis fidei non est discedendum a literali verborum sensu, nisi ipsa scriptura improprietatem ostendat, eamque simul exponat, ut alibi docuimus. Qua igitur audacia redemtionem & pretium redemtionis metaphorice interpretari audent, cum hujus suæ interpretationis vel potius perversionis nullum adferant ex scripturis vestigium? Vera captivitas veram redemtionem ac verum redemtionis pretium exigit, nos autem vere eramus captivi in regno satanæ ac mortis propter peccatum, vera igitur redemtione ac vero redemtionis pretio ad liberationem indigebamus. Illud pretium ac λύτρον non fuit, nec esse potuit *corruptibile aurum vel argentum, sed pretiosus Filii Dei sanguis.* 1 Pet. I. 19. Immota igitur est hæc consequentia: mors Christi in liberatione nostri intervenit tanquam λύτρον & ἀντίλυτρον. Ergo liberatio illa est vere & proprie sic dicta redemtio. Adversarii contra ex præconceptis opinionibus metaphoricam redemtionis significationem scripturis inferunt, & ex ea postea concludunt, etiam λύτρᾳ vocem metaphorice accipiendam esse. Regerit catechismus Racov. p. 270. *Dicimur redemti ab iniquitatibus nostris*, Tit. II. 14. *a vana nostra conversatione*, 1 Pet. I. 18. *ab exsecratione legis*, Gal. III. 13. *jam vero injustitiae non est pretium aliquod solutum.* Resp. Quæ vero hæc connexio: ab iniquitatibus nostris sumus redemti; ergo iniquitatibus fuit persolvendum pretium? num & hoc modo argumentabimur: captivus a carcere intercedente λύτρῳ redimitur. Ergo ipsi carceri λύτρον persolvitur? Distinguendum est inter ipsam pretii persolutionem & inter consequens illius persolutionis, quod est liberatio ex captivitate. Regerit catechismus p. 272. *In hac redemtione nemo dari potest, cui praestitum fuerit solutionis pretium, ergo non erit vere & proprie dicta redemtio.* Resp. *Christus tradidit se ipsum pro nobis victimam & oblationem Deo.* Eph. V. 2. *Obtulit se ipsum per Spiritum aeternum inculpabilem Deo.* Hebr. IX. 14. Deo pretium hoc non fuisse solutum Photiniani putant, *cum Deus ipse hanc redemtionem procuraverit, atque sic potius pretium dedisse, quam accepisse dicendus sit.*

fit. Resp. Licet Deus ipse redemtionem procuraverit, tamen quia per Filium eam procuravit, pretium omnino accipere potuit. Deus igitur est, cui λύτρον redemtionis nostræ persolutum. Is enim justo suo judicio tradiderat nos satanæ tanquam ministro & exsecutori justitiæ captivos; illi igitur, non satanæ, qui fraudibus suis nos seduxerat, & non nisi permittente Deo nos captivos tenebat, persolvendum erat λύτρον. Differit de hac quæstione Gregorius Nazianzenus orat. XLII. εἰς τὸ ἅγιον πάσχα p. 691. *Alienum* (inquit) *non fuerit rem ac doctrinam inquirere, a multis quidem neglectam, meo autem judicio studiose perquirendam. Eccui enim ille pro nobis sanguis & quam ob causam fusus est, ille inquam magnus & nobilis Christi tum pontificis tum sacrificii sanguis? Nos enim a diabolo detinebamur* (κατειχόμεθα ὑπὸ τοῦ πονηροῦ), *utpote qui venundati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus. Quodsi redemtionis pretium non ulli alii, quam ei, qui captivos tenet, persolvitur, quaero, cui tandem oblatum est & quam ob causam? Si pravo illi, o gravem contumeliam, si non a Deo solum, sed Deum quoque ipsum pro redemtionis pretio latro accipit, adeoque insigne & excellens tyrannidis suae praemium, cujus causa nobis quoque parci aequum erat. Si autem Patri, primum quo modo id factum est? nec enim ab ipso tenebamur. Deinde quae ratio adferri potest, ut unigeniti sanguine Pater oblectetur, qui ne Isaac quidem a patre oblatum acceperit, sed ariete in rationalis victimae locum substituto sacrificium permutarit. Perspicuum utique est, Patrem quidem accepisse, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit, verum propter consilium & administrationem* (διὰ τὴν οἰκονομίαν), *& quia per humanitatem a Deo adsumtam homini sanctitatem adferri oportebat: ut tyranno per vim superato* (τοῦ τυράννου βίᾳ κρατήσας) *nos liberaret, atque ad se per interjectum Filium* (διὰ τοῦ υἱοῦ μεσιτεύσαντος) *reduceret, hoc ad Patris honorem, cui in omnibus rebus cedere perspicitur, dispensantem.* In oratione funebri Philippi Melanchthonis refertur, quod paucis ante obitum diebus idem argumentum in publica lectione nervose & perspicue solverit.

§. XLIII. VI.) *Christum vocari ab apostolo peccatum, non quod sit hostia pro peccatis, sed quia pro peccatore fuit habitus.* Socinus contra Covetum pag. 55. *Resp.* Imo vero Christus diserte vocatur hostia & victima pro peccatis nostris Eph. V. 2. *Christus tradidit se ipsum pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν oblationem & sacrificium Deo in odorem suavitatis.* Hebr. IX. 26. *Semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ per hostiam suam adparuit.* Hebr. X. 12. *Unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextra Dei.* Hujus typi fuerunt sacrificia ἱλαστικὰ veteris testamenti, in quibus præfigurabatur unicum illud sacrificium propitiatorium in ara crucis a Christo oblatum, quod fide respiciebant pii veteres, unde epistola ad Hebr. XI. 4. dicit, *Abelem fide πλείονα θυσίαν majorem hostiam, quam Cain obtulisse.* Regerit catechismus Racov. cap. 8. p. 278. *Non ipsa sacrificia praefiguravisse Christi mortem, sed mactationem illius animalis semel quotannis peragendam, cujus sanguine summus pontifex ingrediebatur sanctum sanctorum, fuisse typum mortis Christi: jam vero mactatio illa non fuit ipsum sacrificium, sed praeparatio & initium quoddam sacrificii, quod tum demum sequebatur, cum pontifex cum sanguine sacrificii ingrederetur sanctum sanctorum: ita quoque mors Christi non fuit ipsum sacrificium, sed praeparatio & principium sacrificii, tum demum secutum est, cum Christus in cœlum est ingressus.* Resp. non solum illius animalis mactatio fuit typus sacrificii Christi, sed etiam bini illi agni quotidie mane & vesperi offerendi, Num. XXVIII. 3. imo omnia omnino veteris testamenti sacrificia pro peccatis & delictis expiandis oblata, unde Johannes Christum vocat *agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. I. 29. quippe qui figuras sacrificiorum levitico-rum in corpore suo implevit, non in sua demum ascensione, sed in ara crucis, in qua pro peccatis

6.) Christum dici peccatum, quia pro peccatore fuit habitus.

catis noſtris mortuus eſt; diſtincta enim ſunt ſacerdotalia illa munera, ſacrificare & intercedere, prius perficit Chriſtus in morte & ſanguinis effuſione, poſterius in ſuo ad dextram Patris conſeſſu. Nec eſt, quod regeratur, *ſacrificia levitica non habuiſſe vim ſatisfaciendi pro peccatis hominum, ideo eandem quoque morti Chriſti denegandam eſſe.* Quamvis enim ſacrificia veteris teſtamenti per ſe & ex opere operato nec ſatisfecerint pro peccatis, nec peccata abſtulerint, interim tamen *ſanctificarunt inquinatos ad emundationem carnis*, ut loquitur ep ſt ad Hebr. IX. 13. Proinde *ſi ſanguis hircorum & tautorum & cinis vitulae adſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemet ipſum obtulit inculpatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, ut ibidem apoſtolus concludit v. 14. Quia mors peccatori debita derivabatur in animal ſacrificandum, eo modo, quo deſcribitur Lev. XVI. 5. ideo erat quaſi viſibilis commonefactio, impoſſibile eſſe, ut nos ipſos liberemus ex morte & damnatione, ſed opus eſſe quadam victima, quae *vulneretur propter peccata noſtra, ut livore ejus ſanemur*, Eſa. LIII. 5. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferre peccata*, Hebr. X. 4 quod ipſum etiam multiplex varietas & crebrae repetitiones ſacrificiorum ſignificarunt. Intelligebant igitur pii vet. teſt requiri perfectius ſacrificium, cujus typi ſolummodo in leviticis illis ſacrificiis fuere propoſiti. Quemadmodum enim typice peccata imputabantur hoſtiae, quae pro peccatis offerebatur: ita Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, pro quibus in ara crucis ſe ipſum obtulit.

7.) Chriſtum factum eſſe maledictum in quandam legis exſecrationem incidendo.

§. XLIV. VII.) *Chriſtum pro nobis factum eſſe maledictum non ſubeundo exſecrationem legis, quam nos ſubire debebamus (illa enim erat mors aeterna, quam minime Chriſtus ſubiit) ſed incidendo in quandam legis exſecrationem noſtri cauſa.* Socinus contra Covet. p. 72. *Reſp.* Imo vero non in quandam legis exſecrationem Chriſtus noſtri cauſa incidit, ſed ex decreto Dei factus eſt pro nobis maledictum, voluntarie ſubeundo illam exſecrationem legis, quam propter peccata ſubire debebamus. Niſi eandem maledictionem legis, quae nobis debebatur, Chriſtus ſuſtinuiſſet, quomodo nos a maledictione legis liberaſſet? Quamvis vero mortem aeternam non ſubierit; (quod fuit ἀδύνατον, cum fuerit ſui ratione innocentiſſimus & dilectiſſimus Dei Filius; neque hac ratione potuiſſet eſſe redemtor noſter) tamen vere ſenſit dolores inferni & judicium Dei irascentis peccatis noſtris, quae in ipſum conjecta erant, unde conqueritur, *ſe a Deo derelictum*, Pſam. XXII 2. Matth. XXVII. 46. atque haec animae anxietas, & *labor* (ut vocat Eſa. LIII. 11.) exprimit ipſi *ſudorem ſanguineum* guttatim in terram decurrentem Lucae XXII. 44.

8.) Non poſſe probari, quod Chriſtus peccata noſtra & poenas eorum in ſe ſuſceperit.

§. XLV. VIII.) Chriſtum peccata & peccatorum noſtrorum poenas in ſe ſuſcepiſſe διαῤῥήδην negant, ideo ſcripturae dicta, quae id evidenter adſerunt, variis modis torquent. Eſa. XLIII. dicunt *non agi de Chriſto, vel ipſius ſatisfactione, ſed de moleſtia Dei καθ' ἀνθρωποπάθειαν ſic dicta, quam propter peccata hominum ſuſtinuerit.* Reſp. Analogia fidei docet, non poſſe hunc locum excluſa Chriſti ſatisfactione de Deo intelligi, quia extra Chriſtum non habet locum remiſſio peccatorum. Is ſervivit in peccatis noſtris, hoc eſt, propter peccata noſtra, quia *venit ut ipſe miniſtraret ac daret animam ſuam redemtionem pro multis*, Matth. XX. 28. is etiam laboravit in iniquitatibus noſtris, quia *anima ipſius* in opere redemtionis *laboravit*, Eſa. LIII. 11. propter ipſum delentur iniquitates noſtrae, quia *remittuntur nobis peccata propter nomen ejus*, 1 Joh. II. 12. Id ipſum docet oppoſitio in textu v. 22. *non tuo opere vel ſacrificiorum cumulo miſericordiam meam & peccatorum remiſſionem promeritus es, ſed mihi ſerviendum ac laborandum fuit, ut peccata tua delerentur.* Nec quenquam turbet, quod verbis praeteriti temporis

ris Deus utatur, cum tamen passio Christi nondum contigerit, præterquam enim quod prophetis usitatum est propter certitudinem vaticiniorum res futuras verbis præteriti temporis exprimere, respectus hic habetur ad fructum passionis Christi, qui se ad ver. test. non minus extendit, quam ad novum, unde *agnus* dicitur *occisus ab origine mundi*, Apoc. XIII. 8. Profuit Christi passio antequam fuit, quid ergo mirum, quod verbis præteriti temporis ea exprimatur? Esa. LIII. dicunt *nihil aliud haberi, quam quod Christus peccata nostra abstulerit, nequaquam vero, quod ea susceperit vel pro illis satisfecerit.* Resp. Sane Christus peccata & pœnas peccatorum nostrorum abstulit, eadem vero in se recipiendo, & pœnas peccatorum nostrorum perferendo abstulit, inde propheta asserit ipsum *vulneratum esse propter iniquitates nostras, attritum propter scelera nostra; Deum posuisse in eum iniquitates omnium nostrum* (*). Utrumque igitur propheta docet, utrumque per vocabula נשא βαστάζειν & ἄιρειν denotatur, quod Christus peccata nostra in se receperit, & velut grave onus portaverit, ac postea demum abstulerit, posterius non excludit, sed potius præsupponit prius. Quamvis vero Matthæus verba Esajæ per similitudinem quandam de ablatione morborum corporalium interpretetur, cap. VIII. 17. cum curatio morborum, qui sunt peccatorum pœnæ, typus fuerit spiritualis illius beneficii, propter quod Christus in mundum venerat, videlicet liberationis a peccato; manet interim, propriam ac principalem textus prophetici sententiam non excludi, quod Christus peccata nostra & pœnas peccatorum nostrorum recipiendo eadem abstulerit (**). 1 Pet. II. dicunt *verbum ἀνήνεγκεν nihil aliud significare, quam abstulit.* Resp. Imo vero ἀναφέρειν significat talem ablationem, quæ cum oneris portatione conjuncta est, ideo addit Petrus, quod Christus *sustulerit peccata nostra in corpore suo super lignum*, hoc est, in oblatione corporis sui peccata nostra velut molem quandam sursum quasi tulit secum in crucem, ergo non simpliciter abstulit, sed recipiendo ea in se & pœnas peccatorum nostrorum portando abstulit, quemadmodum de hirco emissario Lev. XVI. 10. & seqq. dicitur, quod *positæ fuerint iniquitates Israelitarum super caput hirci, quas super se portaverit in desertum*, quo typo significabatur, Christo peccata nostra imputanda esse, eademque ipsum super se portaturum.

§. XLVI. IX.) *Christum propter nos mortuum esse ac sanguinem suum effudisse; non quasi loco nostrum mortuus sit, aut satisfactionis cujusdam loco sanguinem*

9.) Christum esse nostri causa mortuum.

(*) Observa in dicto prophetico. 1.) *Principium imponens*, quod est Deus iratus judex, qui in Christum conjicit omnium nostrum peccata. v. 6. 2.) *Objectum* sive id, quod Christo imponitur: id sunt tum peccata nostra, tum peccatorum pœnæ peccatis nostris debitæ v. 5. 6. 10. 12. 3.) *Subjectum* recipiens, quod est Christus agnus Dei, qui cum agno & ove comparatur. 4.) *Modum receptionis*, qui exprimitur vocabulis נשא & סבל, quæ onerosam portationem in hac miseria significant, ut patet ex locis parallelis & ex consequente istius impositionis ac receptionis, quia Christus propter nostras iniquitates est flagellatus, contritus, percussus, afflictus, vulneratus. v. 4. 5. 12. 5.) *Finem*, disciplina pacis nostræ super eum, livore ejus sanati sumus, animam pro nobis posuit אשם victimam vel sacrificium pro peccato. GERHARDUS.

(**) In Esaja idem est verbum, quod reperitur Lev. XVI. 22. de hirco emissario portante, gestante, seu ferente super se peccata totius populi. Et mox e vestigio sequitur, quod dolores nostros ipse bajulaverit, gestaverit, ubi est verbum סבל, quod tantum significat *portare & in se recipere*. Interpretatio scripturæ πρώτως desumenda ex propria sede: quare cum Esajas propheta ex professo de peccatorum nostrorum expiatione & redemtione loquatur, eamque verbis adeo graphicis & emphaticis describat, ut non tam prophetam, quam evangelistam agere videatur, ideo de ipsius mente ex propriis verbis judicandum. Constat autem ex ipso contextu, quod loquatur propheta de tali peccatorum ablatione, quæ cum onerosa portatione fuit conjuncta. GERHARDUS.

guinem effuderit, sed quia nostri causa mortuus, & effusione sui sanguinis viam salutis confirmavit. Ostorodus contra Tradelium p. 223. catechismus Racov. p. 269 (*). *Resp.* Christum mortuum esse pro nobis, hoc est, commodi nostri causa recte quidem dicitur, modo λύτρον per Christi mortem præstitum ista explicatione non excludatur. Christus enim mortuus est eo modo, *ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν.* Matth. XX. 28. Marc. X. 45. ubi præpositio ἀντὶ Christum loco nostrum mortuum esse denotat, ac Christi mortem satisfactoriam esse, vox λύτρα evidenter comprobat (**). Neque est, quod obvertant adversarii: *Christum pro peccatis nostris mortuum esse, jam vero non potuit loco seu vice peccatorum nostrorum mori. Ergo quando pro nobis mortuus dicitur, non loco nostrum, sed nostri causa mortuus esse intelligitur.* Resp. Non est omnino eadem significatio particulæ *pro* in his propositionibus. Christus mortuus est pro nobis & Christus mortuus est pro peccatis nostris: in *priori* locutione præpositio *pro* additur personæ & in græco textu habetur vocabulum ἀντὶ, quod proprie vicem alterius & permutationem notat: in *posteriori* additur rei, & in græco textu habetur vocula περὶ vel ὑπὲρ. Christus mortuus est pro nobis, ut nos redimeret: pro peccatis nostris mortuus est, ut ea expiaret atque tolleret. Eo enim modo pro peccatis nostris Christus mortuus est, ut ipse per se justus & innocens ex decreto & voluntate Dei peccata nostra in se susceperit, ut *sint in ipsum conjecta*, ut *pœnas eorum pertulerit.* Psalm. LXIX. 6. Esa. LIII. 6. Joh. I. 29. adeoque ut in judicio Dei æstimatus sit *peccatum & maledictio*, 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. quæ omnia si diligenter observentur, facile adparebit diversitas inter mortem Christi & aliorum hominum (***). Nec solum effusione sanguinis Christi via salutis nobis confirmata est, qui est finis ejus minus principalis, sed etiam parta peccatorum remissio, cum effusioni illi tanquam causæ disertis verbis remissio peccatorum transcribatur Matth. XXVI. 28. quemadmodum alibi redemtio eidem tribuitur. Hebr. IX. 12. 1 Petr. I. 19. Cumprimis notandum est egregium

(*) Socinus in prælect. cap. 20. *Mori propter peccata seu pro peccatis alicujus, ut verba ipsa sonant, idem est, ac mori causa vel occasione peccatorum illius. Atque sine dubio is peccatorum alicujus causa vel occasione moritur, qui ideo moritur, ut quis a peccatis retrahatur, utique illi fides fiat, si a peccando cesset, peccata sibi condonatum iri, ac præterea, ut is condonationem hanc re ipsa consequatur. Cum igitur Christus ut hæc in nobis fierent, mortuus sit, merito propter peccata nostra seu pro peccatis nostris traditus esse & passus ac mortuus fuisse dicitur, quamvis pro ipsis peccatis nostris nulli justitiæ satisfecerit.* GERHARDUS.

(**) *In satisfactione requiritur pretium æquivalens: Atqui in Christi passione non est pretium æquivalens, cum tantum fuerint pssiaones temporales.* Ergo. Resp. passiones Christi ratione temporis fuerunt finitæ, sed ratione valoris & dignitatis personæ sunt pretium infinitum. Urget Socinus, *apud Deum non esse acceptionem personæ.* Resp. est fallacia phraseos. Acceptio personarum duplex est: *una*, quæ fit propter externos & mundanos respectus, juxta quos homines personas æstimare solent, ut sunt divitiæ, potentia &c. *altera* fit propter veram pietatem & virtutem. Prior apud Deum non habet locum præcipue in negotio salutis æternæ, sed posterior maxime competit Deo, tanquam justissimo judici, qui ea, quæ vere sunt majora, esse existimat. Nec est, quod opponant. GERHARDUS.

(***) In scriptura non est infrequens *ἀντὶ pro* significare aliquam commutationem seu vicem alterius. Sic Moses dicitur *Aaroni datus pro Deo*, Exod VII. 1. *dies dari pro anno*, Ezech. IV. 6. *didrachma solvi pro aliis*, Matth. XVII. 27. *impiu tradi pro justo*, Prov. XI. 8. Qui factus est pro nobis exsecratio, ut nos consequeremur benedictionem Gal. III. 13. 14. & factus est pro nobis a Deo peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2 Cor. V. 21. is ita pro nobis mortuus est, ut loco nostro sit mortuus & vitam sua morte nobis acquireret. At Christus &c. Qui ita pro altero moritur, ut nisi pro illo fuisset mortuus, nequaquam fuisset moriturus, & illum, cui necessario æterna morte, nisi hic pro illo mortuus fuisset, esset moriendum, sua morte ab æterna morte liberat, is vice seu loco istius alterius moritur. At Christus &c. GERHARDUS.

gium dictum prophetæ Dan. IX. 24. *Septuaginta hebdomades determinatae sunt, ut aboleatur praevaricatio, & obsignetur peccatum, & expietur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.* Certe abolere prævaricationem, obsignare peccatum, expiare iniquitatem, adducere justitiam sempiternam, non est nude & simpliciter remissionem peccatorum ac viam salutis confirmare, sed etiam causam esse remissionis peccatorum & salutis (*).

Argumenta Neo-Photinianorum. 1.) Nulla est talis Dei justitia, quae misericordiae ejus opponatur.

§. XLVII. Ex hisce facili negotio solvi possunt reliquæ Samosatenianorum exceptiones. Restat, ut præcipua eorum sophismata excutiamus. I.) *Nulla est talis Dei justitia, quae misericordiae ejus opponatur, & cui per Christum satisfieri necessum fuerit.* Resp. Sane justitia & misericordia Dei non sunt in se ac per se contrariæ proprietates (**), cum sint ipsa Dei essentia, quæ propter summam simplicitatem nullam omnino contrarietatem admittit (***); interim tamen ratione *objecti*, puta generis humani, quod per peccatum Deo invisum erat, requirebatur mirabile illud justitiæ ac misericordiæ divinæ temperamentum, per Christi satisfactionem impetrandum. (*Non est necessarium*, inquit Scaliger exerc. CCCXII. *ut, si actiones sint contrariae, etiam essentialia principia.*) Misericordia Dei juxta naturam suam homini diabolicis fraudibus seducto & in peccatum ac mortem æternam prolapso parcere voluit, cum homo per lapsum non desierit esse Dei creatura. Visissim vero, justitia hominem propter peccatum ad pœnam promeritam deposcendum esse statuit (*), cui veritas divina suum addidit suffragium; intercessit igitur Christi meritum & satisfactio, per quam translatio quædam pœnæ peccatis nostris debitæ facta est, ut salva justitia & veritate sua Deus in gratiam nos reciperet, qua de re pii veteres, præsertim Anshelmus & Bernhardus pulcerrimas habent cogitationes. Regerunt adversarii, *justitiam Dei punientem peccata non esse proprietatem in Deo, sed tantum esse-*

(*) Photiniani audacter clamant, *satisfactionis Christi nullam in scripturis fieri mentionem.* Faust. Socinus p. II. de Christo serv. c. 26. Ostorodus inst. c. 36. p. 3. *Resp.* recolat Socinus sua verba quæ opposuit Franc. Davidis de Jesu Christi invocatione habita & edita anno 1595. typis Val. Radek. c. 1. *Ridiculum est literam eo sensu, quo tu facis, postulare. Non enim uno tantum verbo, sed multis sive singulis, sive pluribus simul eadem sententia exprimi potest, alioquin etiam si millies diserte scriptum esset, posse nos a Christo, postquam in coelum adscendit, summo jure cum cultu & vera cordis fiducia petere, quicquid nobis sit opus, adhuc tamen negare tibi liceret, Christum invocari jure a nobis posse, quia scilicet hoc ipsum invocandi verbum scriptum non fuisset. Quod longe absurdissimum esse ne ipsum agnaturum non despero.* GERHARDUS.

(**) Justitia illa judiciaria seu vindicatrix puniens impios & infideles, contra vero liberans insontes & credentes non quidem *contradictorie*, sed tamen *privative* & contrarie opponitur divinæ misericordiæ. Eademque consideratur vel ratione rigoris, quatenus Deus requirit, ut transgressores legis ipsimet debitam sustineant pœnam, vel ratione æquitatis, quæ rigorem istum mitigat, ut intervenieme alterius λύτρῳ pœnæ peccatorum condonentur. GERHARDUS.

(***) Nunquam Pareus respondere poterit Vorstio in exeg. apolog. p. 133. 134. quia semel affirmavit, *justitiam vindicatricem esse quidem Deo naturalem, sed ita naturalem, quemadmodum homini risus naturalis est.* Vide ipsius comm. in Gen. II. p. 426. GERHARDUS.

(*) Si lex est signum voluntatis divinæ justissimæ, utique Deus vult justissima voluntate id, quod lege expressit. Sed verum prius, David enim legem vocat *Dei justitias.* Psalm. CXIX. 12. & homo novus conformis legi dicitur, *creatus secundum Deum* Eph. IV. 24. & imago Dei, ad quam erat homo creatus, erat perfecta totius hominis ad legem divinam conformatio. Ergo quod lege expressit Deus, illud justissima voluntate vult & quidem immutabiliter, Matth. V. 18. Luc. XVI. 17. Qui justus est, sua natura non potest non ex justitia peccata aversari, & punire. Atqui Deus est sua natura justus, Psalm. VII. 12. alias enim foret natura injustus. Ergo. GERHARDUS.

effectum voluntatis Dei, & in scripturis adpellari modo iram, modo severitatem. Catechismus Racov. cap. 8. p. 266. ex Socino de Christo servat. p. 8. *Resp.* Sane per justitiam Dei in quibusdam scripturæ locis intelligitur rectitudo & æquitas, in quibusdam etiam veritas Dei, sed ex eo nondum sequitur, quod justitia puniens peccata non sit essentialis Dei proprietas, siquidem Deus in lege sese manifestavit, quod natura sua abominetur omnem injustitiam & iniquitatem, in quam temporalibus ac æternis pœnis animadvertere velit, contra vero, quod natura sua amet justitiam ac innocentiam, eandemque præmiis temporalibus & æternis adficere velit (*). Neque solum lucidissimum illud legis speculum, sed etiam comminationes ac promissiones legi divinæ additæ, quin etiam exempla pœnarum ac præmiorum de hac perpetua & immutabili Dei justitia evidens ferunt testimonium. Quod obvertitur, effectus illos non justitiæ, sed iræ & severitati Dei tribui, nullius est momenti, siquidem illa ira ac severitas testantur de justitia Dei in lege expressa, quæ in pœna peccatorum præsupponitur; sane peccata punire effectus est voluntatis divinæ, non autem absolutæ ac liberæ, ut volunt adversarii, sed justæ voluntatis, hoc est, justitiæ in lege velut in speculo revelatæ (**). Si enim ex nudo Dei beneplacito, non autem ex immutabili Dei justitia reatus sive obligatio peccantis ad pœnam profluit, sequetur, in conspectu Dei ejusdem valoris esse peccatum & non peccatum, imo nihil per se esse peccatum, sed tantum pro arbitrio voluntatis Dei peccatum æstimari, nec naturæ Dei illud adversari, quinimo interitum hominum non ex solo peccato, sed simul a voluntate Dei & quidem ut causa *principali* pendere; si enim Deus potuisset homines, licet peccantes, morti æternæ non mancipare, ut volunt adversarii, sequetur, quod non tam peccato quam liberæ Dei voluntati hominum peccantium interitus sit tribuendus (***). Neque est, quod libertas voluntialibus in Deo inservit, & per se sine unius vel alterius concursu nullum effectum producit &c. GERHARDUS.

(*) *Si ira & vindicta Dei ita dependet a voluntate Dei absoluta, ut potuerit homines licet peccantes morti æternæ non mancipare, & postquam eos morti suo edicto mancipavit, illius imperio iterum absque satisfactione intercedente eximere*, ut docet Socinus in disp. contra Covet. p. 9. 10 & 11. & in prælect. theol. cap. 16. sequetur: 1. idem esse peccatum & non peccatum coram Deo, cum erga utrumque natura pariter sit adfectus. 2.) Peccatum per se nihil esse, sed potius opinionem pro divinæ voluntatis arbitrio censendam? Atqui 1 Cor. XV. 56. *peccati vis est lex.* 3.) Dei amorem erga pios & odium erga impios non ex naturali justitia, sed ex qualicunque arbitrio dependere. 4.) Nihil naturæ Dei unquam adversari, sic enim esset, quod impunitum velle posset. 5.) Si Deus idololatriam, blasphemiam, perjurium vellet, ea non esse peccata. Confundunt Photiniani misericordiam Dei cum ejus ἐνεργείᾳ & actum *secundum* cum actu *primo*. Actus primus simpliciter Deo est essentialis & cum essentia Dei convertibilis, usque adeo, ut misericordia intra simplicissimum essentiæ divinæ complexum cum ipsa Dei essentia sit quiddam simpliciter unum & ταυτὸ τι. Actus vero secundus dicitur, quatenus respectu creaturarum misericordia foras progreditur & sic cum voluntate divina concurrit. Voluntas omnibus proprietatibus essen-

(**) Smalcius in exam. 157. error. err. LII. p. 40. *Justitiam talem nego esse in Deo naturaliter, quæ nullum peccatum impunitum dimittere possit, cum legamus, Deum tardum esse ad iram. Quæ enim in Deo sunt naturaliter, ad ea Deus non tardus est, sed semper ea exercet necessario, nec unquam ab eis in ulla actione sua vel tantillum recedit. Quam vero agnosco in Deo justitiam naturaliter, ea rectitudo est & æquitas, quam Deus tam tunc exercet, cum peccata remittit, quam cum eadem punit, hinc justum esse Deum* Johannes ait 1 epist. I. 9. *cum peccata remittit.* GERHARDUS.

(***) Nota, quod Smalcius in catechismo Racov. p. 32. fateatur, *Deum ideo justum dici, quod de ipsius natura sit, æquitatem & justitiam servare:* & quod Ostorodius in inst. Germ. cap. III. p. 26. scribat, *bonitatem tanquam divinam proprietatem præcipue in perfectissima Dei justitia & æquitate consistere;* unde sic argumentamur: Quicquid est de natura Dei, id mutari nequit. Atqui æquitatem & justitiam servare est de natura Dei. Ergo eadem mutari nequeunt in Deo. Jam vero ad hanc æquitatem & justitiam pertinet, obedientiam compensare præmiis,

luntatis divinæ urgeatur, Deus enim ut est agens liberrimum, ita quoque natura justus est, contra hanc suam justitiam non agit, Psalm. CXIX. 137. *Justus es Domine, & justa sunt judicia tua.* Prov. XV. 9. *Abominatio est Domino via impii*: id vero non ex nuda Dei voluntate, sed ex justitia provenit, quæ est immutabilis & invariabilis, perinde ut lex illius speculum. Matth. V. 18. *Amen dico vobis: donec transeat cœlum & terra, jota unum aut apex unus non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Luc. XVI. 17. *Facilius est cœlum & terram interire, quam de lege unum apicem excidere.* Occurrit Catechesis Racovienſis pag. 267. *Dei justitiae tribui peccatorum remissionem*, Rom. III. 25. 26. 1 Joh. I. 9. *proinde justitiae divinae non esse proprium peccata punire.* Resp. Apostolus Rom. III. 25. nequaquam justitiæ tribuit peccatorum remissionem, sed eam in redemtione per Christum præstita declaratam esse docet. Tantum igitur abest, ut hic locus convellat sententiam nostram de justitia Dei puniente peccata, ut eandem potius fortissime comprobet; quia enim in remissione peccatorum oportuit intercedere Christi meritum, quem in ἱλαστήριον propositum nobis esse apostolus adserit, ex eo manifestum est, quod sit in Deo essentialis justitia, qua natura sua odit & punit peccata, cui per Christi meritum satisfieri oportuit, ut remissio peccatorum locum habere posset. 1 Joh. I. 9. Per *justitiam* intelligitur veritas Dei, ut adparet ex addito vocabulo πιστὸς, *si confiteamur peccata nostra, ipse fidelis est & justus*, id est, verax, *ut remittat nobis peccata nostra.* Eodem sensu etiam priorem locum Ambrosius accipit, sic enim scribit: *Ideo justitia Dei dicta est, quae videtur esse misericordia, quia de promissione originem habet, & cum promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur: Justitia enim Dei est, quia redditum, quod promissum est.*

§. XLVIII. II.) *Misericordia Dei itidem non est essentialis Dei proprietas, sed liberae voluntatis divinae effectum, haudquaquam in Christi merito fundatum.* Rom. IX. 15. *Deus miseretur, quorum vult.* Socinus part. I. de Christo cap. 1. p. 9. Resp. Misericordia ut & reliqua attributa Dei, quæ operationes suas in creaturis exserunt, & ad eas relationem quandam habent, considerantur dupliciter; *primo* quatenus intra simplicissimum divinæ essentiæ complexum cum ipsa divina essentia sunt ταυτὸ τι, quem vocare possis actum *primum*; hac ratione misericordia est naturalis sive essentialis Dei proprietas, hoc est, naturalis illa bonitas, qua Deus promtus est ad juvandum & benefaciendum hominibus. *Secundo* quatenus respectu creaturarum foras quasi progrediuntur, & in illis operationes suas exserunt, quem vocare possis actum *secundum*; hac ratione misericordia est effectus dependens a Dei voluntate, quæ in negotio remissionis peccatorum non est absoluta, sed ordinata; Deus enim remittit peccata non absolute omnibus, sed in Christum credentibus, hoc est, fide meritum & satisfactionem Christi adprehendentibus. Proinde misericordia, qua Deus peccata remittit, non est absoluta, sed in Christi merito ac satisfactione fundata, ut superius demonstravimus. Miseretur Deus, & quidem libere, quia voluntas non est, quæ libera non est; interim non excluditur ordo, quem Deus ipsemet constituit, quem aliqui vocant voluntatis determinationem, ideo etiam misericordia Dei & Christi satisfactio nequaquam invicem pugnant, sed potius amicissime conspirant; ut enim locum haberet actus ille misericordiæ, videlicet remissio peccatorum, oportuit intercedere satisfactionem Christi, per quam justitiæ divinæ λύτρον redemtionis præstitum. Occurrit Catechesis Racov.

2.) *Misericordia Dei non est essentialis ejus proprietas.*

inobedientiam vero & iniquitatem punire, & sic unicuique secundum opera tribuere. Homines ergo propter peccata aut erant puniendi, aut æquitas Dei mutanda, aut pro peccatis alius quispiam satisfacere debebat. Hæc ex Grauerto adnotavit GERHARDUS.

Racov. p. 266. *Si misericordia foret essentialis Dei proprietas, Deus nullum unquam puniret peccatum, quia contra id, quod ipsi naturale, Deus nunquam agit.* Resp. Deus non solum misericors est, sed etiam justus, proinde ut misericordia & justitia non pugnant invicem, ita quoque misericordiam suam exercendo Deus non agit contra justitiam, & justitiam suam exercendo non agit contra misericordiam. Distinguendum enim inter actum *primum* & *secundum* misericordiæ divinæ; ille est essentialis Dei proprietas, hic vero effectus Dei miserentis, quem si vel maxime non semper exserat, ex eo tamen essentiali ipsius proprietati nihil decedit.

3.) Deus gratis remittit peccata.

§. XLIX. III.) *Scriptura ubique fatetur, Deum ex gratia & gratis peccata remittere, sed cum gratuita peccatorum remissione vel maxime pugnat satisfactio. Cui enim satisfit vel a debitore ipso vel ab alio quopiam ipsius loco, de eo dici nequit, quod gratis & ex gratia ipsi remiserit.* Catechismus Racov. p. 262 (*). Resp. Satisfactio Christi adeo non pugnat cum misericordia Dei gratis peccata remittentis, ut potius eandem illustret ac stabiliat: 1.) Quia satisfactio illa Christi mediatoris est effectus misericordiæ divinæ (**). Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Rom. V. 8. *Commendat Deus caritatem suam, quod Christus pro nobis mortuus, cum adhuc peccatores & inimici essemus.* Gal. II. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* 1 Joh. IV. 9. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 2.) Quia misericordia Dei peccata remittentis fundata est in Christo, ac non nisi per & propter Christum nobis contingit. *Electi sumus in Christo*, Eph. I. 4. *in ipso benedicimur*; v. 3. *in ipso grati & accepti reddimur*: v. 6. *in ipso habemus redemtionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* v. 7. *In ipso justi sumus.* 2 Cor. V. 21. *In ipso denique salvamur.* Act. IV. 12. 3.) Misericordiæ est, quod Deus Christi satisfactionem pro nobis præstitam ratam & gratam habet, ac propter illam peccata credentibus in ipsum dimittit, siquidem strictus justitiæ rigor propriam exigebat satisfactionem & obedientiam, intervenit igitur misericordia alienam satisfactionem acceptans. Non est, quod obvertas, *creditorem acquiescere & debitum jure remittere, sive ipse debitor, sive alius pro illo solvat*, quia Deus non erat nudus creditor, sed etiam justissimus judex & peccatorum vindex, qui jure non tenebatur alienam satisfactionem acceptare: peccata etiam non sunt nuda debita, sed repugnant insuper immutabili ac invariabili justitiæ Dei in lege revelatæ, nihilo igitur minus gratuita Dei misericordia in peccatorum remissione agnoscenda ac prædicanda est, si vel maxime propter Christi satisfactionem ea nobis contingat

(*) Ostorodus in instit. cap. 36. p. 299. Smalcius in exam. 157. errorum err. LXXX. p. 24. *Quis nimirum mentis inops non agnoscat, contraria illa esse, remissio peccatorum & satisfactio pro peccatis? Nam ubi remissio est peccatorum, ibi necesse est, ut nec is, qui peccaverat, quicquam det, nec is, in quem peccatum erat, quicquam accipiat, sive ab eo, qui acceperat, sive ab alio. Nam si aliquid accipiat, a quocunque tandem id fiat, remissio non erit. At ubi est satisfactio sive ab eo, qui debebat, sive ab alio profecta, jam remissioni nullus locus relinquitur.* GERHARDUS.

(**) Apostolus & Christi satisfactionem & gratuitam remissionem perpetuo in hoc articulo conjungit. Ei non est hic oppositio, sed subordinatio, R. I. III. 24. *Justificamur gratis gratia ejus* (en descriptio remissionis gratuitæ!) *per redemtionem factam in Christo Iesu*, (en descriptio satisfactionis!) Eph. I. 7. *In Christo habemus redemtionem per sanguinem ejus*, (hæc est satisfactio) *remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus* (remissio gratuita). Quemadmodum gratia Dei non destruit justitiam Dei: ita gratuita remissio non tollit meritum & satisfactionem Christi, quam exigit justitia Dei, inde Paulus mortem Christi expiatoriam adscribit gratuitæ Christi dilectioni. Rom. V. 8. GERHARDUS.

gat (*). Breviter, particula *gratis* noſtram dignitatem, noſtra merita, noſtram ſatisfactionem excludit, nequaquam vero Chriſti ſatisfactionem e medio tollit. Miſericordia Dei peccata remittentis & condonantis eſt gratuita, non autem abſoluta, quæ nullum habeat reſpectum ad Chriſti meritum. Adde, quod adverſarii noſtrorum operum merita defendant, eademque cum gratuita Dei miſericordia conſiſtere poſſe ſibi perſuaſum habeant, quomodo igitur ſatisfactio Chriſti pugnaret cum Dei miſericordia?

4.) *Chriſto æterna morte pereundum fuiſſet.*

§. L. IV.) *Si Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, eorumque pœnas ſuſcepiſſet, æterna morte ipſi pereundum fuiſſet, cum pœna peccatorum noſtrorum ſit mors æterna. At conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens.* Catechiſmus Racov. p. 263. (**). Reſp. Connexionem *majoris* negamus. Quamvis enim non temporalem ſolum, ſed & æternam mortem peccatis noſtris promeriti eſſemus, tamen per mortem Chriſti temporalem & dolores infernales ad tempus ſuſceptos ſatisfactio pro peccatis noſtris potuit præſtari & præſtita eſt propter perſonæ patientis ac morientis dignitatem. Ratione temporis actiones & paſſiones Chriſti fuerunt finitæ, ſed ratione perſonæ fuerunt infiniti ponderis ac pretii, neque enim humanæ tantum naturæ actiones & paſſiones ſunt, ſed humanæ naturæ λόγῳ *perſonaliter* unitæ, ſive, quod idem eſt, Chriſti θεανθρώπε, inde igitur paſſio & mors Chriſti eſt ἰσόρροπον pro peccatis λύτρον, quia eſt ipſius Filii Dei paſſio & mors, qui in actionibus ac *perſonaliter* ſibi unita humana natura eandem ſuſtinuit; unde apoſtolus ſanguini Chriſti vim emundandi a peccatis tribuens αἰτιολογικῶς addit: *Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei emundat nos a peccatis*, inde & ideo poteſt ſanguis Chriſti a peccatis emun-

(*) A debito *pecuniario* ad debitum *criminale* non valet conſequentia. Nam debitor non peccat in creditoris naturam & eſſentiam, ſicut peccata noſtra Dei majeſtatem offendunt. Deinde Deus ratione juſtitiæ ſuæ non privati cujuſdam creditoris perſonam gerit, qui ſine ullo reſpectu juſti & æqui debitum condonare poſſit, quomodo & quando velit: ſed ſeveriſſimum agit judicem, qui juxta tenorem juſtitiæ ſuæ in lege revelatæ punit ea, quæ contra legem ſunt commiſſa. Uno verbo, gratia illa juſtificationis reſpectu noſtri mere eſt gratuita, ſed non eſt ſimpliciter & omni prorſus modo abſoluta, verum in pretio redemtionis per Chriſtum præſtito fundata. Objicit Socinus in prælect. c. 16. p. 87. & 95. *Sicut ſe habet creditor ad debitorem, & is, cui illata eſt injuria, ad illum, qui intulit; ita ſe habet Deus ad peccatorem. Sed creditor debitori, & is, cui illata eſt injuria, inferenti jure poteſt condonare debitum & culpam abſque ſatisfactione. Ergo. Major probatur* Matth. XVIII. 23. *Reſp.* 1.) Parabolæ non ſunt extendendæ ultra comparationis tertium. Jam vero ſcopus parabolæ illius eſt agere de privatis offenſis, quas proximo debemus condonare, non autem de cauſis juſtificationis, vel de myſterio redemtionis. 2.) Chriſtus loquitur de remiſſione, ſed non de modo, an fiat per ſatisfactionem, an ſine ſatisfactione. 3.) Poſito, quod ratio peratur a prima juſtificationis cauſa, ſcilicet gratia & miſericordia Dei, ſicut Deus nobis remittit peccata, ita & nos proximo debita remittamus: tamen reliquæ juſtificationis cauſæ non excluduntur, alias nec fides requireretur ad juſtificationem, cum illius quoque non fiat ibi mentio, quam tamen Socinus requirit p. 83. nec vitæ puritas & innocentia. &c. Ad *minorem* reſp debita eſſe duplicia, *interna*, quæ lædunt honorem creditoris, & *externa* ſeu civilia, quæ bona fortunæ reſpiciunt. Jam vero peccata noſtra lædunt Dei majeſtatem. Diſtinguendum etiam inter creditorem *privatum* & pecuniarium, & inter creditorem *publicum* & judiciarium, hoc eſt, juſtitiæ exactorem. GERHARDUS.

(**) Smalcius in exam. 157. errorum, err. LIX. p. 18. *Chriſtus pœnas peccatorum in ſe luendas non ſuſcepit, quia pœna peccatorum eſt mors nempe æterna, hanc enim vox mortis per ſe plerumque ſignificat, & hoc antithesis requirit* Rom. VI. 23. *Chriſtus autem non æternam, ſed triduanam tantum mortem pro nobis paſſus eſt* Idem err. CL. p. 39. *Ex dignitate perſonæ non poteſt ſumi valor actionis. Quis enim dicat, plus valere actionem regis in ſolvendis pro aliquo centum florenis, quam ſubditi regii idem facientis? Quis item dicat, plus valere actionem regis, ſi Deo obedientiam præſtat, verbi gratia, ſi ſit ſobrius, quam alicujus hominis plebeji, niſi forte apud Deum ſit προσωποληψία.* GERHARDUS.

mundare, quia est Filii Dei sanguis, 1 Joh. I. 7. perinde ut Act. XX. 28. Paulus pronunciat, *Deum suo sanguine διὰ τῆ ἰδίᾳ αἵματος ecclesiam sibi acquisivisse.* Ideo Christus suo sanguine ecclesiam sibi acquirere potuit, quia est verus Deus, ac proinde sanguis ejus est Dei proprius sanguis. Res igitur eo redit, quod infinito nostro malo, peccato puta, & infinitis pœnis per peccata promeritis opponatur infinitum Christi meritum & infinita ejus satisfactio. Ut enim peccatum est infinitum malum, quia contra infinitum Deum committitur, etiamsi brevissimo temporis spatio perpetretur: ita λύτρον Christi est infinitum bonum, quia a persona infinita præstitum, etiamsi certo & determinato tempore persolutum. Infinitas temporis in Christi passione ac morte locum habere nec debuit, nec potuit: non illud, quia respectu personæ jamdum erat infiniti ponderis ac valoris; non hoc, quia ἀδύνατον erat κρατεῖσθαι τὸν τῆ θεῆ υἱὸν ὑπὸ τῆ θανάτου, Act. II. 24. tribus potissimum de causis: 1.) propter unionis *personalis* indissolubilitatem. Quamvis unio naturalis animæ & corporis in Christi morte soluta esset, mansit tamen vinculum unionis personalis ἀδιάλυτον, *quod enim semel adsumsit ὁ λόγος, nunquam deponit*, necessarium igitur fuit corpus Christi resurgere, utpote τῷ λόγῳ *personaliter* unitum. 2.) Propter divinarum promissionum infallibilitatem. Psalm. XVI. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, sanctum tuum videre corruptionem. Semen mulieris conteret caput serpentis*, Gen. III. 15. Ergo non succumbet in hoc duello cum morte. Christus est *sacerdos in æternum*, Psalm. CX. 4. Ergo non manebit in morte. *A carcere & judicio sublatus est*, Esaj. LIII. 8. Ergo non relinquetur in sepulcri carcere. *Adscendet perruptor*, Mich. II. 13. Ergo non erit perpetuo depressus: huc pertinent vaticinia prophetica de æterno Christi regno, quod non potuisset inchoare, si in mortis captivitate fuisset detentus. 3.) Propter corporis sanctitatem. Psalm. XVI. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Nostra corpora rediguntur in pulverem, quia sunt *corpora peccati*, Rom. VI. 6. habitat in illis peccatum, sed Christi corpus non vidit corruptionem, quia est sanctum, imo ipsius τῆ λόγου proprium templum & habitaculum. Propter has causas non potuit Christus subire æternam mortem, ex quo tamen infinitati pretii, per mortem Christi præstiti, nihil plane decedit.

§. LI. V.) *Si Christus pro peccatis nostris satisfeciisset, plus ipsi deberemus, quam Patri cœlesti, qui nihil tale nobis præstitit. Consequens absurdum. Ergo & antecedens.* Catechismus Racov. ib. *Resp.* Vitiosissima oppositio est Christi & Patris cœlestis (*). Quamvis enim solus Filius, non Pater, nec Spiritus sanctus, humanam naturam in personæ unitatem adsumsit, atque in adsumta carne redemtionis opus perfecit, ab eo tamen neutiquam vel Pater vel Spiritus sanctus penitus separandus. 1.) Quia communi sanctissimæ Trinitatis consilio partes mediatoris ac redemtoris Christo obtigerunt, inde pronunciat Christus, se in opere redemtionis *sic agere, sicut mandatum sibi fuerit a Patre*, Joh. XIV. 31. 2.) Quia Pater non est a Filio separatus, sed est in Filio, Joh. XIV. 10. *Non credis, quia ego in Patre & Pater in me est? verba, quæ loquor vobis, a me ipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera.* Inde notanter dicit apostolus 2 Cor. V. 18. *Deus nos reconciliavit sibi ipsi per Christum.* v. 19. *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non imputans illis delicta eorum.* 3.) Quia Pater obedientiam Filii ratam ac gratam habuit, ac sacrificium illud in odorem suavitatis suscepit. Matth. III. 17. *Hic est Filius meus dilectus,*

5.) *Plus deberemus Christo, quam Patri cœlesti.*

ἐν

(*) Num Menenius Agrippa non ejusdem erat naturæ, loci, ordinis ac dignitatis cum reliquis senatoribus, aut minus ita plebis secessione offensus, cum intercedendi munere susceptio plebem patribus reconciliaret? GERHARDUS.

ἐν ᾧ ἐυδόκησα. Eph. V. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Miranda igitur erat & grato corde prædicanda admirabilis illa & incomprehensibilis salutis nostræ œconomia, nequaquam vero curiosius scrutanda, multo minus diabolicis calumniis deformanda, inter quas est illa Samosatenianorum, quod *Christi misericordia hac ratione statuatur major, quam Patris, cum ipse a nemine satisfactionem postulaverit;* quod *incertum sit, an Spiritus sanctus in reconciliatione fuerit a partibus Patris vel Filii,* quod *hac ratione Christo plus gratitudinis debeamus, quam Patri &c.* Atqui una est Patris, Filii & Spiritus sancti divinitas, una voluntas, una misericordia, una justitia, inde utrumque pronunciat scriptura, quod *Deus Pater nos dilexerit, & Filium suum tradiderit in mortem,* Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. & quod *Filius nos dilexerit, ac se ipsum pro nobis tradiderit,* Gal. II. 20. quod *Christus nos reconciliaverit Deo,* Rom. V. 10. & quod *Deus nos reconciliaverit sibi ipsi in Christo,* 2 Cor. V. 19. Satisfactio Christi proprie loquendo non respicit solum Patrem, sed divinam justitiam, quæ Patri, Filio & Spiritui sancto communis est, abfit igitur calumnia de hostili dissensione Patris & Filii in hoc admirando reconciliationis opere. Lombardus libr. III. dist. 19. lit. F. *Reconciliavit nos tota Trinitas virtutis usu, scilicet dum peccata delet: sed Filius solus impletione obedientiae* (*).

6.) Doctrina de satisfactione Christi occasionem præbet ad flagitia.

§. LII. VI.) *Doctrina de satisfactione Christi pro peccatis nostris praestita hominibus occasionem praebet ad flagitia, vel ad minimum in pietate remissos ac desides facit: jam vero testatur scriptura, inter alia etiam hoc sine Christum mortuum esse, ut redimeremur ab omni iniquitate,* Tit. II. 14. *& purificati a mortuis operibus serviremus Deo vivo.* Hebr. IX. 14. Catechismus Racov. p. 264. *Resp.* Nequaquam vero ipsa doctrina de satisfactione Christi studium bonorum operum labefactat, multo minus peccatis & securitati ansam præbet, sed pessimus & detestabilis doctrinæ abusus; insignis igitur fallacia accidentis in hoc argumento animadvertitur, quin potius Christus pretioso suo sanguine a peccatis nos redemit. Ergo non amplius serviamus peccato. Christo care constitit debitorum nostrorum persolutio. Ergo non cumulemus ea denuo. Christus pro nobis mortuus est. Ergo non nobis ipsis ac cupiditatibus nostris, sed ipsi ac voluntati ipsius in posterum vivamus. Ita colligit scriptura & per Spiritum Dei renovata mens christiana, ut hac ratione nullum efficacius ὀρμητήριον, nulli acriores ad pietatem stimuli sint, quam pretiosa illa Christi satisfactio. Adde, quod ira Dei adversus peccata in illa clarissime conspiciatur, quippe quæ nulla alia re, quam ipsius Filii Dei passione & morte placari potuit, ergone non reverebimur hanc iram? num audebimus denuo eam peccatis voluntarie commissis accendere? Hoc sane ex doctrina de satisfactione Christi sequitur, quod non possimus ipsimet Deo pro peccatis satisfacere, quodque bona opera non sint eo fine præstanda, ut per illa satisfaciamus Deo pro admissis delictis; sed remotio finis falsi non tollit veros & proprios bonorum operum fines, quos alibi recensebimus. Concedimus sane, Christum etiam hoc fine mortuum esse, ut redemti ab iniquitate serviamus justitiæ, sed ex eo nondum sequitur, quod Christi mors non sit λύτρον & propitiatio pro peccatis nostris; imo vere est medicina non solum prophylactica, sed etiam alexicaca spiritualium morborum nostrorum.

§. LIII. Atque hæc sunt Racovienſis catecheseos sophismata, doctrinæ de satisfactione Christi opposita, ex Socino & Ostorodo repetita, reliqua sunt minoris momenti, & ex illis, quæ antea dicta sunt, facilem habent solutionem (**).

(*) Scriptura dilectionem & *Patri & Filio* tribuit, Joh. III. 16. Gal. II. 20. Eph. V. 25. & *Spiritui Sancto* Rom. V. 5. Adde nus XIII. de Trinit. c. 11. GERHARDUS.

(**) Cujusmodi etiam est illud Smalcii in exam. 157. errorum err. LXXXIII. p. 25. *Christus non*

Excipiunt porro VII.) *Si Christus satisfeciſſet, omnes homines, etiam manifeſte impii, ſalvarentur,* Reſp. Diſtinguendum inter beneficii *acquiſitionem* & ejuſdem *applicationem*; illa generalis eſt, ſiquidem Chriſtus ſua morte omnibus promeruit peccatorum remiſſionem, hæc vero ſpecialis eſt, quia ſoli credentes per fidem beneficii illius participes fiunt. Apoſtolus poſtquam pronunciaverat, *Deum in Chriſto nos ſibi ipſi reconciliaſſe*, 2 Cor. V. 18. ſubjungit, quod *Deus dederit ſibi & reliquis apoſtolis miniſterium reconciliationis*, per quod nimirum homines Deo reconcilientur & beneficiorum Chriſti participes fiant. Vide uberiorem explicationem hujus argumenti tom. IV. locorum tractat. de elect. & reprobat. §. 119. VIII.) *Deus nos dilexit, antequam Chriſtus moreretur. Ergo Chriſtus ſua morte non ſatisfecit, nec dilectionem Dei nobis promeruit.* Reſp. Diſtinguendum inter dilectionem Dei *generalem*, qua Deus omnes homines ut creaturas ſuas complectitur, quæque movit Deum, ut ab æterno de miſſione Filii & hominibus in Chriſto ad vitam æternam reparandis cogitaret; & *ſpecialem*, qua Deus credentes in Chriſtum complectitur, peccata illis remittit & vitæ æternæ actu participes facit: ſpecialis hujus dilectionis cauſa meritoria eſt Chriſti mediatoris ſatisfactio, docente apoſtolo, Eph. I. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Hominem enim in peccata & mortem æternam prolapſum non potuiſſet Deus ſalva juſtitia ſua tam arcte & ſpeciali illa dilectione complecti, ut eum vitæ æternæ heredem ſcriberet, niſi ſatisfactio Chriſti interceſſiſſet, cujus ſoli credentes per fidem participes fiunt. IX.) *Deus præcipit, ut abſque ſatisfactione proximo condonemus delicta. Ergo & ipſe abſque ſatisfactione aliqua nobis eadem remiſit.* Reſp. Dei & hominum diſpar eſt ratio. Deus eſt ipſa juſtitia, lex Dei eſt æterna & immota juſtitiæ regula, contra eam cum committantur delicta, ideo abſque intercedente ſatisfactione a Deo non remittuntur; ſed homo non eſt prima illa juſtitiæ regula, neque πρώτως & principaliter contra hominem delinquitur, ille igitur debet ac poteſt abſque ſatisfactione proximo remittere. Præterea nos multis modis Deo propter offenſas noſtras obnoxii ſumus, æquum igitur eſt, ut citra ſatisfactionem juxta mandatum Dei proximo condonemus, cum nec nos Deo ſatisfacere poſſimus. Eccl. XXVIII. 3. 4. 5. Facile dat veniam, qui ſe venia indigere noverit. Deus autem nemini quicquam debet, jure igitur ſatisfactionem a nobis exigere poteſt. X.) *Regula juſtitiae divinae haec eſt: Anima, quae peccaverit, ipſa morietur;* Ezech XVIII. 20. *contra illam pugnat, Chriſtum innocentem pro nobis puniri* Reſp. Ut miſericordia Dei non pugnat contra illius juſtitiam, ita quoque illa imputatio peccatorum noſtrorum Chriſto facta, quæ eſt admirabile & ſtupendum opus miſericordiæ divinæ, nequaquam illam juſtitiam Dei labefactat. Pater ex immenſa dilectione Filium pro nobis in mortem tradidit: Filius itidem ex immenſa dilectione ſe ipſum pro nobis tradidit, & peccatorum noſtrorum pœnas ſponte in ſe ſuſcepit; nihil quicquam hic agitur contra juſtitiæ regulam, ſed inenarrabiles divitiæ miſericordiæ divinæ manifeſtantur. *Regula haec eſt juſtitiae divinae*, (ſcribit Hunnius

7.) *Si Chriſtus ſatisfeciſſet, omnes ſalvarentur.*

8.) *Deus nos dilexit, antequam Chriſtus moreretur.*

9.) *Jubemur abſque ſatisfactione proximo remittere.*

10.) *Anima, quae peccaverit, ipſa morietur.*

non ſolum pro nobis non ſatisfecit, ſed nec ſatisfacere potuit, cum ipſemet id totum præſtare obligatus fuerit, quod præſtitit: cum nemo pro alterο pœnam corporalem ſuſtinere queat, cum Chriſtus ipſemet Deus fuerit, cui ſatisfaciendum erat ex mente Smiſcii, denique cum non permittat divina juſtitia, ut inſons puniatur pro ſonte, præſertim cum ſons præſto adeſt. err. CXXIV. p. 34. *Ubicunque eſt obedientia par mercedi, ibi demum meritum eſt. Quia vero nulla obedientia mercedi, quam Deus daturum ſe promiſit & jam Chriſto dedit, par eſt, Chriſtus apud Deum proprie loquendo non eſt quicquam meritus.*" GERHARDUS.

nius in tract. de justif. tom. I. col. 557.) *si illa aestimetur ex ultimo rigore suo, quando sine misericordiae adjunctione pensitatur, ut videre est in lapsis angelis; at in mysterio redemtionis nostrae haec justitia temperatur bonitate Dei, &c.*

Pontificiorum de causa justificationis, opiniones erroneae.

§. LIV. Et de Photinianorum in hoc cœlestis doctrinæ capite oppugnando furore hæc sint dicta. Quamvis vero Pontificii itidem statuant, Christum esse causam *meritoriam* justificationis; (sic enim conc. Trident. sess. VI. c. 7. *Meritoria* (causa) *est dilectissimus Dei unigenitus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, per nimiam caritatem, qua dilexit nos sua sanctissima passione, in ligno crucis nobis justificationem meruit.* Bellarminus l. de justif. c. 2. *Efficiens* (causa) *justificationis per modum meriti est Christi passio.* libr. II. de justif. cap. 2. *Si particula* propter *significet causam meritoriam, nos justificari dicemus propter meritum Filii Dei*); tamen sinceritatem hujus doctrinæ, scholasticorum disputationes secuti, multis modis labefactant. I.) Negant Christum esse mediatorem secundum utramque naturam. Lombardus III. sent. dist. 19. lit. G. *Christus mediator est in quantum homo, nam in quantum Deus non mediator, sed aequalis est Patri* (*). Bellarminus libr. V. de Christo c. 1. *Est sententia communis catholicorum,* (Romanensium) *ipsum quidem mediatorem seu principium, quod operabatur opera mediatoris, non fuisse Deum solum vel hominem solum, sed utrumque simul, hoc est, verbum incarnatum, sive Deum humanatum. Principium tamen, quo illa opera a mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, non divinam.* libr. I. de justif. c. 2. Christum vocat causam justificationis non principalem, sed instrumentalem. Busæus in disp. de persona Christi, thes. LXXIX. *Christus est mediator tantum secundum humanam naturam.* Unde Bellarminus libr. I. de justif. c. 2. scribit: *Efficiens* (justificationis) *per modum instrumenti conjuncti est Christi humanitas.* Atqui si divina Christi natura, ejusque operatio ab officio mediationis excluditur, quomodo obedientia & satisfactio Christi erit infiniti meriti, cum finita substantia infiniti effectus per se & ex se causa esse non possit? II.) Negant, Christum in passione sensisse iram Dei & pœnas infernales. Bellarminus libr. IV. de Christo c. 8. *Nova & inaudita impietas est, quod Christus passus sit dolores inferni.* At quid sibi volunt querelæ, quas in Christi persona psaltes regius profert Psalm. XVI. 10. *non relinques animam meam in inferno.* Psalm. XVIII. 6. *Funes inferni ceciderunt super me.* Psalm. XXII. 2. *Deus mi, ut quid me dereliquisti?* Psalm. XLIX. 16. *Deus redimet animam meam de potestate inferni.* Psalm. LXIX 15. *Eripe me de luto, ne infigar.* v. 16. *ne inundet me decursus aquarum, nec absorbeat me profundum.* Psalm. LXXXVI. 13. *Eruisti animam meam ex fovea inferiori.* Non quidem statuimus, Christum post mortem in suo ad inferos descensu cruciatus infernales sensisse, qua in parte Calvinum recte oppugnat Bellarminus; interim negandum non est, Christum passionis & mortis tempore, præsertim vero in horto ad radices montis oliveti, cum sanguinem sudaret, acerbissimos cruciatus, dolores, terrores & angustias vere infernales in sanctissima sua anima & sic vere iram Dei, legis maledictionem, pœnasque infernales persensisse. Quomodo enim peccata nostra vere in se suscepisset, ac perfectam satisfactionem præstitisset, nisi iram Dei individuo nexu cum peccatis conjunctam vere sensisset? Quomodo a maledicto legis

1.) *Negant Christum esse mediatorem secundum utramque naturam.*

2.) *Negant Christum in passione sensisse iram Dei.*

(*) Idem statuunt Bonaventura libr. III. sent. dist. 19. q. ult. art. 2. Thomas parte III. q. 76. Cajetanus comment. in part. III. summ. Thom. q. 76. art. 2. Canus in locis pag. 709. Gregorius de Valentia tom. II. l. 2. de Christo part. II. cap. 4. pag. 166. col. a. lit. D. GERHARDUS.

legis nos redemisset, factus pro nobis maledictum, nisi judicium Dei irati persensisset? III.) Negant, Christum perfecte pro peccatis & pœnis peccatorum nostrorum satisfeciſſe. Quidam statuunt, Christum tantum pro originali peccato satisfeciſſe, nobis autem pro actualibus satisfaciendum esse. Ambr. Catharinus, archiepiscopus Compsanus, prolixum volumen de incruento sacrificio nov. test. Romæ edidit, quo adserit, *Christi passionem prodesse quidem pro originali & actualibus peccatis ante baptismum, sequentia vero esse missis & bonis operibus expianda.* Sed recentiores videri volunt hoc negare, statuunt Christum pro originali & actualibus peccatis satisfeciſſe, sed pro pœnis peccatorum temporalibus nobis esse satisfaciendum (*). Quid vero fit de pœnis æternis? quidam dicunt, Christum non minus pro illis ut pro peccatis satisfeciſſe, remanere igitur tantummodo pœnæ temporalis debitum; quidam vero dicunt, pœnam æternam peccatis debitam potestate clavium mutari in temporale, ut pro ea satisfacere possimus. Vide tractat. de pœnit. §. 118. & seqq. Atqui quantum tribuitur nostris satisfactionibus, tantum honoris & gloriæ decedit Christi satisfactioni, qui tamen *torcular calcavit μονώτατος unus & solus*, ut habet versio Symmachi Esa. LXIII. 3. & ex ea Justinus in dialog. cum Tryph. p. 188.

3.) Negant, Christum perfecte pro peccatis & pœnis eorum satisfeciſſe.

IV.) Negant Christum sua obedientia & satisfactione talem promeruisse justitiam, quæ per fidem nobis adplicetur, quave coram Deo consistere possimus, quinimo hanc fidem, qua quis certo statuit propter Christi satisfactionem peccata sibi in specie remitti, vocant *Lutheri figmentum*, & justitiam Christi per fidem nobis imputatam vocant *imaginariam & putativam justitiam*, ut notum est ex Bellarmino libr. I. de pœnit. cap. 6. mendacio 8. & libr. II. de justif. cap. 3. Asperit hac ratione potissimus finis satisfactionis a Christo præstitæ, si justitia ipsius negatur nobis imputari.

4.) Negant, Christum promeruisse justitiam, quæ fide nobis imputetur.

V.) Pontificii dolores Mariæ sic exaggerant, ut non minus eam, quam Christum, passam esse statuant, imo *quia ille extra, hæc autem in corde passa, ideo plus etiam eam esse passam: proinde, ut illius passionem pater acceptarit pro sacrificio mundi, sic etiam hujus susceptisse sacrificium vel utilitatem & salutem generis humani, quo & ipsa esset perpetua mediatrix inter Deum & hominem. Duo ergo hic altaria Patri præparata: unum in corpore Christi, alterum in corde Mariæ.* Taulerus in libello passionum a L. Surio edito Lugduni, pag. 158. & 346 (**). Neve obvertatur, in den-

5.) Statuunt, b. Mariam Christi adjutricem fuisse in opere redemtionis.

(*) Compendium theol. verit. l. VI. cap. 32. *In justificatione impii est aliquid ex parte Dei, aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex parte ecclesiæ. Ex parte Dei duo, misericordia, quæ malum indulget, & justitia, quæ emendam aliquantulam exigit vel hic vel in futuro purgatorio. Ex peccatoris parte sunt etiam duo, scilicet Dei amor & dolor, & hæ sunt duæ molæ, quibus peccatum conteritur. Ex parte ecclesiæ similiter sunt duo, primo meritum Christi & sanctorum, secundo indulgentia per papam & episcopos.* GERHARDUS.

(**) Atque hinc b. Mariam statuunt Christi adjutricem fuisse in opere redemtionis. Sic enim legitur in Mariali anno 1493. Argentinæ per Martinum Simmium edito in folio, libr. I. c. 5. fol. 3. b. *Ad ultimum fuit Dominus cum ea* (Maria) *& ipsa cum Domino in eodem labore & in eodem opere redemtionis. Mater misericordiæ adjuvit patrem misericordiarum in opere nostræ salutis, unde prædictum est de prima muliere: faciamus ei adjutorium. Quid est ergo, quod Dominus dicit* Esaj. LXIII. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est Domine, quod non fuit vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* libr. III. parte 2. *Attendendum & jugiter recolendum, quod tam devota coadjutrix exstitit ad mundi redemtionem, ut sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, quem sustinuit filius pro mundi redemtione: sic non esset dolor, sicut dolor ille, quem ipsa pertulit in corde pro eadem causa.* libr. II. part. 1. causa. 24. *Si Maria pro nobis, quis contra nos, & si ipsa est,*

densissimis superiorum temporum tenebris hæc esse scripta & decantata, notandum, quod Vincentius Brunius in meditat. festorum b. virginis edit. Colon. anno 1599. pag. 11. sic scribat: *Cum Deus decrevit Filio suo unigenito pro redimendo genere humano adsumendam esse carnem, simul etiam decrevit & praedestinavit, quae deberet esse ejus mater & redemtionis nostrae cooperatrix.* Item, quod Dillingæ anno 1573. editus sit liber cantionum a Johanne *Lisentrit*, in quo ita docet alloqui b. virginem: *Du Maria rein, durch dein Gehorsamkeit und gottselig Demütigkeit, hast dem Teufel zerknirscht sein Haupt, und ihn aller seiner Macht beraubt* (*). Gregorius de Valentia & Bellarminus non omnino improbant versionem illam Gen. III. *ipsa conteret caput tuum;* cum tamen in Hebræo sit תשופנו præter unicum exemplar textus Hebraici, quod corrupit Guido Fabricius.

6.) *Disputant, satisfactionem Christi non fuisse simpliciter necessariam.*

VI.) Disputant, non fuisse absolute & simpliciter necessariam Christi satisfactionem ad remissionem peccatorum & salutem nobis impetrandam, quod ipsum dignitatem satisfactionis illius non mediocriter labefactat. Thomas parte III. quæst. 46. artic. 3. *Deus potest sine satisfactione remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem.* Biel III. sent. dist. 20. quæst. 11. *Rationes Anshelmi in libris*: Cur Deus homo, *nihil probant, nisi procedant ex ordinatione divina praesuppositа, quia posset Deus hominem non condere, posset remittere peccatum per solam non imputationem, posset per alium satisfieri, potuisset quilibet pro se satisfacere, si data fuisset prima gratia sine merito.* Petrus Tartaretus in IV. sent. dist. 15. fol. 524. *Dico, quod quicunque peccator potest satisfacere de peccato commisso, secluso merito passionis Christi de potentia Dei absoluta, sed non de potentia ordinata, nisi merito passionis Christi. Probatur ista conclusio, quia si Verbum non fuisset incarnatum vel pro nobis passum, praedestinatus ad vitam aeternam potuisset satisfacere ad vitam absque merito passionis Christi.* Bellarminus libr. II. de gratia & libero arbitrio cap. 9. talem prædestinationis ordinem in mente divina nobis describit: *Primum praevidit Deus, si hominem condaret, eum lapsurum cum omni posteritate, & simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes vel aliquos. Secundo voluit hominem condere, & ut laberetur, permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis juste relictis. Tertio excogitavit remedia salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio & passio Christi &c.* qua de re quid sentiendum sit, exposuimus tom. IV. tract. de elect. & reprob. §. 197. VII.) Rationem ac pretium satisfactionis a Christo præstitæ non constituunt in infinita vi & efficacia meriti Christi, justitiæ divinæ perfecte satisfacientis, sed in misericordiæ divinæ acceptatione, qua Deus passionem Christi ex tanta caritate profectam ratam & gratam habuerit, ut obtinere possint, etiam nostra opera esse satis-

7.) *Fundamentum satisfactionis non quaerunt in infinita vi meriti Christi.*

est, quae justificat, quis est, qui condemnet? Brigitta in revel. c. 3. *Ego Filius Dei bene dicere possum, quod mater mea & ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipsa cordis dolore & amore.* Osorius tom. IV. p. 530. *Christus in calvaria carnem, Maria immolabat animam.* Hinc in antidotar. animæ f. 118. ita adloquuntur b. virginem: *Adoro & benedico sanctissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis caput calcasti.* Osorius tom. V. p. 139. *Maria est mulier illa excellentissima, quae contrivit caput serpentis.* Tom. III. pag. 402.

Mariæ victoria fuit, quæ contrivit caput serpentis. GERHARDUS.

(*) Alphonsus Salmeron tom. X. tract. 41. p. 339. *Maria stetit sub cruce, ut esset corredemtrix, quemadmodum Eva una cum Adamo malum invexit* ibid. *Ut prior fœmina a viro habuit costam, ex qua condita fuit, ita secunda Heva haec* (Maria) *Spiritum a Christo accepit, quo posset esse aliis auxilio & saluti.* Ibid. *Christum matrem suam prope crucem vocasse ait, ut ipsa mater Filium suum in sacrificium Patri aeterno pro toto mundo offerret, ut Abraham filium suum Isaac ex obedientia offerre voluit.* GERHARDUS.

satisfactoria, utpote ex caritate profecta, licet in minori gradu, cum caritas non sit tanta ac tam perfecta. Durandus IV. sent. dist. 15. *Christus secundum strictum justitiae rigorem non potuit satisfacere, quia quicquid erat in Christo secundum humanam naturam, erat obligatum Deo & ei debitum, ideo non potuit esse satisfactio de condigno pro quocunque peccato, considerando naturam operis vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundum acceptationem gratuitam.* Rectius Thomas part. III. quæst. 22. art. 3. *Christi passio relata ad divinitatem consequitur ex ea infinitam virtutem:* Thomam hac in parte recte sentientem sequitur Bellarminus libr. II. de justificatione cap. 5. Biel III. sent. dist. 19. artic. 3. dub. 2. *Remissio debiti fit per passionem Christi, nam plus placuit Deo haec voluntas Christi secundum hominem voluntarie morientis ex tanta caritate elicita, quam omnium hominum displicuere peccata.* VIII.) Merito Christi absolutissimo & perfectissimo sanctorum merita conjungunt. In *hortulo animae* anno 1599. iterum edito sic orant: *Precibus & meritis b. Mariae semper virginis & omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regna cælorum.* Biel lect. 29. in canonem missæ. *Nos ad mediatores sanctos eorumque auxilia confugere debemus, ac debita veneratione eos semper implorare, ut salvemur eorum meritis ac votis.* Medicina indulgentiarum papalium componitur ex merito Christi & meritis sanctorum &c. Vide locum de pœnitentia §. 117. & §. 132. Quid de s. Franciſci ſtigmatis & meritis S. Claræ monachi confinxerint, notum est ex Bernhardino *in rosario* part. II. serm. 27. pag. 224. ex *conformitatibus Francisci* anno 1590. Bononiæ recusis, & ex libro, cui titulus: *flosculi Franciſci.* Nimirum finxerunt, *Franciſcum esse alterum Christum, qui quinque vulnerum stigmatis sibi ab angelo in solitario quodam loco impressis servet a morte aeterna viros, qui a tempore illius usque ad finem mundi vixerunt & vivent. Item b. virginem merito suae virginitatis servasse mulieres, quae vixerunt usque ad tempora Clarae sanctimonialis, quae & ipsa merito suae virginitatis eas servaverit, quae porro usque ad finem mundi victurae essent.* Cumque Petrus Paulus Vergerius, episcopus Justinopolitanus, huic figmento opponeret librum italica lingua scriptum, cui titulus: *Discorsi sopra Fioretti di S. Francesco*, damnatum est illud scriptum decreto Pauli III. Romanorum papæ, ad valvas Basilicæ Petri Romæ adfixo anno 1559. die 30. Dec. Tursellinus, citante Possevino select. bibliothec. pag. 295.

Qui Franciſcus erat, jam tibi Christus erit.

Et statim:

Jam Franciſcus erit, qui modo Christus erat.

§.) *Merito Christi addunt merita sanctorum.*

IX.) Eidem Christi merito noſtra subordinant atque addunt merita, cum tamen scriptura hæc invicem opponat. Rom. XI. 6. *si ex gratia*, (propter Christi meritum) *jam non ex operibus nostris.* Petrus de Palude IV. sent. dist. 20. quæst. 3. *Pro parvulis sufficit meritum Christi, quia non possunt mereri, sed adultis non sufficit meritum Christi cum baptismo, sed tenentur addere meritum proprium* (*). Cotterus in ench. cap 7. de meritis bonorum operum. p. 293. *Majorem vim & gloriam meritis & morti Christi tribuunt, qui docent, illis non solum peccata hominibus condonari, hoc est, homines a morte animae ad vitam revocari: sed eis quoque vitae restitui dignitatemque conferri promerendi operibus non exiguum hujus mundi, sed immensum atque aeternum futurae vitae stipendium.* Lessius in consultat. pag. 19. *Meritis operum Christi meritum extollitur, quia illud adeo statuitur essi-*

9.) *Christi merito addunt nostra.*

(*) Index expurgatorius Madriticus pag. 149. ex libro, qui inscribitur: *ordo baptizandi cum modo visitandi aegrotos*, impresso Venetiis anno 1575. deleantur illa: *Credis non propriis meritis, sed passionis Domini nostri Iesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire?* Et paulo post. *Credis, quod Dominus noster Iesus Christus pro salute nostra mortuus sit, & quod ex propriis meritis vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ipsius?* GERHARDUS.

efficax, ut nobis etiam facultatem merendi conferrit, sicut omnipotentia Dei commendatur, quando rebus creatis vis una operandi non denegatur. Subterfugium istud frivolum suo postea excutietur loco, hac vice ex Bernhardo serm. LXVII. in cant. dicimus: *Deest gratiae, quicquid meritis deputas.* X.) Disputant, Christum non solum nobis gratiam & gloriam, sed etiam sibi corporis gloriam & nominis exaltationem promeruisse. Lombardus III. sent. dist. 18. Thomas p. III. quæst. 49. artic. 6. Bellarminus libr. V. de Christo cap. 9. (*). Atqui Christus ratione sui nullo indigebat merito, quia in ipsa unione secundum adsumtam naturam humanam nomen multo præstantius angelis sortitus est, & super omnes creaturas evectus; in exaltatione, quæ est consequens & velut præmium quoddam exinanitionis, non data est Christo nova potestas, quam antea per unionem personalem non habuerat, sed collata plena facultas administrandi sui regni (**). Quicquid igitur Christus meruit, id nobis meruit, non sibi, *nobis* enim *natus est*, *nobis datus*, Esa. IX. 6. *nobis factus est justitia, sapientia, sanctificatio & redemtio.* 1 Cor. I. 30. Opponimus ergo Bellarmino Vegam in opusc. de merit. quæst. 6. *Christus totam suam gratiam, totamque gloriam essentialem sine meritis habuit in primo suo humanitatis instant.*

10.) *Disputant, Christum sibi aliquid promeruisse.*

XI.) Et quid multis? Bonaventura & Biel disputant, Christi passionem non esse solam & totalem causam meritoriam justificationis & salutis nostræ. Bielis hæc sunt verba libr. III. sentent. dist. 19. concl. 5. *Etsi Christi passio sit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni & gloria: nunquam tamen est sola & totalis causa meritoria, quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo vel de condigno recipientis gratiam vel gloriam, si fuerit adultus, rationis usum habens, aut alterius pro eo, si caret usu rationis* (***). Johannes Geilerus Keisersbergius in concione de adscensione Christi. fol. 73. *Der HErr fuhr auf von eigner Kraft*

11.) *Statuunt, Christi passionem non esse solam & totalem causam justificationis & salutis nostræ.*

(*) Idem ex Calvinianis statuit Zanchius, passim docens, *Christum sua obedientia sibi ipsi vitam æternam promeruisse.* Junius scribit, *fidem christianam nihil laborare, sive dogma illud probetur, sive improbetur.* Piscator & Vorstius idem statuunt cum scholasticis, Piscator quidem in cap. II. Phil. ad v. 9. pag. 173. Vorstius in Antibellarm. pag. 55. 56. Ravenspergerus in pentade quinta censuræ & judicii de illustrioribus theologorum quæstionibus q. 2. ubi pro sua sententia citat Bullingerum in Apoc. serm. 27. & addit: *Duo sunt, quæ Christum sibi meruisse statuimus, videlicet vita æterna & summa illa ac singularis gloria, qua pro Filio Dei ab omnibus creaturis rationalibus agnoscitur, ac proinde ut verus Deus adoratur, quarum illam sibi meruit observatione legis juxta illud: Qui fecerit ea homo, vivet in eis,* Levit. XVIII. 5. *Hanc vero per multas ac varias passiones atque inprimis per mortem crucis.* Phil. II. 9. Contrarium statuit ipse Calvinus libro II. institutionum cap. 17. §. 6. GERHARDUS.

(**) Urgent locum Phil. II. 9. Resp. 1.) In Græco est διὸ, quod componitur ex *articulo* ὁ & *præpositione* διὰ, reddendum igitur, *proinde, quocirca.* Vulg. versio minus commode *propter quod.* 2.) Scopus apostoli non est, ut fiduciam meriti inculcet, sed ut humilitatis studium commendet, ut a Deo gratuita humilitatis præmia exspectemus. 3.) χαρίζεσθαι significat *gratis donare* vel *largiri.* Jam vero ubi gratia seu donum gratuitum, ibi exsulat meritum secundum debitum. Objic. Hebr. II. 9. *Eum, qui modico minoratus quam angeli, videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.* Resp. 1.) Verba recte sic ordinantur, ut Christus dicatur factus minor angelis propter passionem. 2.) Si vel maxime referantur ad exaltationem, tamen non innuitur effectus meriti, sed ordo & consequentia passionis ac gloriæ. 1 Pet. I. 11. τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. GERHARDUS.

(***) Vitus Miletus in discuss. 600. error. edit. in 4. anno 1604. scribit, *Christum esse quidem causam universalem salutis nostræ, sed tamen nec totalem, nec integram.* Idem statuit Alphonsus Salmeron tom. VII. tract. 40. edit. Col. 1602. pag. 208. GERHARDUS.

Kraft, das iſt, von eignem Verdienen, alſo lug du, daß du auch in deinem eignen Verdienen auffahreſt; viel Menſchen ſind, die allein in dem Verdienen Ieſu wollen behalten werden. Ja ſprechen ſie, Chriſtus hat für uns gelitten, und uns das Himmelreich verdienet, was bedarf ichs denn zu verdienen? Es iſt wahr, quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam. Meritum Chriſti eſt univerſalis cauſa, ſed non totalis,) *der Genüge, aber nicht der Kraft nach, der Verdienſt Chriſti iſt die allgemeine, aber nicht die ganze Urſach. Darum fehlen die Narren, die alſo reden, Chriſtus iſt GOtt und Menſch geweſen, ſein Verdienſt iſt unendlich geweſen, &c. Solche Narren verſtehen nicht, was ſie ſagen, das Verdienſt des HErrn iſt nicht die ganze Urſach unſerer Behaltnuß, du muſt dein Steuer und Hülf auch darzu thun.* Ruard. Tapperus, decanus Lovanienſ. tom. I. artic. 6. de ſatisfact. pag. 241. expreſſe ſcribit: *Satisfactio Chriſti per ſufficientiam non meretur nomen perfectae ſatisfactionis, nec redemtio, nec reconciliatio per ſufficientiam haec merentur nomina.* An hoc ſit doctrinam de cauſa meritoria juſtificationis ſincere tractare, judicet, qui judicare poteſt.

Per quid Chriſtus juſtitiam nobis promeruerit?

§. LV. Poſtquam igitur comprobatum dedimus, Chriſtum θεάνθρωπον eſſe *meritoriam* cauſam juſtificationis, inquirendum reſtat, per quod Chriſtus juſtitiam coram Deo valentem promeruerit? *Reſpondemus* ex ſcripturis, totam Chriſti obedientiam tam *activam*, quam *paſſivam*, tam vitæ, quam mortis ad illud meritum concurrere. Quamvis enim in compluribus ſcripturæ dictis morti & effuſioni ſanguinis Chriſti redemtionis opus tribuatur, id tamen haudquaquam *exclusive* accipiendum, ac ſi ſancta Chriſti vita ab opere redemtionis per hoc excludatur, ſed ideo illud fieri exiſtimandum, quia nuſquam illuxit clarius, quod nos dilexerit ac redemerit Dominus, quam in ipſius paſſione, morte ac vulneribus, ut loquuntur pii veteres; & quia mors Chriſti eſt velut ultima linea ac complementum, τέλος, finis & perfectio totius obedientiæ, ſicut apoſtolus inquit Phil. II. 8. *Chriſtus exinanivit ſe factus obediens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quid quod plane ἀδύνατον eſt, *activam* obedientiam a *paſſiva* in hoc merito ſeparare, quia in ipſa Chriſti morte concurrit voluntaria illa obedientia, & ardentiſſima dilectio, quarum prior Patrem cœleſtem, poſterior nos homines reſpicit, Joh. X. 18. *Nemo tollit animam meam a me ipſo, poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Gal. II. 20. *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſe ipſum pro me.*

An habitualis Chriſti juſtitia a cauſa meritoria exſulet?

§. LVI. Certum igitur eſt, obedientiam Chriſti *activam* & *paſſivam* eſſe meritoriam cauſam noſtræ juſtificationis. Sed quid de habituali humanæ naturæ Chriſti juſtitia fiet? num illa a merito noſtræ juſtitiæ plane exſulabit? Minime vero, cum obedientia & ſatisfactio Chriſti inde atque ideo cedat in commodum noſtrum ac ſit meritoria, *primo*, quia eſt ipſius Filii Dei obedientia, unde infinita dignitas ac majeſtas perſonæ conciliat infinitam vim, dignitatem atque efficaciam ejusdem merito. Joh. VI. 51. *Caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* (inde atque ideo Chriſti caro pro mundi vita dari potuit, quia eſt ipſius Filii Dei propria caro.) Act. XX. 28. *Deus redemit eccleſiam ſuo ſanguine.* (Inde atque ideo Chriſti ſanguine redemtionis opus peractum, quia eſt ipſius Filii Dei proprius ſanguis.) Gal. IV. 4. *Deus miſit Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* (inde atque ideo Chriſtus noſtri loco legem implevit, & a maledictione legis nos liberavit, quia eſt Dei Filius & legis ipſius dominus.) 1 Joh. I. 7. *Sanguis Ieſu Chriſti, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato.* (inde atque ideo ſanguis Chriſti nos emundat a peccatis, quia eſt ipſius Filii Dei ſanguis.) *Deinde*, quia eſt innocentiſſimæ, ſanctiſſimæ ac puriſſimæ perſonæ obedientia. Si enim vel minima peccati ſive *originalis* ſive *actualis* labecula Chriſto adhæſiſſet, nec legem pro nobis implere, nec pro peccatis noſtris ſatisfacere potuiſſet. Hebr. VII. 26. *Talis decebat, ut eſſet nobis pontifex, ſanctus,*

ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus. Auguſtinus X. de civitate Dei cap. 24. *Ideo ſolvere potuit moriendo peccata, quia & mortuus eſt & non pro ſuo peccato.*

Error Piſcatoris de cauſa meritoria.

§. LVII. Diſceſſit ab hac ὀρθοδοξίᾳ ſuperiori ſeculo circa annum 1570. quidam *Parſimonius*, vulgo Kargius dictus, antiſtes Onoldinus, *paſſivam* duntaxat Chriſti obedientiam ad cenſum cauſæ meritoriæ referendam eſſe ſtatuens, ſed is a viris doctis ac piis admonitus poſtmodum reſipuit, ac dogmatis ſui vanitatem agnovit. Hanc vero opinionem non ita pridem quaſi poſtliminio revocare & propugnare conatus fuit *Johannes Piſcator* Herbornenſis, contendens, Chriſtum excluſa *activa* ſive vitæ obedientia, ſola *paſſiva* ſive mortis obedientia juſtificationem nobis meruiſſe, qua in parte non ſolum a ſcripturis, ſed etiam a ſuæ fidei aſſeclis homo fanaticus diſceſſit, cum contrarium diſerte ſtatuant Calvinus libr. II. inſtit. cap. 16. ſect. 5. Beza in quæſt. & reſponſ. ſol. 668. & epiſt. 28. Marloratus in cap. IV. Gal. Martyr in locis comm. fol. 721. Catecheſis eccleſiæ Palatinæ quæſt. 36. 60. 61. Vrſinus pag. 394. Sohnius tom. II. exegeſ. in Auguſt. confeſſ. pag. 986. Bucanus in inſtit. theolog. loc. de juſtific. p. 308. & ſeqq. Polanus in ſymph. cathol. cap. 9. & in comment. ſuper Dan. p. 823. & ſeqq (*). Trelcatius in inſtit. libr. II. pag. 76. 151. Quid quod ſynodus Wappinenſis anno 1603. ipſum per literas fideliter admonuerit, *ut dogma hoc non probum atque evangelio contrarium publice retractaret, nec in poſterum animos ſtudioſorum miſere eodem imbueret, aut infirmis ſcandalorum, collegis diſſenſionum & Pontificiis inſultandi occaſionem praeberet* (**). Eſt qui in ſocietatem hujus opinionis etiam Pontificios pertrahere conatur, cum concilium Tridentinum

(*) Idem part. II. theſ. p. 191. Keckermannus libr. III. ſyſt. theol. p. 342. Witakerus in reſp. ad 8. rat. Campianus p. 164. ed. Rup. Foxus in diſp. contra Jeſuit. tom. III. pag. 1001. ed. Rupell. GERHARDUS.

(**) Georg. Carletonus in libr. de conſenſu eccleſ. cath. contra Trident. parte III. de juſtif. c. 3. prolixe diſputat contra hanc opinionem Piſcatoris. *Quia* (inquit) *novam litem atque inauditam antea in eccleſia ſuſcitant nonnulli de obedientia Chriſti activa, quam negant imputatam nobis eſſe aut ad juſtificationem noſtram eſſe neceſſariam, hanc novitatem ſuccincte examinabimus.* Poſtquam multis contra hanc opinionem diſputavit, tandem ſubjungit. *Sufficiant haec ad hanc novitatem coercendam, quae nuper ſine auctoritate, ſine ratione excogitata eſt, quam ſacrae ſcripturae, quam patres e ſcripturis ubique convellant, quam eccleſia magno conſenſu uſque ad Martini Lutheri tempora ignotam habuit. Nec quisquam acrius aut illuſtrius in hac re veritatem propugnat, quam Lutherus ipſe & magni illi e Germania viri, qui in evangelio propagando Luthero ſucceſſerunt, ut mirum videatur Germano cuiquam hanc novitatem placere potuiſſe.* Idem tamen cum Piſcatore ſtatuunt Martinus Bremenſis, Tilenus Sedanenſis, Goclenius Marpurgenſis, Ravenſpergerus pent. V. ſubtil. theol. q. 3. Nec per omnia probari poteſt, quod Lubertus in catal. error. p. 357. ſcribit, *activam quidem obedientiam Chriſti non eſſe ſeparandam a paſſiva*; interim tamen negat, *totam Chriſti humiliationem eſſe λύτρον iſtius ſolutionem, ſed ſolam mortem etiam redemtionis noſtrae pretium.* Piſcatori adſurgunt Pierius in defenſ. orthod. confeſſ. p. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 199. 200. ubi Pareum & Urſinum adducit, Lud. Crocius in apolog. pro Auguſt. confeſſ. p. 402 & in adſert. Auguſt. conf. p. 88. 604. Matthias Martinius in chriſtiana & catholica fide, Bremae anno 1618. impreſſa p. 259. 260. *Quomodo ſancta Chriſti conceptio noſtra peccata tegit, ne in conſpectum Dei veniant? 1.) quatenus in ea conſideratur Domini altiſſimi exinanitio, in qua exinanitione tota & ſola poſita eſt ſatisfactio pro peccatis noſtris.* p. 298. *Porro quod ad legis implementionem attinet, ſi ea ſignificet dilectionem Dei ſupra omnia & obedientiam creaturae rationali convenientem erga creatorem, exinanitio non fuit. Nam qui debitum Deo officium praeſtat, quatenus id abſolute debitum eſt, is non dicitur eo ſe exinanire. At Chriſtus ſecundum humanam naturam Deum diligendo praeſtitit id, quod abſolute debuit. Ergo.* Henricus Wetzelius in diſp. Caſſellis habitis diſp. XIV. th. 19. *An obedientia humiliationis Chriſti ab initio vitae uſque ad exaltationem ſit res illa, quae nobis remiſſionem peccatorum adquiſiverit?* Adfirmatur ex Rom. V. 18. 19. Gal. III. 13. Ratio. *Quaecunque enim Chriſtus pro nobis ſuſtinuit & ſubiit volens, & quicquid fecit & paſſus eſt; ad quod*

sess. VI. cap. 7. & Bellarminus, ejusdem hyperaspistes libr. I. de justificatione cap. 2. solius passionis Christi in adsignanda meritoria, justificationis causa mentionem faciant: sed enim cum concilium Tridentinum differe addat, Christum sanctissima sua passione nobis meruisse justificationem, cumque Bellarminus libr. V. de Christo cap. 9. scribat, Christum suis operibus ac laboribus nobis omnibus gratiam & gloriam adquisivisse, denique cum Costerus in ench. pag. 296. disertam faciat mentionem operum Christi, sicque activam obedientiam cum passiva conjungat, ideo nolumus sinistri quidpiam de illis hac in parte suspicari.

Status controversiae.

§. LVIII. Statum controversiae in consideratione dictatorum Mentzeri sic format Piscator. *Ego*, inquit, *obedientiam Christi distribuo in obedientiam vitae & obedientiam mortis. Obedientiam vitae nomino, quam praestitit legi, sancte secundum illam vivendo. Obedientiam mortis voco, quam praestitit speciali mandato Patris patiendo & moriendo pro electis. Mortis obedientiam hanc adpello κατ' ἐξοχήν, passiones alias Christi non excludens, sed a principali eam (idque ductu scripturae) denominans. Hae duae (ut ita loquar) obedientiae adcurate sunt discernendae & nequaquam confundendae, nam plurimum differunt. Quippe ad obedientiam vitae obligatus fuit Christus jure naturae sive creationis tanquam verus homo & filius Adae, quantum ad legem moralem, nec non jure foederis a Deo pacti cum posteris Abrahami & Israelis. Ad obedientiam vero mortis nullo jure fuit obligatus, sed jure diverso, nempe voluntariae sponsionis.* Haec Piscator, quae passim repetit in sua analysi novi testamenti & in epist. ad pastores Gallicanos Wappinei congregatos. Nos contra statuimus, Christum non tantum patiendo & moriendo, sed & agendo seu perfecta obedientia legem implendo, hoc est, non solum *passiva*, sed etiam *activa* sua obedientia esse causam meritoriam nostrae justificationis.

Occasio erroris.

§. LIX. Occasio erroris *primaria* est Nestoriana personae Christi divulsio. Quomodo namque de operibus Θεανθρωπικοῖς recte sentire potest, qui fundamentum unionis hypostaticae labefactat? Qui Zwinglianam allœosin amplectitur, nunquam poterit infinitatem meriti a Christo praestiti tueri. Martinius, Piscatoris collega, secutus Bezam pag. 15. incis. & pag. 184. spic. propositionem illam: *Deus est passus;* synecdochice sic resolvendam esse statuit: *Caro est*

quod ipse tanquam justus & Dei Filius non fuit obligatus, illud est res illa; qua justi sumus coram Deo. Atqui tota illa obedientia & humiliatio Christi est id, quod Christus sustinuit. Descripsit hoc ex libro Martinii, cujus titulus: *Christiana & catholica fides* edit. Brem. A. 1618. p. 299. 663. Ergo cum illo consentit in hac quaestione. Jacob. Strackius sub praesidio Goclenii Marpurgi disputationem habuit, sub hoc titulo: *disputatio theologico-physica ad doctrinam de justificatione hominis peccatoris coram Deo illustrandam adprime necessaria*, in qua Piscatoris opinio defenditur. Goclenius in collegio physico-theologico disp. IX. p. 91. scribit, *quod obedientia mortis agni immaculati, puri, immaculati, sancti, Christi, nobis ad justitiam imputetur, ita ut obedientia mortis sit justitiae & remissionis peccatorum causa συνεκτική, sanctitas vero vitae causa sine qua non.* Johan. Crocius in libr. de justit. Cassellis anno 1634. edito in describenda causa meritoria justificationis non facit mentionem *activae* obedientiae Christi. Quinimo quamdiu Calviniani doctrinam de vera & reali communicatione naturarum ac de vera communicatione divinae majestatis Christo secundum carnem facta negant, tamdiu etiam negare coguntur, *activam* Christi obedientiam ad causam meritoriam justificationis pertinere. Si enim Christus juxta humanam naturam non est dominus legis, utique ut homo est legi subjectus, obstrictus ad Deum diligendum ex toto corde &c. ergo dilectione illa sua non potuit legem pro nobis implere. Videatur Pareus in comm. Gal. V. 4. p. 287. 288. in epist. ad Hebr. V. 8. pag. 237. p. 238. 239. & adparebit, ipsum argumentis Socini non posse satisfacere. GERHARDUS.

est passa: Humana natura tantum mortua est. At si passio & mors Christi tantum humanæ naturæ, non autem personæ competit, quomodo constabit ei vis & efficacia satisfaciendi pro peccatis mundi. Idem judicium est de sanctis Christi actionibus, quas eum humanæ tantum naturæ actiones esse statuant, quid mirum, quod ab officio redemtionis eas secludant? cui pestilentissimo errori opponenda est regula illa certissima: *Actiones & passiones sunt personae.* Non igitur agit & patitur tantum humana natura, sed agit & patitur Christus θεανθρωπος, Dei & Mariæ filius, persona, inquam, agit & patitur, nimirum in assumta carne, qua de re plura suo loco. *Secundaria* erroris causa esse potuit singularitatis & novitatis studium, ex quo & aliæ complures novæ interpretationes dictorum scripturæ originem ducunt, quas in commentariis suis ecclesiæ obtrudit. Quo etiam refero disputationes illas scholasticorum & Pontificiorum, quod Christus sibi ipsi promeruerit corporis gloriam & nominis exaltationem, quas cupide amplectitur Piscator in analys. cap. II. Phil. pag. 177. scribens: *Christum etiam sibi vitam aeternam seu beatitudinem cœlestem promeruisse.* Itemque alibi, *Christum sanctitate vitae sibi promeritum esse summam illam gloriam, qua nunc pro Domino omnium creaturarum agnoscitur & adoratur;* in consid. dictatorum pag. 45. Refero etiam huc disputationes eorum, qui Calvinum sequuntur, *quod Christus tantum pro electis passus & mortuus sit.* Si enim illis licuit infinita hominum millia a fructu satisfactionis Christi sequestrare, etiam sibi licere Piscator statuit, obedientiam Christi *activam* ab ipsa satisfactione segregare.

Argumenta nostræ sententiæ.

§. LX. Ceterum cum theologi Giessenses, præsertim Mentzerus in aliquot scriptis (*), & Eckhardus libro peculiari Piscatorianam illam ματαιότητα solide refutarint, ideo brevibus solum argumenta nostræ sententiæ proponemus, ac potiora adversarii sophismata discutiemus. Sic igitur argumentamur: Si Christus mediator in officio redemtionis non solum pro nobis mortuus est, sed etiam 1.) voluntatem Patris cœlestis fecit: 2.) legem implevit: 3.) factus sub lege, 4.) ut per obedientiam ejus constitueremur justi, 5.) & justificatio legis in nobis impleretur: 6.) cum ipse sit finis legis ad justitiam omni credenti: 7.) ac proinde factus nobis a Deo justitia: 8.) in quo efficimur justi; consequens est, non solum *passivam*, sed etiam *activam* obedientiam Christi esse nostram coram Deo justitiam. Sed verum prius; ergo & posterius. Ut connexio *majoris* sit evidens, notandus προσδιορισμὸς ille, quod Christus mediator in officio redemtionis legi divinæ se subjecerit, eandemque impleverit: atqui quicquid Christus mediator in officio redemtionis præstitit, illud nostri loco præstitit, idque imputatur nobis ad justitiam coram Deo. *Minoris* singulæ partes ex scripturis sunt deductæ. I.) Christus mediator voluntatem Patris cœlestis fecit. Psalm. XL. 8. 9. *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam volens, & legem tuam in medio cordis mei.* Hunc locum epistola ad Hebr. X. 7. diserte ad Christum refert, & expresse addit v. 10. *Hac voluntate Christi nos esse sanctificatos.* Huc referenda illa Christi in novo testamento pronunciata, in quibus passim adserit, *se non venisse, ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret.* Joh. IV. 34. V. 30. VI. 38. &c. II.) Christus implevit legem, Matth. V. 17. *Nolite putare, quoniam venerim solvere legem aut prophetas, non veni solvere, sed implere;* ubi non solum de genuina legis interpretatione, sed etiam de perfecta ejusdem impletione sermonem esse, contextus ostendit. III.) Christus *factus est ὑπὸ νόμον sub lege, ut a maledictione legis liberaremur*, Gal. III. 13. IV.) Per obedientiam Christi justi constituimur. Rom. V. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitae.* v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius homi-*

(*) Videatur & disputatio Feurbornii contra Combachium th. 177. GERHARDUS.

hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi. V.) Christi beneficio ac merito τὸ δικαίωμα *justificatio legis in nobis impletur.* Rom. VIII. 4. VI.) Est enim *finis legis* Rom. X. 4. τέλος perfectio & consummatio, atque hac ratione finis. VII) *Factus nobis a Deo justitia.* 1 Cor. I. 30. VIII.) *In quo efficeremur justitia*, perfecte justi, 2 Cor. V. 21. Immota igitur constitit conclusio, etiam *activam* Christi obedientiam esse nostram coram Deo justitiam (*).

§. LXI.

(*) Not. quoque I.) Matth. V. 17. *Non veni solvere legem, sed implere;* ubi *de ea lege loquitur Christus, ad quam non destruendam, sed implendam venit, quamque in subsequente concione enarrandam suscepit. At ceremoniales & forenses leges destructum venit* Eph. II. 14. *moralem implevit & explicandam sumsit. Ergo. Venit autem Christus, ut legem moralem impleret, aut frustra, aut sui aut nostri causa. Non primum, ut constat. Nec secundum, ut inferius demonstrabitur. Ergo.* Excipit Piscator 1.) *Christum legem impleviſſe non vitæ sanctitate, sed doctrina. Ut enim prophetas, ita legem implevit. At illos doctrina. Ergo.* Resp. Christus venit quidem, ut legem impleret explicando, non solum, verum etiam ut impleret obediendo, quod patet a) *ex* oppositione: Solutio legis est non tantum ejus adulteratio, sed maxime violatio. Ergo impletio non est tantum sincera ejusdem explicatio, sed maxime servatio. b) *Ex* v. 19. ubi τὸ implere exponitur per τὸ facere. Facere autem legem est obediendo implere, non tantum explicare. c) *Ex* Piscatoris testimonio, qui in scholiis super hunc locum v. 17. scribit: *implere legem est præstare ac facere, quæ lex præcipit.* 2.) Λῦσαι *quidem violationem notare, sed non compositum* καταλῦσαι. Resp. a) quod καταλῦσαι etiam violationem denotet, probat verbum πληρῶσαι, quod significat debitam obedientiam legi præstare & legi servare. Quia ergo illud huic opponitur, ergo eandem significationem habet cum simplici λῦσαι. b.) Τὸ καταλῦσαι v. 19. per simplex λῦσαι exponitur. Not. II.) Rom. V. 18. *Per unius obedientiam.* Excipit Piscator: *Obedientiæ nomine intelligi passionem & mortem.* Resp. falsum hoc, quia 1.) Paulus *obedientiam* explicat per δικαίωμα. At sola obedientia mortis non est δικαίωμα, alias etiam diaboli haberent δικαίωμα, quia patiuntur mortem infernalem. 2.) Δικαίωμα opponitur παραπτώματι. Ut ergo παράπτωμα est ἀνομία, ita δικαίωμα vi oppositionis est ἔννομία. 3.) Inobedientiam Adami opponit apostolus obedientiæ Christi. Quod ergo per inobedientiam Adæ intelligitur, ejus contrarium per obedientiam Christi intelligetur. Sed per illam intelligitur actio ἄνομος. Ergo per hanc actio ἔννομος. 4.) Obedire proprie notat actionem legi conformem 5.) Talis obedientia intelligitur, per quam justi constituimur v. 19. At per solam obedientiam mortis non constituimur justi, quia nec fur mox dicitur justus, licet sit obediens ad mortem. III.) Ad locum Gal. IV. 13. Quo modo nos eramus sub lege, eo modo etiam Christus factus est sub lege. Atqui nos eramus sub lege non tantum maledictionis & pœnarum, sed etiam obedientiæ ratione. Ergo. Excipit Piscator, *Christum factum esse sub lege ratione solius maledictionis.* Resp. 1.) Nos eramus sub lege non tantum ratione maledictionis, sed etiam ratione perfectæ obedientiæ. Totum hoc nostrum debitum luendum Christus in se suscepit. Si igitur solam pœnam & non simul obedientiam ille præstitit, non totum debitum solvit, sed præcipuam ejus partem nobis solvendam reliquit, quam quia solvere non possumus, metuendum, ne in carcerem conjecti æternum pereamus. 2.) Si Christus factus est sub lege ratione maledictionis, quam a nobis avertit, certe etiam ratione obedientiæ idem sub lege est factus, quia justitia divina a maledictione non absolvit, nisi ei obedientia perfecta fuerit satisfactum. 3.) Gal. IV. 21. inquit apostolus: *Dicite mihi, qui sub lege esse vultis &c.* ubi τὸ *velle sub lege esse* non notat velle esse sub maledictione, voluntatis enim objectum per se est tantum bonum adpetibile, sed sub observantia & observatione legis esse velle. Eodem modo v. 5. *sub lege esse* notat observantiam legi perfectam debere. Instat Piscator: *Ut non valet: Filius Dei factus est ex muliere, ut nos a maledicto legis liberaret. Ergo per incarnationem ipsam facta est illa redemtio; ita nec valet: Filius Dei factus est sub lege, ut eos redimeret. Ergo per ipsam subjectionem facta est redemtio.* Resp. *Nobis natus est puer*: Esaj. IX. 6. *nobis natus est salvator* Luc. II. 11. hoc est in nostrum commodum & utilitatem. Si ergo in nostram salutem natus est, per ipsam etiam incarnationem redemtio

§. LXI. Excipit Piscator. I.) *Voluntatem illam cœlestis Patris, quam Christus mediator in officio redemtionis implevit, non esse intelligendam de lege morali, sed de speciali mandato satisfaciendi ac moriendi pro electis,* Resp. Prophetia & complementum exactissime sibi invicem respondent; Jam vero complementum ostendit, legem moralem in diebus carnis suæ Christum impleviſſe. Matth. V. 17. Rom. VIII. 4. Gal. IV. 4. Ergo prophetia psalmi XL. de eadem intelligenda erit. Sane Christus in arcano Trinitatis consilio mediator ac redemtor constitutus partes illas promtissime suscepit, ex eo autem non potest deduci, quod Christi obedientia *activa* vel *passiva* non respiciat legem *moralem*, sed speciale quoddam mandatum cœlestis Patris. Cum enim Christus ut mediator nostri loco sese ut obedientem servum ex immensa dilectione Deo stiterit, & peccata nostra sibi imponi passus fuerit, ideo etiam in hoc suo officio omnia & singula legis moralis præcepta perfectissime nostri loco implevit, ac pœnas peccatis nostris debitas insuper sponte suscepit. Quod si *activa* Christi obedientia juxta normam legis moralis præstita a causa meritoria justificationis excluditur; *passiva* vero non ad legem moralem, sed ad speciale quoddam mandatum moriendi pro electis refertur; consequens est, Christum nulla plane ratione nec agendo, nec patiendo legi morali pro nobis sese subjecisse, cujus contrarium ipse Piscator statuit pag. 102. considerat. *Christus* (ait) *pro nobis & nostro loco est subjectus legi:* & in cap. V. Matth. *Christus implevit legem tum ceremonialem, quatenus pro electis mactatus est in sacrificium expiatorium, tum moralem partim patiendo, partim agendo.* Quod pro electis tantum Christus adscritur mortuus, id alibi plenius discussum. II.) *Christum' sanctitate vitae impleviſſe quidem legem, sed pro se ipso, ut obedientia activa vitam aeternam, passiva vero summam gloriam exaltationis sibi promereretur: non autem pro nobis nec nostrae justificationis causa.* Resp. 1.) Si Christus sui causa legem implevit, servus & debitor legis fiet, qui est ejusdem Dominus. Christus enim ut homo est æternus Dei Patris Filius per & propter unionem hypostaticam Filius autem Dei æternus non est debitor legis, sed dominus. Imo ipse diserte testatur Marc. II. 28. *se filium hominis & dominum sabbati*, & proinde totius decalogi, quia totus decalogus est divinus. 2.) Obedire legi eamque implere est pars officii Messiæ. Pro se autem officium Christus non suscepit, nec eo perfungitur. 3.) Sequeretur, ipsum etiam λόγον, ut Deus est, qui in humana natura & per illam obsequium legi præstitit, sui causa impleviſſe legem, eique subjectum esse ex debito. Actiones enim & passiones Christi nec possunt nec debent considerari, ac si essent tantum naturæ humanæ actiones & passiones, sed ut personæ. Persona enim est, quæ agit & patitur. Porro Christus in primo statim incarnationis momento juxta humanam naturam obtinuit illam majestatem & gloriam, ut factus sit omnium creaturarum dominus, siquidem adsumta humana natura per unionem personalem in ipsum λόγον supra omnes creaturas est evecta, qua non potest esse major gloria ac majestas in cœlo & in terra. Unde *cum introducit Pater Filium in orbem, jubet eum adorari ab omnibus angelis*, Hebr. I. 6. & Mariæ Filius adhuc in præsepi recumbens *a magis adoratur*, Matth. II. 11. Pari ratione Christus ut homo in primo statim incarnationis momento factus est heres omnium, quippe Dei Filius & dominus vitæ æternæ, proinde vitam æternam ac gloriam adorationis non necesse habuit per obedientiam, tanquam meritum quoddam illius, demum

Exceptiones Piscatoris.
1.) Christum speciali mandato Patris sese subjecisse.

pro se ipso impleviſſe legem.

2.) Christum

tio facta esse, negari nequit. Quia enim lex non actionum duntaxat, sed ipsius etiam naturæ & nativitatis puritatem atque sanctitatem exigit, & non actiones modo nostræ sunt pollutæ, sed ipsa etiam natura & nativitas, ideo ad nostri justificationem & sanctificationem præter sanctitatem operationum etiam naturæ ac nativitatis sanctitatem a redemtore nostro necessario fuisse requisitam, negari nequit. GERHARDUS.

mum acquirere. Interim non negamus, quod exaltationem ordine divinitus sancito prægressa sit exinanitio, cujus illa fuit consequens & velut præmium quoddam, quo referenda dicta Psalm. CX. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Phil. II. 8. 9. *Factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, διὸ καὶ propterea superexaltavit eum Deus:* id alibi sic exponitur, Christum *per passionem intrasse in suam gloriam.* Luc. XXIV. 26. Christum *ideo mortuum esse ac resurrexisse, ut mortuis ac viventibus dominetur.* Rom. XIV. 9. *Per passionem mortis gloria & honore coronatum,* Heb. II. 9. (*) Relinquitur igitur, non sui causa, sed propter nos Christum impleviſse legem, quod qui negat, is finem missionis Christi, adeoque totam salutis nostræ œconomiam negat, ac credentes omnes adhuc legi obnoxios esse statuit. Nec est, quod obvertat Piscator, *sanctitatem vitae pertinere ad constitutionem personae mediatoris, ac proinde non concurrere ad meritum justificationis;* siquidem Christus non tum demum fuit mediator constitutus, cum in ara crucis se ipsum offerret in sacrificium, sed a primo inde incarnationis momento est noster Jesus, mediator ac redemtor; sufficit enim ad personæ mediatoris constitutionem personalis unio divinæ & humanæ naturæ, quicquid postea in officio mediatoris Christus egit ac passus est, id non concurrit ad constitutionem personæ mediatoris, sed ad partes officii pertinet, ac propter nos & nostram salutem peractum est. III.) *Christum factum esse sub lege tantum ratione passionis.* Resp. Imo vero non solum ratione pœnæ, sed etiam ratione *activae* obedientiæ factus est legi subjectus, ut ex tota Christi historia manifeste adparet, quod confirmatum damus hoc argumento ex ipso contextu apostoli desumto. Quomodo nos eramus sub lege, eo modo Christus nostri loco sese sistens factus est sub lege. Atqui nos eramus sub lege non solum ratione pœnæ ac maledictionis, sed etiam ratione jugi atque oneris gravissimi. Ergo etiam Christus utroque modo factus est sub lege. Id ipsum adparet ex phrasi apostolica v. 21. *dicite mihi, qui sub lege esse vultis,* οἱ ὑπὸ νόμον εἶναι θέλοντες, ubi non potest phrasis illa aliter accipi, quam sub obedientia & observatione legis ejus. Si uno tantum modo, videlicet ratione pœnæ & maledictionis, Christus nostri loco factus est sub lege, non autem simul ratione perfectissimæ obedientiæ, sequetur, nos adhuc obligari ad præstandam numeris omnibus perfectam legi obedientiam, quod ipsum non minus, quam maledictio legis, est *jugum importabile;* Esai. IX. 4. Act. XV. 10. Illius vero jugi atque oneris facta est a nobis in Christum translatio, qui totum nostrum debitum, non solum partem ejus, in se suscepit. Vide Theodoretum, Augustinum, Anshelmum, quin & ipsum Calvinum in hunc locum. IV.) *Obedientiae nomine intelligi passionem & mortem Christi.* Resp. Imo vero obedientia πρώτως καὶ κυρίως actionem respicit, sine qua ne cogitari quidem potest; definimus igitur hanc obedientiam ex Hebr. X. 5. & seqq. quod sit voluntaria Christi mediatoris actio, qua cum delectatione voluntatem Patris cœlestis fecit ad nostri sanctificationem. Nec posse *activam* obedientiam in loco Rom. V. excludi, docet oppositio primi & secundi Adami. Quemadmodum inobedientia primi Adami fuit actio, mandati scilicet divini transgressio, & complectitur non solum pœnam, sed etiam culpam; ita obedientia secundi Adami, videlicet Christi, non solum consideranda est in perpessione pœnarum, sed etiam in *activa* ejus obedientia. Quid? quod diserte pronunciat apostolus, *gratiam Christi superabundare delictum Adae?*

3.) *Christum factum esse sub lege tantum ratione passionis.*

4.) *Nomine obedientiæ intelligi passionem, Christi.*

(*) Gloria Christi hominis, qua adoratur & glorificatur pro Domino omnium creaturarum, est effectum seu immediatum consequens unionis hypostaticæ. Ergo non est merces obedientiæ. Particulæ *διὸ, propter, propterea* non semper sunt notæ causæ meritoriæ, sed crebro tantum consequentiæ Act. XX. 26. Hebr. III. 7. 2 Pet. I. 10. GERHARDUS.

Adae? Quod si per & propter inobedientiam Adæ non solum pœnis sumus subjecti, sed etiam concreata integritate spoliati & peccatores constituti, qua veritatis specie adseri potest, Christum solummodo pro peccatis nostris esse passum, non autem *activa* sua obedientia perfectam sanctitatem fide nobis imputandam peperisse? hac ratione delictum Adæ superabundabit Christi gratiam. V.) *Nusquam commemorari sanctam vitam Christi tanquam eam rem, per quam justificemur, quaeve nobis ad justitiam a Deo imputetur, sed tantum sanguinem Christi fusum scilicet cum sensu irae Dei propter peccata nostra, quae Christus expianda in se susceperat.* Resp. Per commemorationem passionis & mortis non excluditur obedientia Christi *activa*, quæ cum ea arctissimo & individuo nexu est conjuncta, siquidem Christus *in vita passivam habuit actionem, in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terrae*, ut pulcerrime loquitur Bernhardus serm. IV. hebdom. pœnosæ col. 124. Ergo non *activa* sola & seorsim, nec *passiva* sola & seorsim, sed utraque conjuncta & proinde plena, integra & perfecta Christi obedientia toti legi divinæ præstita per fidem adprehensa justificamur. Nec potest justitia legis in nobis impleri, nisi per imputationem perfectæ obedientiæ Christi, quam agendo & patiendo præstitit; sola perpessio pœnarum non est justitia legis, sed perfecta cum lege conformitas, alias sequeretur damnatos perfectissime implere legem, cum exquisitissimas peccatorum suorum pœnas sustineant. VI.) *Christum esse finem legis, quia ceremoniales leges suo adventu complevit, & a maledictione legis sua passione nos liberavit.* Resp. Hæc suo quidem loco recte dicuntur, sed impletio legis *moralis* ab obedientia Christi non est excludenda. Manifestum est ex textu, apostolum præcipue loqui de lege *morali*, ex qua Judæi captabant justitiam, hujus igitur legis moralis τέλ⊙ς, id est, perfectionem & consummationem Christum esse pronunciat. Scopus apostoli est, convincere Judæos, quod frustra ex lege quærant justitiam, cum aspernentur eum, qui justitiam illam, quæ coram Deo valet, jamdum acquisierit perfecta scilicet legis impletione, eandemque fide acceptandam in evangelio offerat, unde sic argumentamur: Quam obedientiam lex a nobis exigit, & nos præstare non possumus, eam Christus nostri loco præstitit, & legem pro nobis implevit. Atqui obedientiam etiam *activam* perfectissimam lex a nobis exigit, & nos præstare non possumus. Ergo obedientiam etiam *activam* perfectissimam Christus nostri loco præstitit, & legem pro nobis implevit. VII.) *Christum factum esse nobis justitiam per sacrificium mortis, ac nos fieri justos remissis passionis Christi merito peccatis.* Resp. Vera & perfecta coram Deo valens justitia complectitur non solum peccatorum remissionem, sed etiam justitiæ Christi imputationem, ut suo loco demonstrabitur. Illa Christi justitia est *activa*, & consistit in obedientia erga divinam legem. Ergo *activa* Christi obedientia non potest excludi a justificationis merito. Observanda cumprimis pulcerrima antithesis in dicto apostolico 2 Cor. V. 21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso.* Quomodo Deus Christum pro nobis fecit peccatum, eo modo Christus factus est nobis justitia, vel quod idem est, nos efficimur justitia, hoc est, justi in ipso. Atqui Deus eo modo Christum pro nobis fecit peccatum, ut imputaret ei peccata nostra, & pœnas peccatorum nostrorum ipsi imponeret. Ergo & nos sumus justi in Christo non solum liberatione a peccati reatu, sed etiam imputatione perfectæ Christi justitiæ: pœnis peccatorum nostrorum respondet Christi passio; deformitati ipsorum respondet sanctissima ejus obedientia, quæ est vestis illa justitiæ, qua Christus mediator credentes induit.

5.) Sanctam vitam Christi nusquam referri ad causam meritoriam.

6.) Christum esse finem legis, quia leges ceremoniales abolevit.

7.) Christum factum esse nobis justitiam per sacrificium mortis.

§. LXII. Argumenta contra novam illam opinionem formari possunt longe plurima, quæ ex scriptis nostrorum superius adlega-

Testimonia veterum.

tis petuntur. Hac vice oſtendemus, pios veteres ſuum in hac quæſtione non denegare nobis conſenſum. Juſtinus in ἐκθ. πίσ. (*) p. 299. *Quandoquidem peccato ſuo Adam morti genus humanum ſubjecit, & naturam cunctam debito obnoxiam reddidit, Deus exiſtens Filius & homo transgreſſionem lapſumque Adae revocavit atque abolevit,* (ἀνακαλεῖται) *ac quatenus homo, cum ſine crimine innocenter vitam egit,* (ἀμέμπτως πολιτεύεται) *tum voluntariam ſubiit mortem, per converſationem quidem ſummam & exactam lapſum evacuans,* (διὰ τῆς ἀκρας πολυλείας ἀφαιζῶν τὸ παράπτωμα) *per mortem autem indebitam debitum extinguens: qualenus vero Deus, & quod ſolutum erat, reſtituit, & mortem ipſam prorſus ſolvit.* Irenæus libr. V. adv. hæreſ. cap. 14. (juxta Gelaſii diſtinctionem) *Quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum, in ſecundo autem Adam reconciliati ſumus, obedientes usque ad mortem facti &c.* Poſtea addit cap. 15. *Propter hoc in noviſſimis temporibus in amicitiam conſtituit nos Dominus, per ſuam incarnationem mediator Dei & hominum factus, propitians quidem pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, & noſtram inobedientiam conſolatus.* Cap. 18. *Soluta eſt ea, quae fuerat in Adam, praecepti Dei praevaricatio per praeceptum legis, quod ſervavit filius hominis non transgrediens praeceptum Dei.* Ambroſius in 2 Cor. IV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Adam enim forma mortis eſt cauſa peccati: Chriſtus vero forma vitae eſt propter juſtitiam, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus.* Chryſoſtomus homil. X. in epiſt. ad Rom. c. V. p. 98. *Apoſtolus ſurſum ac deorſum voci hujus* unius *inſiſtens, ea aſſidue in medium adfert, cum dicit: Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit, & ſi unius peccato multi mortui ſunt, &c. nec deſiſtit: ut cum Judaeus dixerit: Quo pacto uno recte agente Chriſto univerſus orbis ſalvus factus eſt? poſſis illi reſpondere, quo pacto uno non obedienti Adamo univerſus orbis condemnatus eſt.* Cyrillus libr. XI. in Joh. XXV. *Per obedientiam & juſtitiam Chriſti, in quantum ſe ipſum legi ſubjecit, quamvis legis auctor eſſet, benedictio & vivificatio, quae per Spiritum eſt, ad totam noſtram penetravit naturam.* libr. XII. in Joh. XVI. *Locupletati ſumus per ſecundum Adamum per obedientiam & benedictionem, auctor enim legis ut Deus, mandata legis ſervavit ut homo.* De recta fide ad reginas: *Quando dicit ſcriptura, per obedientiam unius juſtificatos eſſe multos, non hominem ſimpliciter quempiam nobis ſimilem in hoc derelictum eſſe dicimus, ſed incarnatum potius unigenitum & obedientem pro nobis factum Patri. Non enim fecit peccatum, neque dolus inventus eſt in ore ejus, ſicut ſcriptum eſt.* Primaſius in cap. XI. ad Rom. *Chriſtus nihil propter ſe aut fecit aut paſſus eſt, ſed propter ſalutem omnium.* Leo I. epiſt. LXX. quae eſt ad Juvenalem epiſcopum Hieroſolymitanum: *Ut repararet omnium vitam, recepit omnium cauſam & vim veteris chirographi, quod plus inter omnes non debuit, pro omnibus ſolvendo vacuavit, ut ſicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante juſtitia, ubi eſt humana ſuſcepta natura.* Damaſcenus libr. III. de orthod. fid. cap. 24. *Quemadmodum* (Chriſtus) *paſſiones ſuſtinuit nobis victoriam adverſus ipſas & brabeum comparans,* (νίκην βραβεῦον) *ſic & gravit viam nobis ſternens adſcenſionem ad Deum & pro nobis omnem juſtitiam implens, ut dicebat ad Johannem, nobisque per ſe ipſum reconcilians Patrem.* Anſhelmus in cap. IV. Gal. *Filius Dei factus eſt ſub lege, id eſt, ſubditus eſt legi, non quia ipſe quicquam legi deberet, qui unus eſt legislator & judex, ſed ut eos, qui ſub lege poſiti, legis onera portare nequiverant, ſua compaſſione juvaret, ac de ſervili conditione, quae ſub lege erat, ereptos in adoptionem filiorum, quae per gratiam eſt, ſua largitate deduceret. Factus eſt ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, id eſt, ut a legis ſervitute liberaret, ſicut & mortem ſubire di-*

(*) Huncce librum in germanis JUSTINI libris haud numerandum, ex eo patet, quoniam in iſto vocabula JUSTINI ævo ignota occurſunt.

dignatus est, ut eos, qui mortis dominium evadere non poterant, a morte redimeret. In libro meditat. *Jam lucis optime creator culpis ignosce meis pro dilecti Filii tui laboribus immensis. Jam quaeso ejus pietati mea impietas, ejus modestiae mea perversitas & mansuetudini donetur ferocitas. Jam ejus humilitas meam superbiam, patientia ejus meam impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suavitas iram, caritas lucrifaciat crudelem obstinaciam.* Bernhardus serm. de verbis psalmi: Qui adscendet in montem, &c. *Christus non solum pro omnibus vixit, sed etiam pro omnibus mortuus est.* Serm. ad milites templi: *Quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? quia & justus erat. Profecto namque cum homo esset, potuit mori. Cum justus esset, non debuit gratis. Quid enim? unus peccavit, & omnes tenentur rei, & unius innocentia soli reputabitur uni? unius peccatum operatum est mortem, & unius justitia uni vitam restituet? aut plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Adae peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? illius me inobedientia perdidit, & hujus obedientia non proderit mihi?* Pertinent huc omnia illa veterum dicta, in quibus Christi justitiam (quæ absque obedientia *activa* ne cogitari quidem potest) nobis imputari adserunt, quæ suo loco enumerabuntur. In quibus vero tantum passionis, mortis & sanguinis Christi mentionem faciunt, *synecdochice* loqui intelligendi sunt, ut res ipsa manifeste testatur.

Argumenta Piscatoris.

1.) Scriptura nuspiam meminit obedientiæ activæ.

§. LXIII. Sophismata Piscatoris potiora hæc sunt. I. *Scriptura, praesertim vero apostolus in hac tota disputatione de justificatione, nunquam meminit activae obedientiae, sed tantum passivae, hoc est, fusi sanguinis.* Resp. Contrarium testantur dicta superius adlata. Justificationem apostolus definit non sola peccatorum remissione, sed etiam justitiæ Christi imputatione, ut adparet ex Rom. IV. 6. & 7. & suo loco plenius ostendemus. Jam vero justitia illa Christi consistit in perfecta obedientia erga legem, quam *activam* esse, quis tandem negare poterit? Deus peccatorem justificans non agit nec agere potest contra legem, quippe quæ est æterna & immota norma justitiæ divinæ, requiritur igitur in justificatione perfecta cum lege conformitas, quam cum in homine peccatore reperiri sit ἀδύνατον, ideo necesse est intercedere imputationem justitiæ Christi, qui non solum pro peccatis nostris satisfecit, sed etiam legem divinam perfecte implevit, propter Christum igitur homo peccator justificatur, hoc est, a peccatis absolvitur & justus pronunciatur, imputata ipsi per fidem Christi justitia (*). Proinde quamvis in adsignando justificationis merito scriptura interdum tantum mortis & sanguinis Christi mentionem faciat, ea tamen *activam* obedientiam Christi excludi neutiquam statuendum, cum arctissimo vinculo *activa* & *passiva* obedientia sit conjuncta, siquidem passio Christi nobis non prodesset, nisi esset ipsius Filii Dei voluntarie ac sponte ex summa dilectione nostri & obedientia erga Patrem morientis passio, ac nisi cum eadem plenissima ac perfectissima erga legem obedientia, adeoque totius naturæ & omnium actionum cum lege conformitas esset conjuncta; quinimo in ipsa ἀκμῇ passionis clare conspiciuntur præstantissimæ virtutes in lege requisitæ, videlicet summus amor Dei & ardentissima erga genus humanum dilectio, humilitas, patientia, obedientia, fiducia, invocatio, spes &c. Vicissim passio Christi non in horto demum cœpit, sed per totum vitæ curriculum duravit, διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος γεν-

(*) Aut justificamur secundum decalogum, aut contra decalogum Non contra, quia decalogus est immota regula divinæ voluntatis ejusque justitiæ. Ergo secundum decalogum. Si hoc, ergo aut secundum decalogum a *nobis ipsis* impletum aut ab *alio*. Non a nobis; ergo ab alio, videlicet Christo, ergo non sola passione & morte Christi justificamur. Non enim lex Dei impleri potest per solam passionem. Ergo justificamur per obedientiam *activam & passivam* Christi. Ubi tamen nota, respectu Christi nos justificari secundum decalogum, quia pro nobis eum servavit, non vero respectu nostri, quia nos ipsi in nobis eum multis modis violavimus. GERHARD.

γενναθῆναι ὑπέμεινεν, dicit Justinus in dial. cum Tryph. pag. 222. *sustinuit nativitatem ex virgine*; in circumcisione profudit sanguinem, fugit in Ægyptum, famem, sitim, frigus, convitia, calumnias, labores in prædicando, & quid non passionis ac molestiæ persensit? *Activam* igitur & *passivam* obedientiam Christi divellere est rerum ordinem invertere, & pro tota Christi justitia & obedientia tantum partem aliquam illius substituere. II.) *Christus ut verus homo tenebatur obedire Deo creatori, pro se igitur activam obedientiam legi præstitit* (*). Resp. Filius hominis est dominus Sabbati Matth. XII. 8. Marc. II. 28. & sic etiam totius legis (**). Si Christus esset φιλὸς ἀνθρωπῳ, obstrictus fuisset legi, jam vero in unitate personæ est verus Deus, proinde sui ratione non fuit legi obstrictus, πρῶτον ψεῦδος hujus argumenti, adeoque erroris hujus universi consistit in eo, quod actiones & passiones Christi considerantur, ac si essent tantum naturæ humanæ actiones & passiones. Atqui persona est, quæ agit & patitur, *ac in operibus, quae pertinent ad officium mediatoris, utraque natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius*, ut habet regula concilii Chalcedonensis; nefaria igitur ac Nestoriana est divulsio, si ἀποτελέσματα mediatoris, ad quæ utriusque naturæ ἐνεργείαι concurrunt, uni tantummodo naturæ adscribantur. Obedientia Christi non est naturæ tantum humanæ actio, sed Christi θεανθρώπου, qui *ut nobis natus ac datus* Esa. IX. 6. ita etiam pro nobis *sub lege factus*, Gal. IV. 4. & est τέλος *impletio legis*, non pro se, sed *ad justitiam omni credenti*. Rom. X. 4. Vide Bezam in qq. & resp. fol. 670. ubi recte monet: *Filium Dei non propter se, sed propter nos hominem esse factum. Ergo etiam non sibi, sed nobis & propter nos legi factum esse debitorem.* III.) *Si obedientia vitae Christi nobis ad justitiam imputaretur, non fuisset opus Christum pro nobis mori, quia mortuus est pro nobis injustis*, 1 Petr. III. 18. *& ut justitiam Dei nobis adquireret.* 2 Cor. V. 21. *Ergo non acquisiverat eam sancte vivendo.* Resp. Perpetuus elenchus διαιρέσεως in his & similibus argumentis recurrit. Ad obedientiam Christi non solum sancta ejus vita, sed etiam passio & mors pertinent, hæc igitur non sunt divellenda ac separanda (*). Si statueremus, sola vitæ sanctitate, exclusa Christi morte, partam nobis esse justitiam, locum fortassis haberet hoc argumentum, jam vero ab obedientia Christi nequaquam excludimus ipsius passionem & mortem, sed eidem arctissime illam conjungimus, hoc est, *activam & passivam* obedientiam ad opus redemtionis necessariam fuisse dicimus: sola *activa* non fuisset sufficiens, quia pœna

2.) *Christus ut verus homo tenebatur obedire Deo.*

3.) *Non opus fuisset Christum pro nobis mori.*

(*) Piscator in bibl. ad cap. II. Luc. fol. 234. ad v. 51. & in resp. apol. ad paras. Vorstii part. II. cap. 8. Rollocus Scotus in libr. de vocat. efficac. p. 32. ita argumentantur cum Socino part. III. disp. de Christo cap. 5. p. 277. *Christum ut verum hominem jure creationis pro se ipso debuisse Deo obedientiam vitæ totius plenam, quapropter illa nihil nobis promeruisse.* GERHARDUS.

(**) Regerit Piscator: *Si Christus non fuit legi subjectus. Ergo licuit ipsi contra quartum præceptum monitis parentum refragari, vel alia decalogi mandata violare.* Resp. 1.) Quod Christus secundum legem subditus fuit parentibus, id statui exinanitionis est tribuendum, & in eo summa Christi humilitas agnoscenda, quia creator non tenetur obedire creaturæ. 2.) Non sequitur, si Christus non fuit legi subjectus, ergo causam violare ipsi licuit. Nam & Deus Pater & Spiritus sanctus, licet non sint subjecti legi, non tamen causam violant sc. ex naturæ suæ perfectione & conditione. Idem de Christo statuendum. GERHARDUS.

(*) Passio Christi ejusque satisfactio seu impletio legis non sunt duæ distinctæ species obedientiæ, quarum una absque altera vel perfectionem suam obtinere vel justificare possit, sed sunt unius obedientiæ distinctæ partes simul coeuntes ad constituendum unum integrum, quod cum amissione unius partis perfectionem suam simul amittit. Debitum namque nostrum erat geminum, perfecta scilicet obedientia & perpessio pœnæ. Utrumque debitum Christus diserte præstare debuit, ideo scriptura ipsa actionem & passionem conjungit. GERHARDUS.

pœna erat ferenda propter peccata humani generis expianda; sola *passiva* itidem non fuisset sufficiens, quia expiatis peccatis nihilominus requirebatur perfecta obedientia juxta omnia & singula legis præcepta; utrumque igitur Christus fecit, *iniquitatem expiavit, & perfectam justitiam adduxit*, Dan. IX. 24. *Ut Christus mediator agnoscitur* (verba sunt Mentzeri in explicatione hujus argumenti) *non ex uno tantum vel altero argumento apud prophetas proposito, sed concurrere oportet & consentire omnia & singula de ipso vaticinia: ita ad nos redimendos non sufficit unum & alterum illius opus sive passio, sed omnia & singula concurrere oportet, quae divina lex exigit.* IV.) *Lex obligat vel ad pœnam vel ad obedientiam, non autem simul ad utrumque. Jam vero Christus liberavit nos a pœna, videlicet a damnatione legis, ad quam eramus propter peccatum obligati. Ergo non fuit necesse, Christum pro nobis obedire legi.* Resp. *Majorem* sic limitamus: Lex obligat vel ad pœnam, vel ad obedientiam nimirum creaturas rationales nondum in peccatum prolapsas. Verbi gratia, sanctos angelos obligat tantum ad obedientiam, nullo autem modo ad pœnam; Adamum in statu innocentiæ tantum obligavit ad obedientiam, non autem simul ad pœnam; (nisi sub conditione) ubi enim nulla est transgressio, ibi pœna locum non habet (*). Sed creaturas rationales in peccatum prolapsas lex obligat ad pœnam & ad obedientiam; ad obedientiam ideo, quia sunt creaturæ rationales: ad pœnam vero, quia sunt in peccatum prolapsæ. Sic Adamus post lapsum & omnes ejus posteri obligantur simul ad pœnam & ad obedientiam, quia juri obligationis ad obedientiam per lapsum nihil quicquam decessit, quin potius nova obligatio videlicet ad pœnam propter peccatum sustinendam eidem accessit. Christus igitur & Adæ & nostrum omnium loco sese sistens legem perfecte implevit, & pœnas peccatorum nostrorum in se recepit. Hanc responsionem ipse Piscator agnoscit esse verissimam, ideo etiam hoc argumento pro stabilienda sua opinione non utitur, sic enim scribit in considerat. pag. 42. *In proposito enunciato utrumque disjunctum verum est, saltem respectu certi temporis, quippe ante lapsum lex Dei obligabat hominem & ad obedientiam & ad pœnam. Sed ad obedientiam simpliciter, ad pœnam sub conditione. Post lapsum autem simpliciter lex hominem non renatum obligat, & ad obedientiam & ad pœnam, & quidem simpliciter: ad obedientiam propter jus creationis, ad pœnam propter jus judicis & propter obedientiam non praestitam.* V.) *Si Christus pro nobis sive nostri loco legem implevit, nos non tenemur legi obedire, consequens est falsum, ergo & antecedens.* Resp. Argumentum hoc petitum ex schola Samosatenianorum, qui itidem verentur, ne per doctrinam de satisfactione Christi frigescat studium bonorum operum, quod ea potius accendi, superius ostendimus. Distinguendum igitur inter obedientiam legis, quam requirit Moses, & quam Christus nobis præscribit. Moses imponit nobis grave & intolerabile onus rigidæ, perfectæ, cum comminatione æterni exitii conjunctæ & ad æternam vitam adsequendam præstandæ obedientiæ; ab hoc onere & jugo Christus perfectissima sua obedientia nos liberavit, quam per fidem nobis donat; interim tamen non tribuit licentiam peccandi, sed eum fide datur Spiritus sanctus, qui ad spontaneam obedientiam Deo creatori, redemtori & sanctificatori præstandam nos impellit, quæ quamvis in hac vita non sit numeris omnibus perfecta, ac proinde nec vitæ æternæ meritoria, Deo tamen, utpote ex filiali dilectione & fide in Christum profecta placet. VI.) *Christus unica oblatione consummavit sanctificandos*, Hebr. X. 14. *Ergo obedientia Christi activa non requiritur ad justitiam nostram.* Resp. Apostolus a sanctificatione nostri nequaquam excludit

4.) *Lex obligat vel ad pœnam vel ad obedientiam.*

5.) *Nos non tenemur obedire legi.*

6.) *Christus unica oblatione consummavit sanctificandos.*

(*) Distinguendum igitur inter statum *integritatis* ac statum *lapsus* & corruptionis. GERHARDUS.

excludit obedientiam Christi *activam*, cum diserte pronunciet nos *voluntate Christi*, se ipsum Deo in sacrificium offerentis, sanctificatos esse, v. 10. sed consummationem beneficii nobis parti isti oblationi in ara crucis adscribit, sicut & Christus in cruce exclamat: τετέλεσται, *consummatum est*, Joh. XIX. 30. Obedientia Christi in primo statim incarnationis momento coepta duravit per totam vitam, sed in oblatione illa in cruce peracta suam quasi ἀκμὴν ac τελείωσιν est sortita, ergo ut in aliis rebus consummatio non excludit, sed praesupponit initium ac progressum, ita quoque oblatio Christi in cruce non excludit, sed potius praesupponit *activam* ejusdem obedientiam. Vocula μιᾶς solitariam causam exprimere Piscatori videtur, sed notandum est, eam non opponi *activae* Christi obedientiae, quam auctor epistolae in verbis praecedentibus diserte cum oblatione illa conjungit, sed pluralitati & crebrae repetitioni leviticarum oblationum, quibus in novo testamento exclusis per unam & solam Christi in ara crucis oblationem sanctificati dicimur. Si particula *sola* excluderet reliquas obedientiae Christi partes, consequens foret, passiones oblationem in cruce antegressas eadem excludi, quod ne ipse quidem Piscator concedit.

CAPUT III.

DE CAUSA JUSTIFICATIONIS INSTRUMENTALI.

Causa instrumentalis justificationis.

§. LXIV. Exposita causa justificationis *principali & meritoria*, recto ordine succedit causa *instrumentalis*. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 2. ad classem causae instrumentalis refert humanitatem Christi, quod a nobis probari non potest nec debet, cum procedat ex falsa illa hypothesi, quod Christus sit mediator tantum secundum humanam naturam, cui opponenda est regula, quod actiones & passiones non singulis naturis seorsim, sed toti personae sint attribuendae. Neque est, quod huc trahantur adpellationes veterum, praesertim Athanasii ac Damasceni, quibus humanam Christi naturam vocant *instrumentum deitatis* scilicet unitum; non enim hoc loco quaeritur de discrimine naturarum a se invicem distinctarum, sed de apotelesmate, quod secundum utramque naturam Christo competit, ac proinde uni naturae seorsim non est tribuendum. Christum igitur θεάνθρωπον, non solam Christi humanitatem, quae nec est, nec agit sola, dicimus esse causam meritoriam, non instrumentalem justificationis. *Instrumentalis* vero causa ex parte *Dei* sunt *verbum & sacramenta*, per quae & in quibus beneficia Christi hominibus offeruntur: ex parte nostra *fides*, quae oblata in verbo & sacramentis bona amplectitur sibique adplicat, inde quidam causam *organicam* justificationis dicunt aliam esse *internam*, fidem scilicet, aliam *externam*, verbum scilicet & sacramenta. Si quis adcurate velit loqui, causam instrumentalem respectu Dei vocaverit ministerium verbi & dispensationem sacramentorum, ut innuatur, verbum Dei in ministerio ecclesiastico praedicatum & adnunciatum, ac sacramenta, prout administrantur & dispensantur, hic intelligi, per quae media Spiritus sanctus in cordibus hominum vult esse efficax & fidem in illis accendere, augere & confirmare. Luc. XXIV. 47. *Sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die & praedicari in nomine ejus poenitentiam & remissionem peccatorum.* Act. XIII. 38. *Per Christum* adnunciatur *vobis remissio a peccatis & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari.* Rom. X. 17. *Fides ex auditu, auditus vero per verbum Dei.* 2 Cor. V. 18. *Deus nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Verbum igitur tum ἀκουστὸν tum ὁρατὸν est causa instrumentalis justificationis, nimirum in legitimo usu divinitus constituto & ordinato, quod similitudine Brentii a sceptro regis Ahasveri non quiescente sed contacto desumta in tract. de evang. §. 47. latius declaravimus. *Instrumentalis* causa respectu *hominis* accipientis est *fides*, seu cor fidele, illuminatum a Spiritu sancto & fide donatum, unde apostolus dicit *corde nos credere*; Rom. X. 10. intellige fide imbu-

imbuto ac donato, inde vulgatum illud, quod fides sive cor fidele sit manus mendica, quæ cœlestia bona in evangelio oblata recipiat. De verbo & sacramentis suus erit dicendi locus; de fide hic quædam dicenda erunt uberius, cum doctrinam de fide adversarii variis modis corrumpant.

SECTIO I.

DE FIDE JUSTIFICANTE EJUSQUE PARTIBUS.

Fidei significationes 1.) In scriptis profanis.

§. LXV. *Fidei* vocabulum quas obtineat in sacris & profanis literis significationes, diligenter exponit Flacius in libro, cui hunc ipsum titulum fecit (*). Scriptores profani πίστεως & fidei nomine intelligunt: 1.) *fidelitatem*, animique constantiam in servandis promissis ac contractibus, hinc phrases illæ, πίστιν διδόναι, κατὰ πίστιν συντίθεσθαι. Cicero I. offic. *Fides est dictorum conventorumque constantia & veritas, sic dicta quod fiat, hinc dare fidem;* frangere fidem, Punica fides, Græca fides; hac ratione fides *active* usurpatur. 2.) *Adsensum* & fiduciam, quam adhibemus rei compertæ & explicatæ. Aristoteles IV. topic. cap. 5. ἡ πίστις ἐστὶ ὑπόληψις σφοδρὰ Theogn. πίστει χρήματ' ὄλεσσα. Est enim πίστις a πείθω, *doceo* & *persuadeo*, docendo enim de alicujus rei veritate & bonitate homines persuadentur, hinc phrases: habere fidem, esse aliquid supra fidem &c. Hac ratione fides *passive* usurpatur, & relationem habet ad dicentis fidem *activam* sive veracitatem, cum notet adfectum, quo credimus dicentis veracitati aut fidelitati, quod ea, quæ loquitur, vera sint, quæque promittit, re ipsa sit præstiturus. 3.) Ἔλεγχον ac *probationem* alicujus rei, inde πίστεις ἔντεχνοι *probationes artificiales*, facere alicui fidem, hoc est, adferre argumenta persuadendi, quibus ad fidem habendam promoveatur; hac ratione fides est *medium*, per quod *passiva* illa (ut sic loquar) fides efficiatur. Hæ tres significationes etiam in sacris literis suo modo occurrunt. De prioribus duabus sic scribit Augustinus in libr. de spiritu & litera c. 31. *De hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cum alicui credimus, non ea, quam damus, cum alicui pollicemur, nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus: non mihi habuit fidem, aliter autem: non mihi servavit fidem. Nam illud est, non credidit, quod dixi: hoc, non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles sumus Deo, secundum illam vero, qua fit, quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis* (**). Ad tertiam significationem quodammodo referri potest, *quod doctrina cœlestis, quae est medium & objectum fidei, dicitur fides.*

2.) In Scripturis.

§. LXVI. Proinde ad tres illas classes referemus, quotquot in scripturis occurrunt fidei significationes. I.) Denotatur hac voce fides, ut ita loquar, *activa*, hoc est, veritas & constantia in dictis & factis. Ad hanc classem pertinet,

(*) Augustinus serm. XXVII. in dictum apostoli Hebr. XI. *Laus fidei a me explicari nullatenus potest, a fidelibus cogitari potest.* Clemens Alexand. lib. II. στρωμ. ἡ συνέχουσα τὴν ἐκκλησίαν ἀρετὴ ἡ πίστις ἔστι, δι' ἣν σώζονται οἱ ἐκλεκτοί. Damascenus lib. IV. orthod. fid. cap. 12. πίστει τά τε ἀνθρώπινα, τά τε πνευματικὰ συνίσανται. *Fide omnia humana & spiritualia constant.* GERHARDUS.

(**) Cicero libr. I. offic. *Credamus, quia fiat, quod dictum est, adpellatam fidem.* Ciceronem sequitur Augustinus epist. XIX. ad Hieronymum: *Fides in latino sermone ab eo dicitur adpellata, quia fit, quod dicitur.* Sed convenientior esse videtur illorum ἐτυμολογία, qui fidem a *fidendo* derivatam censent. πίστις dicitur a πείθω vel πείθομαι, notante Budæo & Flacio part. I. clav. p. 308. πείθω est idem, quod *suadeo* vel *suadendo doceo.* Simplicius l. III. de an. πίστις μὲν τέλος, ὁδὸς δὲ ἐπὶ τάυτην τὸ πείθεσθαι. GERHARDUS.

ner, 1.) quod Deo tribuitur fides sive fidelitas ac veracitas Psalm. XXXIII. 4. *Omnia opera ejus in fide.* Rom. III. 3. *Incredulitas hominum fidem Dei non evacuat;* hoc est, Deus manet fidelis & verax in promissionibus, si vel maxime homines non adhibeant illi fidem. 2.) Quod de Christo mediatore dicitur Esa. XI. 5. *Fides cinctorium renum ejus*, hoc est, promissa sua constantissime servabit. 3.) Quando de hominibus fides sive fidelitas, candor & veracitas prædicantur. 2 Sam. XV. 20. *Tibi ac fratribus tuis erit misericordia & fides.* Jer. VII. 28. *Perit fides & ablata est ab ore eorum*, cui opponitur seria admonitio, quod veritatem quisque debeat sectari, & candide cum proximo agere; quidam tamen per fidem ibi intelligunt veram doctrinam. 4.) Quando in specie nomine *fidei* intelligitur constantia in retinenda doctrinæ cœlestis veritate semel agnita. Rom. I. 8. *Fides vestra adnunciatur in toto mundo.* 1 Thess. I. 8. *In omni loco fides vestra, quae est ad Deum profecta.* 5.) Quod de viduis lascivientibus apostolus pronunciat, eas *primam fidem irritam fecisse*, ubi per primam fidem Athanasius libr. VI. de Trinit. Hieronymus in præfat. epist. ad Titum, & Vincentius Lirin. intelligunt primum pactum in baptismo cum Christo initum ac solennem illam promissionem, qua diabolo & operibus ejus fideles renunciarunt: alii intelligunt professionem ministerii circa pauperes & ægrotos curandos. II.) Denotatur hac voce fides, ut ita loquar, *passiva*, qua credimus, & adsentimur Dei verbo. Ad hanc classem pertinent variæ fidei acceptiones, utpote 1.) quando sumitur pro fide *historica*, qua non tantum Deo, sed & hominibus credere dicimur. Exod. XIV. 31. *Crediderunt Jehovae & Mosi servo ejus.* Joh V. 46. *Si crederetis Mosi*, hoc est, si doctrinam illius pro vera haberetis, *etiam mihi crederetis, de me enim ille scripsit.* 2.) Quando sumitur pro *generali adsensu*, quo in genere creditur Deum esse justum & misericordem, ac Filium redemtorem in mundum mississe, sed in specie non fit applicatio. Jac. II. 19. *Credis Deum unum esse, recte facis, etiam daemones credunt, & contremiscunt.* 3.) Duabus hisce significationibus adfinis est ea, qua accipitur pro *nuda fidei professione* ac jactantia. Jac. II. 14. *Quid prodest, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit illa fides ipsum salvare?* 4.) Quando accipitur pro fide *miraculorum*, a qua abesse potest fides justificans. Matth. XVII. 20. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapeos &c.* 1 Cor. XIII. 2. *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.* 5.) Quando fidei voce intelligitur *cognitio libertatis christianae.* Rom. XIV. 22. *Tu fidem habes? penes te ipsum habe coram Deo.* 6.) Quando accipitur pro fide *justificante*, quæ est ex agnita divini verbi veritate per Spiritum sanctum divinæ gratiæ sive misericordiæ per Christum redemtorem in promissione evangelica fiducialis adprehensio ad salutem æternam, ideoque notitiam, adsensum & fiduciam complectitur. Rom. III. 26. *Deus justificat eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Gal. II. 16. *Quoniam scimus, non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, & nos in Jesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Jesu Christi.* III.) Denoratur hoc vocabulo *objectum* ac principium fidei, videlicet doctrina cœlestis divinitus revelata. Lombardus III. sent. distinct. 23. lit. C. ex Augustino lib. XIII. de Trinit. cap. 2. *Aliud sunt ea, quae creduntur, aliud fides, qua creditur, & tamen nomine fidei censetur utrumque, & illud scilicet, quod creditur, & id, quo creditur. Fides, quae creditur, vocatur fides materialis; fides, qua creditur, fides formalis, quia fides, quae creditur, est fidei, qua creditur, objectum, quod alias materia circa quam dici solet. Fides vero, qua creditur, est* πεποίθησις & πληροφορία *in animo credentis.* Ad hanc classem pertinet: 1.) quando in genere vocabulum fidei pro *tota cœlesti doctrina* accipitur. Gal. VI. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei;* hoc est, eos, qui eandem nobiscum profitentur religionem. Gal. I. 23. *Qui persequebatur nos, nunc evangelizat fidem, quam olim vastabat.* Tit. I. 13. *Redargue eos, ut*

ut sint sani in fide. Jud. III. Mentio fit *semel traditae sanctis fidei*, id est cœlestis doctrinæ prædicatæ. 2.) Quando in specie usurpatur pro *doctrina evangelii.* Rom. III. 27. *Per legem fidei gloriatio est exclusa*, id est per doctrinam evangelii. Gal. III. 2. *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* id est, ex prædicatione evangelii. 3.) Huic adsinis est significatio, quando accipitur pro adventus Christi in nov. test. prædicatione ac plena manifestatione eorum, quæ sub ceremoniarum obscuritate latebant. Gal. III. 23. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* 4.) Quando accipitur pro *praecipuis* & fundamentalibus doctrinæ cœlestis *capitibus*, perspicue in verbo Dei propositis. Rom. XII. 7. *Habentes prophetiam secundum analogiam fidei.* Alii sic procedunt, fides accipitur 1.) pro *nuda fidei professione:* Jac. II. 14. 2.) pro *vera de fide doctrina:* Rom. I. 5. Eph. IV. 5. 1 Tim. I. 19. 3.) pro *adsensu:* Joh. IV. 50. Act. XIII. 8. & XIV. 22. 4.) pro πληροφορία vel *fiducia:* Matth. VIII. 10. XV. 28. Luc. XVII. 5. 5.) pro *constantia in religione:* Rom. I. 8. 6.) pro *toto cursu vitae & pietatis:* 2 Cor. I. 24. 7.) pro *conscientia:* Rom. XIV. 23. 8.) pro *fide miraculosa:* Matth. XVII. 20. 21. Marc. XI. 22. 23. 1 Cor. XIII. 2. 9.) pro *constantia in servandis promissis:* Psalm. XXV. 10. LXXXVI. 15. Rom. III. 3. 10.) pro *fidelitate in faciendo officio:* Tit. II. 10. 11.) pro *justitia:* Psalm. CXIX. 75. 12.) pro *rebus creditis* seu impletione promissionum. Gal. IV. 28. Lombardus III. sent. dist. 23. lit. C. *Accipitur fides tribus modis: scilicet pro eo, quo creditur, & est virtus: & pro eo, quod creditur, & non est virtus: & pro eo, in quod creditur, quod aliud est ab eo, quo creditur.* Bonaventura lib. III. sent. dist. 23. fol. 225. b. decem modis fidem accipi dicit: *1.) pro sponsione: 2.) fidelitate: 3.) conscientia: 4.) sacramento fidei: 5.) adsensu: 6.) cognitione comprehensionis: 7.) habitu fidei informis: 8.) habitu fidei formatae: 9.) actu: 10.) objecto fidei.* Alexander Alens. p. 3. q. 74. memb. 1. ponit acceptiones 11. Albertus M. tantum 5. in III. distinct. 23. art. 1. ad 3. Alphonsus a Castro septem in summa de hæres. verbo *fides* hær. 2. Vega novem in tract. de justif. q. I. Gregorius de Valentia decem libr. III. disp. 1. q. 1. punct. 1. col. 6. 7. & 8. 1.) Est fides *christianae religionis:* 2.) est fides *externae professionis:* 3.) est fides *miraculosae operationis:* 4.) est fides *historicae revelationis:* 5.) est fides *justificationis.* Decem fidei significata reperiuntur in scripturis: 1.) significat prima capita religionis christianæ, quod vulgo dicitur symbolum apostolicum: Hebr. VI. 1. 2.) doctrinam evangelii: Rom. I. 5. III. 27. 3.) agnitionem mysteriorum divinorum: Rom. XII. 3. 4.) professionem doctrinæ sonantem in ecclesia: Rom. I 8. 5.) fidem miraculorum: 1 Cor. XIII. 2. 6.) conscientiam per evangelii doctrinam confirmatam: 2 Cor. I 24. 7.) constantiam & veritatem in dictis & factis: Jer. V. 3. 8.) notitiam historiæ de Christo & rebus divinis: Jac. II. 19. 9.) adsensum historiæ: Act. XIII. 8. 10.) παῤῥησίαν seu fiduciam, quæ Christum cum omni suo merito amplectitur, quæ est fides salvifica.

Fides justificans quid sit?

§. LXVII. Hoc loco agimus de fide *justificante*, quæ complectitur *notitiam, adsensum & fiduciam* (*). Respectu *notitiae* & *adsensus* refertur ad intellectum, atque *objecti* loco habet omne & solum Dei verbum in scripturis propheticis & apostolo-

(*) Fides consideratur 1.) *materialiter* ratione omnium actuum, qui in fide justificante concurrunt, licet non omnes justificent: 2.) *formaliter*, quatenus justificat. Priore respectu in certas partes dispescitur, ubi tamen sciendum, cum fides non sit totum vel integrale vel essentiale, nec partes ipsi tales adsignari, ideoque in quadam latitudine utimur hoc partium termino, nihil aliud intelligentes, quam diversos actus se invicem consequentes & in fide justificante concurrentes. Posteriori respectu est tantum fiducia seu fiducialis meriti Christi adprehensio, ideoque hoc sensu partes diversas non agnoscit. GERHARDUS.

apostolicis nobis revelatum: respectu *fiduciae* refertur ad cor sive voluntatem, atque *objecti* loco habet promissiones evangelicas de Christo mediatore. Hinc profluit regula theologica: *Scriptura, quando de fide loquitur, interdum magis respicit ad notitiam, interdum magis ad fiduciam.* Item: *Quaedam de fide dicuntur magis respectu notitiae, quaedam magis ratione fiduciae* (*): & pertinet huc distinctio Augustini, quam proponit tract. XXIX. in Joh. serm. 61. de verbis Domini, in enar. Psalm. LXXVII. serm. 181. de temp. de cogn. veræ vit. cap. 37. ac sæpius repetit. *Aliud est credere in Deum, aliud credere Deum, aliud credere Deo. Credere Deo est credere, vera esse, quae loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere, quod ipse sit Deus, quod & mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere, & ejus membris incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.* Quæ omnia ex sequentibus erunt clariora; addatur tamen Lombardus III. sent. dist. 23. lit. D.

1.) *Quod sit notitia.*

§. LXVIII. Fidem esse *notitiam*, demonstramus I.) ab *etymologia*: πίστις deducitur a πείθω, quod significat *doceo* ac persuadeo. Act. XIX. 8. *Paulus cum fiducia loquebatur, διαλεγόμενος καὶ πείθων, docens & suadens ea, quae sunt de regno Dei.* Ergo ut πείθειν notat actum docentis, videlicet doctrinam de Deo proponere & inculcare: ita πίστις notat ejus effectum, videlicet id, quod docendo ac suadendo in cordibus hominum efficitur, notitiam scilicet quandam ac persuasionem ex actu docentis in animo ortam. De obscuris & non intellectis persuaderi haud quaquam possumus, requiritur igitur, ut lux notitiæ in mente prius accendatur. II.) Ex *synonymia.* Ipsa scriptura definit fidem per scientiam. Esa. LIII. 11. *In scientia sui* בְּדַעְתּוֹ *servus meus justus justificabit multos.* Radix est יָדַע *scivit, cognovit, intellexit.* Joh. XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ἵνα γινώσκωσι, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum;* ubi Syrus usurpat vocem יָדַע Luc. I. 77. *Ad dandam scientiam salutis.* Job. XIX. 25. *Scio, quod redemtor meus vivit,* יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי. Novi redemtorem meum (**). Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei* πίστει νοοῦμεν. III.) Ex *conjugatis.* Homo vel animus fidelis vocatur illuminatus, intelligens, sapiens, illustratus Eph. V. 8. *Eratis quondam tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Oseæ V. 10. *Quis sapiens & intelliget ista? prudens & sciet ista?* Matth. XIII. 23. *Qui audit verbum & intelligit, & adfert fructum.* Eph. I. 17. *Ut Deus det vobis Spiritum sapientiae & revelationis in agnitione ejus.* v. 18. *Illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus.* Col. I. 9. *Ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia & intelligentia spirituali* ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ. IV.) Ex oppo-

(*) Huc spectat quoque illud Bernhardi: *Fidem aliam esse praeceptorum, qua credimus Deo: aliam signorum, qua credimus Deum: aliam promissorum, qua credimus in Deum.* Augustinus tract. XXIX. in Joh. *Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum.* Lutherus in post. eccles. Domin. I. Adv. *Fides historica est potius fides de Christo, quam in Christum.* GERHARDUS.

(**) Job. XIX. 25. ידעתי *scio* ac *certus sum.* Præmittit conjunctionem vel ad significandum consensum cum aliis fidelibus, si sumatur copulative: *Et ego scio cum reliquis*; vel ad adfirmationem stabiliendam, cui particula isthæc nonnunquam inservit initio sententiæ, ut recte vertatur: *Certo scio.* Quæ certitudo magis confirmatur tum per pronomen אֲנִי *& ego scio optime*, scientia mihi familiari & tam certa, ac si oculis haurirem, vel ipso experimento didicissem, tum per originalem significationem verbi ידע quod omnem dubitationem excludit, & adfert firmam mentis adhæsionem ad rem satis superque exploratam. Gen. XLVIII. 19. *Scio, fili mi, scio.* Sic etiam sumitur Gen. XXII. 12. Psalm. CXXXVIII. 2. CXLIII. 3. GERHARDUS.

oppositis. Incredulitas adpellatur *ignorantia:* Act. XVII. 23. & 30. *tenebrae:* Esai. IX. 1. Matth. IV. 16. Luc. I, 79. Joh. I. 5. *cæcitas:* Rom. XI. 25. Eph. IV. 18. *insipientia, stultitia.* Rom. X. 19. Luc. XXIV. 25. Ergo a contrario sensu fides erit scientia, sapientia & intelligentia. V.) Ex fidei *natura & proprietatibus.* Fides est ἔλεγχος teste apostolo Hebr. XI. 1. Atqui πᾶσα ἀπόδειξις est ex προϋπαρχούσης γνώσεως, teste Aristotele in frontisp. poster. analyt. Ergo fides est ex præexistente cognitione. Porro fides est adsensus; Ergo & notitia, quia rei ignotæ non possumus adsentiri. Fides est fiducia; ergo & notitia, quia in rem ignotam non potest ferri fiducia. Fides nos in corde certos, pacatos & quietos reddit, utique ergo requiritur, ut fundamentum, cui innititur, perspectum atque cognitum habeat. 2 Tim. I. 12. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Fide recumbimus in divinas promissiones, requiritur igitur, ut vim ac sensum earum pernoscamus. VI.) A *deductione ad absurdum.* Si fides est ignorantia, quis erit usus ministerii? quis fructus prædicationis? quæ necessitas institutionis? Si fides est ignorantia, quorsum jubemur *probare Spiritus, cavere pseudo-prophetas, omnia probare, & quod bonum est, tenere, solius Christi vocem sequi, alienam vero negligere?* 1 Joh. IV. 1. Matth. VII. 15. 1 Thess. V. 21. Joh. X. 4. 5. At nihil horum præstari poterit ab eo, qui veritatem in singulis fidei articulis non habet cognitam (*). VII.) Ab *attributo fidelium,* qui dicuntur *cognoscere, & intelligere,* Matth. XIII. 23. Joh. VI. 69. Gal. IV. 9. Eph. I. 17. VIII.) A *testimonio* veterum. Origenes in Jobum tract. I. *Sicut nihil est delectabile hominibus sine luce, sic similiter nihil est delectabile Deo sine fidei lumine.* Augustinus XI de civitate Dei cap. 3. *Canonicae scripturae fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus.* In libr. qq. vet. & nov. test. q. 113. *Quanquam omne, quod facit Deus, rationabiliter & providenter factum credendum sit, melius tamen puto, si post fidem etiam causa facti possit adverti, ut, quod creditur, non ignoretur, unde Dominus ait:* hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Primum enim credi debet, sicut a propheta dictum est, deinde sciri, quod creditur: quia jam fidelem & in hac re diligentem adjuvat Spiritus sanctus, ut cognoscens intelligat fidei rationem, tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suae, si, quod credit, intelligat. Hoc est enim fidei robur, hoc immobile fundamentum credulitatis, addiscere sacramentum.* Cyrillus libr. XI. in Joh. cap. XVI. *Fides quid aliud est, quam vera Dei cognitio? fide enim cognitio fit; testatur id Esajas dicens: Si non creditis, non intelligitis.* Theophylactus in 1 Tim. II. *Salutem intellige, quae per fidem paratur, & ad veritatis cognitionem,* id est, *ad fidem, quae Deo praestetur, haec namque dici sola veritas potest.* Bernhardus serm. II. de trib. magis. *Cognoscite & intuemini, quam oculata sit fides, quam lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactantem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, siquidem latro in patibulo, magi in stabulo cognoscunt; iste clavis infixum, hi pannis involutum.* IX.) A *confessione* ipsorum adversariorum. Biel III. sent. dist. 23. q. 2. *Fides est notitia adhaesiva, certa & firma veritatis ad religionem pertinentis, per revelationem accepta.* Dominicus a Soto in cap. I. Rom. *Per fidem adprehendimus, id est, cognoscimus, unde dependeat, & in quo consistat justitia & salus nostra.* Jacob Faber in comm super Richard. I. de Trinitate cap. 1. *In fide ratiocinationem quaerere est debiti oculo umbraculum subtendere, ne perstringatur ab insigniori lumine. Ergo qui potest absque ratiocinatione illa, quae sunt fidei, intueri, longe insignius videt & cognoscit, quam qui ratiocinationem efflagitat*

(*) Si fides salvifica non est notitia, sequetur, eam esse inferiorem fide diabolorum, fides namque illa, quae est vacua omni notitia, est inferior illa, quae est vestita notitia. Fides autem diabolorum habet notitiam. Jac. II. 19. GERHARDUS.

ta? & quaerit, ut is sincerius solem agnoscit, quem tantus fulgor non hebetat ex adverso contuentem, quam qui ut illum videat, manum visui opponit ac obumbrat. Cotterus in enchiridio cap. 4. pag. 189. *Fides est species quaedam cognitionis, & quae fide tenemus, certissime credimus* (*).

Argumenta Bellarmini, quod fides non sit notitia.

§. LXIX. Hisce contradicit Bellarminus, qui ut fundamentum poneret implicitæ illius sive carbonariæ fidei in papatu commendatæ, uti etiam dubitationis, libr. I. de justif. cap. 7. probare conatur, *fidem justificantem non esse notitiam & adsensum;* ac sub finem capitis concludit: *Mysteria fidei, quae rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur?* Respondemus autem, Bellarminum sibi ipsi & veritati repugnare. In præcedenti enim capite col. 944. dicit, *fidei proprium esse plenissime scire*, quomodo igitur per ignorantiam definienda erit (**)? In titulo hujus 7. cap. dicit, *fidem justificantem non tam esse notitiam, quam adsensum:* concedit igitur esse aliquo modo notitiam, vocula enim *tam* comparationis est, non exclusionis. Vitiose autem concludit Bellarminus a remotione unius speciei ad remotionem generis. Quamvis enim fides non sit notitia ex principiis humanæ rationis deducta vel illis superstructa, quam apostolus vocat *sapientiam hujus mundi* 1 Cor. III. 19. *humanam* 1 Cor. II. 13. *carnalem* 2 Cor. I. 12; ex eo tamen nondum sequitur, quod nullo modo sit notitia, sed ignorantia, (cum ne philosophica quidem fides, licet a scientia & sapientia distinguatur, per ignorantiam definiatur) quin imo est notitia quædam ex illuminatione Spiritus sancti & revelatione evangelii in mente hominis accensa. Deinde quamvis fides non sit notitia *intuitiva*, omnes causas & proprietates objecti rationis lumine attingens, est tamen notitia spiritualis tantum de objecto sibi proposito cognoscens, quantum ad salutem in via hujus vitæ requiritur (***). Denique quamvis notitia fidei suos habeat *gradus*, ut in quibusdam hominibus sit illustrior & clarior, in quibusdam vero obscurior & tenuior, tamen magis ac minus non variant speciem, proinde etiam infirma ac languida fides non est ignorantia, sed *notitia* quædam. His probe observatis facile responderi potest ad Bel-

(*) Pererius libr. V. in Gen. q. 4. tribuit fidei *lumen & contemplationem Dei*, quam confert cum contemplatione Dei in patria ex Thoma 2. 2. q. 5. art. 1. Pineda in comm. super Jobum cap. XIX. 25. p. 96. num. 1. *Fidei cognitio & obscura haec scientia divinorum sola visione beata inferior est claritate, aequalis certitudine, reliquis omnibus aliis scientiis longe superior atque certior.* Gregorius de Valentia tom. I. disp. in Thom. disp. I. q. 1. punct. 3. col. 28. A. *In aliis scripturae locis illa, quae cognoscuntur per fidem, hoc ipso solum, quod certa sunt, sciri dicuntur, ut Job. XIX. Scio quod Redemtor meus vivit.* Catechismus Romanus, jussu Trident. concilii & Pii V. pontificis evulgatus, fidem sic describit: *Cum finis, qui ad beatitudinem homini propositus est, altior sit, quam ut humanae mentis acie perspici possit, necesse ei erat, ipsius a Deo cognitionem accipere, haec vero cognitio nihil aliud est, quam fides.* Canisius in catech. *Fides est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter adsentitur omnibus, quae Deus revelavit, & nobis per ecclesiam credendam proposuit.* GERHARDUS.

(**) Idem Bellarminus cap. V. col. 940. fatetur, *actum fidei in epist. Hebr. XI. 3. per vocem* intelligendi *describi.* Item: *fidem repraesentare res sperandas.* Cap. VI. tribuit fidei *considerationem intellectus, firmissimam scientiam & quidem certitudinem scientiae* ex cap. IV. Rom. GERHARDUS.

(***) Cognitio versatur vel circa quæstionem: *an sit?* vel circa quæstionem: *quod sit & propter quid?* Ibi rei existentia, hic essentia, causa & modus cognoscitur. Illam vocant notitiam *certitudinis*, quia res certo quoad existere suum cognoscitur; hanc *evidentiae*, cum præterea ejus quidditas vel per sensum vel per rationem apodicticam innotescit. Priorem cognitionis speciem, non posteriorem intelligimus, quando mysteria per fidem sciri statuimus: Distinguendum etiam inter γνῶσιν & ἐπιστήμην. Illa notat cognitionem rei in genere, qualiscunque sit; hæc simul cognitionem in specie rerum duntaxat necessariarum per demonstrationes a priori. Fides non est ἐπιστήμη, sed γνῶσις. GERHARDUS.

Bellarmini argumenta. I.) Esa. VII. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis, ibi videmus, fidem non esse intelligentiam, sed gradum ad intelligentiam.* Resp. verba Hebræa sic habent: אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ verbum אמן bis ponitur in *subjecto* & *praedicato* propositionis. *Si non creditis, non permanebitis, non eritis stabiles*, ut Benedict. Arias vertit, quia verbum אָמַן in *niphal* significat *verax, firmus, constans, stabilis fuit.* Targum vertit תִּתְקַיְּמוּן *non permanebitis.* Lutherus: *Glaubet ihr nicht, so bleibet ihr nicht.* Symmachus οὐ διαμενεῖτε. Vatablus: *Si non credatis, id inde fit, quod non estis stabiles.* Quodsi vel maxime secuti versionem LXX. interpretum & latinam vulgatam legamus: *Nisi credideritis, non intelligetis;* nihil tamen accedit sententiæ Bellarmini. Sensus enim non est, credendo viam parari ad intelligendum ea, quæ proponebantur, sed potius credendo ea intelligi, sicut Hebr. XI. 3. dicitur: *Fide intelligimus, condita esse secula.* Quin imo si vel maxime amplectamur non solum lectionem, sed & interpretationem Bellarminianam, quod credendo via paretur ad intelligentiam, nondum tamen sequeretur, fidem esse ignorantiam, quia per intelligentiam accipienda esset uberior cognitio causarum & proprietatum in mysteriis, qua simplici fidei obedientia prius credidimus propter dicentis auctoritatem; hac vero intelligentia fidem sequente non excluderetur intelligentia illa, quæ præcedit fidem, vel certe cum fide individuo nexu conjuncta est, ea scilicet qua cognoscimus id, quod credendum nobis proponitur, solido verbi divini fundamento inniti: breviter, prius credimus τὸ ὅτι, postea intelligimus τὸ διότι. II.) 1 Cor. XIII. 2. *Apostolus distinguit notitiam mysteriorum a fide tanquam duo diversa dona: Si habuero omnem scientiam & noverim mysteria omnia & omnem fidem*, & 1 Cor. XII 8. 9. *enumerans dona Dei dicit, alii dari sermonem scientiae, alii sermonem sapientiae, alii fidem, &c. Ergo fides non erit notitia seu scientia.* Resp. Confunditur fides *miraculorum* & fides *justificans.* Apostolus loquitur non de fide justificante, sed de fide miraculorum, quæ in primitiva ecclesia adhuc viguit. *Si habuero* (inquit) *omnem fidem, ita ut montes transferam.* Præterea distinguendum est inter eximiam & exactam mysteriorum notitiam, atque aliquam eorum cognitionem; quamvis cum fide justificante non semper sit conjuncta eximia illa & exacta mysteriorum notitia, cujus mentionem facit apostolus, quæque peculiaribus quibusdam Spiritus sancti organis competit, aliqua tamen eorum, quæ fundamentum salutis concernunt, mysteriorum cognitio omnino ad fidem requiritur. III.) 2 Cor. X. 5. *Apostolus dicit, se per evangelii praedicationem in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. At certe non est necesse captivare intellectum, ubi est notitia veritatis.* Resp. Repetenda hoc loco distinctio inter sapientiam hujus mundi, quæ ex principiis naturalibus ortum habet ac rationis lucem sectatur; & inter sapientiam cœlestem, quæ ab illuminatione Spiritus sancti orta verbi lucem sectatur; captivationem igitur intellectus requirit apostolus, ut fides nostra non nitatur rationis dictamine, sed immoto Dei verbo, a quo non patiamur nos abduci speciosis argumentis ex penu rationis humanæ depromtis, nequaquam vero puerilem levitatem ex ignorantia quidvis credendi præcipit, nec spiritualem σύνεσιν excludit. 1 Cor. XIV. 20. μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσίν. Eph. IV. 14. *Non simus parvuli, fluctuantes nec circumferamur omni vento doctrinae.* 4.) *Apostolus obedientiam fidei requirit, at si per fidem notitia praeberetur, quorsum obedientia in credendo opus esset?* Resp. Idem recurrit paralogismus; obedientia fidei scrupulosum rationis humanæ scrutinium in mysteria fidei; nequaquam vero lucem spiritualis cognitionis excludit, scientiam hujus mundi, non autem scientiam Dei a fide removet; sapientiam carnis, non autem spiritus amputat. Idem nec quicquam aliud dicunt

1.) *Esa. VII. Nisi credideritis, non intelligetis.*

2.) *1 Cor. XIII. Si habuero omnem fidem et noverim omnia mysteria.*

3.) *2 Cor. X. In captivitatem redigimus omnem intellectum.*

4.) *Fidei obedientia requiritur.*

dicunt veteres, quorum testimonia Bellarminus adducit. V.) *Adprehensio non est fides, sed aliquid fidem praecedens. Possunt enim etiam infideles adprehendere mysteria fidei.* Resp. Vitiosa collectio! Adprehensio sine adsensu non est fides: ergo ad fidem non pertinet adprehensio: imo vero id ex eo sequitur, quod fides non sit nuda adprehensio sive notitia, sed insuper etiam adsensus, cui nos insuper addimus fiduciam.

5.) *Adprehensio praecedit fidem.*

6.) *Confusa notitia sufficit ad fidem.*

VI.) *Adprehensio proprie non dicitur notitia, si sit rudis & confusa, qualis ad fidem sufficit.* Resp. Concedimus, esse *gradus* notitiæ, interim non est fides, licet sit tenuis & languida, quæ non aliquam requirat notitiam, adsensus enim necessario prærequirit notitiam, cum non possimus nisi rei cognitæ adsensum præbere.

7.) *Fides sequitur auctoritatem.*

VII.) *Adsensus duplex est: alter sequitur rationem sive evidentiam rei, alter auctoritatem proponentis: prior dicitur proprie loquendo notitia, posterior fides.* Resp. Fides non est talis quædam notitia, quæ rationem & evidentiam rei sequitur, ex eo autem non sequitur, quod nullo modo sit notitia, quin potius perfectius cognoscimus, quæ fide, quam quæ ratione cognoscimus, ut ex commentatore Richardi paulo superius audivimus. Thomas 2. 2. q. 4. artic. 8. concludit, quod *fides certior sit aliis virtutibus intellectualibus, cum innitatur divinae veritati, reliquae vero rationi humanae, aliae tamen certiores sunt, quoad nos, quia intellectus plenius eas adsequitur.*

§. LXX. Fidei, ut est notitia, *objectum* proprium & adæquatum est Dei verbum, in scripturis propheticis & apostolicis propositum. Rom. X. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei;* quo pertinet dissertatio de perfectione sacræ scripturæ, ex qua promte sequitur, fidem intra sphæram revelati verbi se continere, atque eidem tanquam fundamento unice inniti. Excluduntur igitur hac objecti notatione primo *traditiones humanae, quas pari pietatis adfectu ac reverentia cum scripturis canonicis suscipiendas esse*, concilium Tridentinum statuit, quod cum in ipso concilio Jacobo Nachianti Fossæ Clodiæ episcopo durum videretur, siquidem nihil sit, quod cum evangelio conferri possit, propter hoc jussus est a legatis Tridento discedere, & Romam ad impetrandam a pontifice veniam abire, referente P. Vergerio in epist. ad regem Poloniæ fol. 119. Atqui incertæ illæ traditiones quomodo præbere poterunt certum & immotum fidei fundamentum? Excluduntur deinde hac objecti determinatione *rationis humanae* extra verbi limites progressæ cogitata. 2 Petr. I. 16. *Non secuti sumus doctas fabulas*, v. 18. *sed vocem audivimus cœlitus allatam*, v. 19. *& habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernae.* v. 20. *Hoc primum scientes, quod omnis prophetia scripturae non fit propriae interpretationis.* v. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Opponit apostolus σεσοφισμένας μύθους, arte excogitatas fabulas & vocem cœlitus allatam; rationis cœcæ somnia & verbi revelati lucem; prophetiam humana voluntate allatam & inspirationem cœlestem, qua impulsi locuti sunt & scripserunt sancti Dei homines, prophetæ scilicet & apostoli, ideo fides nostra ipsorum fundamento est superstructa. Eph. II. 20. Rationis humanæ extra verbi limites progressæ cogitata itidem sunt lubrica & incerta, οἱ γὰρ λόγοι καταπαλαίσει τὰς λόγας. *Ratione excogitata ratione dissolvuntur*, ut Fridericus Sapiens, Saxoniæ elector, dicere fuit solitus, quomodo igitur certum & immotum exhibebunt fidei fundamentum?

Objectum fidei, quatenus est notitia.

§. LXXI. Porro fides non solum est notitia, sed etiam *adsensus*, neque enim ad fidem sufficit doctrinam cœlestem nosse, sed oportet eidem adsensum præbere. Ad φωτισμὸν igitur sive ἐπίγνωσιν accedere debet συγκατάθεσις, consensus & judicium adprobans ea, quæ in

2.) *Quid sit adsensus?*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841102-p0092-3

in verbo credenda proponuntur, hic adsensus pulcerrime Hebr. IV. 2. vocatur χρᾶσις τῆς πίστεως ἢ τῶ λόγω. Hinc Damascenus libr. IV. de fide orth. cap. 12. fidem definit, quod sit ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις. Thomas 2. 2. q. 6. art. 1. *ad fidem duo requiruntur*: 1.) *ut homini credibilia proponantur*: 2.) *adsensus credentis ad ea, quae proponuntur.* q. 2. art. 1. *Credere secundum Augustinum est cum adsensione cogitare.* l. de prædest. sanctorum c. 2. Certum igitur esto, fidem præter notitiam complecti adsensum, quod & Bellarminus concedit libr. I. de justif. c. 7. Sed quod præter notitiam & adsensum complectatur etiam fiduciam, id vero totis viribus negat & impugnat, ideo c. 5. probare instituit, fidem justificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed solum adsensum firmum ac certum ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit, qua in parte plerosque Pontificios scriptores Bellarminus sibi habet ὁμοψήφους, (non tamen omnes, ut postea adparebit) propter decretum concilii Trident. sess. VI. can. 12. *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.* Atqui cum in objecto fidei, videlicet in verbo revelato, contineatur promissio evangelii de gratuita Dei misericordia & peccatorum remissione propter Christum mediatorem, & vera fides adsentiatur omni Dei verbo, quomodo fides non erit fiducialis adprehensio Christi, vel quod idem est, fiducia divinæ misericordiæ propter Christum in verbo evangelii oblatæ? πρώτον ψεῦδος erroris pontificii est ignoratio doctrinæ evangelii proprie & κυρίως sic dicti, quod cum lege confundunt, ut suo loco uberius ostendimus.

§. LXXII. Demonstrandum igitur erit, fidem *esse fiduciam*, quod ex sequentibus constat argumentis: 1.) ab *etymologia*. Fides & fiducia πίστις ἢ πεποίθησις unum eandemque habent originem: πίστις a tertia persona præteriti passivi πέπεισαι πεποίθησις a verbo διαθέσεως mediæ πέποιθα, utrumque est a πείθω, quod non solum significat *doceo*, sed etiam *persuadeo*, & cognationem habet cum Hebræo פָּתָה, *suasus, persuasus, inductus fuit.* Ergo cum in verbo evangelii offeruntur cordibus contritis beneficia Christi mediatoris, inde persuasionem & fiduciam concipiunt de misericordia Dei propter Christum, ac Deo veraci bona promittenti ex animo credunt (*). 1 Ioh. III. 19. *In conspectu ejus πείσομεν, persuadebimus cor nostrum*, ubi exponitur lucta illa piorum qui ex consideratione peccatorum & magnitudinis iræ divinæ turbantur, & a corde proprio adcusantur; sed per verbum evangelii iterum eriguntur & confirmantur, ut verbo Dei potius, quam illis internis dissidentiæ motibus, obsequantur. אֱמוּנָה descendit a radice אָמַן *certus, firmus, stabilis fuit:* in hiphil הֶאֱמִין *certo credidit*, fidem habuit, confidit, ut Rabbi Davides Kimchi monet. Inde vox *Amen* deducitur, quæ significat, *ratum sit*, ratum erit, & additur promissionibus illis, utpote certissimis, cum respondeat אֱמוּנָה sive fides, utique erit fiducia. Exod. XVII. 12. *Et erant manus ejus* אֱמוּנָה *fideles*, in veritate, *usque ad occa-*

3.) *Quod sit fiducia, probatur.*
1.) *ab etymologia.*

(*) Christus in concione egregia Joh. VI. fidei tribuit 1.) ὁρᾶν *videre*: 2.) θεωρεῖν *cognoscere*: 3.) πιστεύειν *credere*: 4.) Φάγειν vel τρώγειν καὶ πίνειν *edere* vel *manducare* & *bibere*, ut demonstret certa membra, quæ ad fidem *justificantem requiruntur*. Vide *harm. evang. c. 78. p. 156.* ὁρᾶν exprimit notitiam, θεωρεῖν adsensum, πιστεύειν fiduciam, φάγειν vero specialem adplicationem. Ὁράν est ea, quæ verbo Dei patefacta sunt, certa persuasione verissima esse statuere, non aliter, quam si propriis oculis eadem viderit. θεωρεῖν est ea, quæ audimus vel videmus, perpendere. πιστεύειν est confidere, ut usus vocabuli in scripturis & profanis auctoribus ostendit. Φάγειν est cibum vitæ ac panem cœlestem speciali adplicatione intro adsumere. GERHARDUS.

occasum solis, hoc est, firmæ, stabiles, constantes in elevatione, ut exponit Abenezra, ἐστηριγμέναι, ut habent LXX. interpretes. Veritas promissionum dicitur אֱמֶת, propter firmitatem & constantiam. Huic igitur correspondet ex parte nostra אֱמוּנָה firma & fiducialis adprehensio. Fides veracitatis in Deo est mater, fundamentum & basis fidei nostræ, quæ tota dependet ex fide aut veracitate Dei. Quo nonnulli referunt apostolicum illud Rom. I. 17. *Justitia Dei revelatur in evangelio ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, ex fide* Dei promittentis & offerentis *in fidem* hominis credentis & recipientis. Referendum ad hanc vocabuli etymologiam, quod ex Laurentio Valla adducit Budæus. *Laurentius* (inquit) *persuasionem proprie vocari posse contendit, quam Latini christiani fidem, Græci πίστιν adpellant*, hoc est, *certam quandam opinionem & sententiam, quam nobis persuasimus, id quod mihi Laurentius recte censuisse videtur, cum a verbo Græco πέπεισμαι, id est, persuasi mihi, πίστις apud nos dicatur, quam nos fidem dicimus.* II.) Ex *conjugatis*: πιστεύειν significat *confidere*, πιστὸς *fidelis*. Ergo πίστις notat *fiduciam*. Matth. XXIV. 45. *Quis putas est πιστὸς δοῦλος φρόνιμος fidelis & prudens servus?* Luc. XVI. 11. *Si in iniquo Mammona non fuistis πιστοὶ, quod verum est, quis πιστεύσει, concredet vobis?* Joh. II. 24. *Jesus non credebat se eis*, hoc est, non conversabatur cum illis fiducialiter (*). Rom. III. 2. *Judæis concredita sunt eloquia Dei, ἐπιστεύθησαν*, fidei ipsorum commissa sunt. III.) Ex *synonymia*. Fides adpellatur ὑπόστασις Hebr. XI. 1. *παρὰ τὸ ὑφίστασθαι quia firmiter stat*, non cadit aut fugit certissima & immota fiducia in Dei promissionibus acquiescens, quam significationem præter usitatam substantiæ sive subsistentiæ notionem huic voci comperere patet ex III. ejusdem epist. 14. *Participes facti sumus Christi, si principium ὑποστάσεως usque ad finem firmum retinuerimus*: id v. 6. sic exponitur: *domus Christi sumus, si fiduciam & gloriationem spei usque ad finem firmam retinuerimus.* Eodem sensu Paulus 2 Cor. IX. 4. & 2 Cor. XI. 17. ὑπόστασιν gloriationis vocat certam & immotam animi confidentiam (**). LXX. interpretes usurpant pro *spe & exspectatione*. Ruth. I. 12. Psalm. XXXIX. 8. Ezech. XIX. 5. Nec insolens plane hæc significatio in scriptoribus classicis. Polybius libr. VI. de Hor. Coclite: *κατέχε τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν ἐχ ἧττον τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτὸς ἐκ τόλμαν καταπεπληγμένον τῶν ἐναντίων*, ubi ὑπόστασις imperterritam animi confidentiam significat. Plutarchus: *Illis, qui se dedebant, parcebatur, ὑφισαμένοις autem truci dabant.* In Demetrio: *Nemine hostium ὑφισαμένου, sed fugientibus & relinquentibus oppida.* Synesius: *Nudus armorum ὑποσὰς.* Suidas: *Gessit se ὑποστατικῶς in periculis.* Vide Chemnitium part. II. locorum. p. 670. Fides etiam vocatur *πεποίθησις confidentia, fiducia.* 2 Cor. III. 4. *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum.* Eph. III. 12. *In Christo habemus προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, accessum in confidentia per fidem ejus.* Synonymon fidei est etiam *παῤῥησία*, Eph. III. 12. *In Christo habemus fiduciam.* 1 Joh. III. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1 Joh. V. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, dabit nobis, &c.* Item *πληροφορία*, certa persuasio, *metaphora* ducta est a navibus, quæ plenis seu inflatis velis incitatæ feruntur. Rom. IV. 20. *Abraham confor-*

2.) *Ex conjugatis.*

3.) *Ex synonymia.*

(*) Phocylides: λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος. *Populo ne confidas, versuta enim est multitudo.* Aristoteles in politicis sæpe repetit, *proprium esse tyrannidis & oligarchiæ: μὴ πιστεύειν τοῖς πολλοῖς.* GERHARDUS.

(**) Esaj. XXVI. 3. Fides est יֵצֶר סָמוּךְ *figmentum suffultum*, quod fulcit se ac nititur in Christo salvatore & ipsius verbo. GERHARDUS.

fortatus est fide, dans gloriam Deo. v. 21. πληροφορηθεὶς, *plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est & facere.* Col. II. 2. *Instructi in caritate & in omnes divitias* τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως. Hebr. X. 22. *Accedamus cum vero corde,* ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *in certitudine ac abundantia fidei.* Verbum ἀπειθῶν Joh. III. 36. Syrus reddidit verbo valde significanti מְמָּם quod significat animi acquiescentiam. *Qui non consentit vel acquiescit Filio. Ergo fides erit animi acquiescentia ac fiducia.* IV.) A collatione *locorum parallelorum* vet. & nov. test. Quæ enim in vet. test. confidentibus & fiduciæ, ea in nov. test. credentibus & fidei tribuuntur. Quod Psalm. II. 12. dicitur: *Beati omnes, qui confidunt in eo.* חוֹסֵי־בוֹ a radice חָסָה *fidit, confidit*, id Marc. XVI. 16. sic exprimitur: *Qui crediderit, salvus erit.* Quod Esaj. XXVI. 3. dicitur: *Servabis pacem, quia in te confisum est*; id Rom. V. 1. sic effertur: *Justificati fide pacem habemus apud Deum.* Quod Prov. III. 5. dicitur: *Confide Jehovae toto corde*, id Act. VIII. 37. sic effertur: *Si credis ex toto corde.* Quod Psalm. XXXI. 1. dicitur: *In Domino confido, non confundar*, id Rom. X. 11. apostolus sic exprimit: *dicit scriptura, omnis, qui crediderit in illum, non confundetur.* Vet. test. in precibus requirit fiduciam. Psalm. LXII. 9. *Confidite in Domino & effundite coram ipso corda vestra*; Novum test. fidem in illis requirit Matth. XXI. 22. *Omnia, quaecunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Jac. I. 6. *Postulet in fide, nihil haesitans.* Confer etiam dictum Christi Joh. XVI. 33. *Confidite*, θαρσεῖτε, *ego vici mundum*, cum dicto Johannis 1. epist. V. 4. *Haec est victoria, quae vincit mundum, nempe fides nostra.* V.) Ab *exegetica declaratione*, qua fides per fiduciam explicatur. Psalm. LXXVIII. 22. *Quia non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus* לֹא הֶאֱמִינוּ וְלֹא בָטְחוּ radix est בטח *confidit*, spem & fiduciam posuit. Mich. VII. 5. *Ne credatis in socium, nec confidatis in principem.* Iob. XXXIX. 14. *Nunquid confides in eo, quod magna sit fortitudo ejus?* v. 12. *nunquid credes illi, quod reddat semen tuum?* 1 Ioh. V. 13. *Haec scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomen filii Dei.* v. 14. *& haec est fiducia, quam habemus apud eum. &c.*

4.) *ex locis parallelis.*

5.) *ab ἐξηγήσει.*

VI.) Ex *oppositis*: opponitur fidei justificanti τὸ διακρίνεσθαι Rom. IV. 20. Abraham εἰς ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, *non haesitavit diffidentia*, ut reddidit latinus interpres. Ergo fides Abrahæ fuit confidentia sive fiducia, qua totus a divina gratia pendens & promissioni credens certo se consecuturum sciebat, quæ erant promissa. Jac. I. 6. *Postulet in fide* μηδὲν διακρινόμενος. Vide etiam Matth. XVII. 20. Marc. XI. 23. Opponitur etiam fidei τὸ διστάζειν in bivio versari. Matth. XIV. 31. ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας. *Parvae fidei quare dubitasti?* τὸ μετεωρίζεσθαι in suspenso esse, hinc illinc agitari, sicut naves fluctibus agitatæ, & sicut meteora in aëre, suspenso animo modo huc, modo illuc inclinare. Luc. XII. 29. μὴ μετεωρίζεσθε, in versu præcedente eos vocat ὀλιγοπίστους, quos prohibet ita distrahi suis dubitationibus. Theophylactus in h. l. μετεωρισμὸς λέγει τὸν περισπασμὸν καὶ τὴν τοῦ λόγου ἄστατον περιφοράν ἄλλο καὶ ἄλλο ἐνθυμούμενος. Passim etiam opponitur fidei ἡ ὀλιγοπιστία, parva fiducia Matth. VI. 3. VIII. 26. XIV. 31. XVI. 8. Luc. XII. 28. Item φόβος timor & metus. Luc. VIII. 50. Marc. V. 36. *Ne metuas, tantum crede.* Esaj. XXVIII. 16. *Qui credit, non festinat.* Atqui hæsitatio, diffidentia, dubitatio, solicitudo, ὀλιγοπιστία sunt in voluntate. Ergo & fides illis opposita erit in voluntate.

6.) *ex oppositis.*

VII.) Ab *objecto* fidei, quod est promissio gratiæ in Christo mediatore, ut paulo post demonstrabitur. Fides justificans amplectitur promissionem evangelicam de beneficiis Christi mediatoris, eandemque sibi adplicat. Nuda notitia non amplectitur illam promissionem. Ergo fides justificans

7.) *ab objecto.*

non est nuda notitia. Rom. IV. 16. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio*, atqui *omnes promissiones in Christo sunt amen;* 2 Cor. I. 20. id est, includunt Christum mediatorem, sine quo Deus nihil nobiscum agit. Objectum ergo fidei est promissio de Christo, quam non nuda notitia, sed certa cordis fiducia nos oportet amplecti. Lutherus dicere fuit solitus: *Qualis est copulatio maris & fœminae in legitimo matrimonio, videlicet indissolubilis, talis quoque fidei & promissionis connexio.* Promissio non est firma nobis, id est, nostri respectu, nisi adprehendatur fide: ac fides est inanis imaginatio, nisi nitatur promissione velut petra & ancora. VIII.) A *natura, proprietatibus & effectis* fidei. *Forma* & quasi anima justificantis fidei est fiducialis Christi eum omnibus beneficiis in verbo evangelii oblatis adprehensio. Joh. I. 12. *Quotquot eum receperunt,* ἔλαβον, *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Rom. V. 11. *Per ipsum* (Christum) *accepimus reconciliationem,* ἐλάβομεν. Gal. III. 14. *Ut promissionem Spiritus accipiamus,* λάβωμεν, *per fidem.* Hebr. IV. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut accipiamus* seu consequamur, λάβωμεν, *misericordiam,* Hebr. IX. 15. *Ii qui vocati sunt, promissionem accipiunt æternae hereditatis.* Ex quibus dictis patet, fidem justificantem amplecti, recipere, adprehendere, sibique adplicare Christum, & in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam, id vero de nuda notitia prædicari non potest (*). Sic fidei justificanti tribuitur ὑπόστασις, πληροφορία, παῤῥησία, πεποίθησις, ut constat ex dictis Pauli superius adductis, itemque καύχησις sive καύχημα. Rom. V. 2. *Per Christum habemus accessum fide in gratiam illam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Phil. III. 3. καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες, ubi καύχησις καὶ πεποίθησις ut æquipollentia conjunguntur. Item θάρσει, Matth. IX. 2. paralytico, cujus fidem Christus respiciebat, dicitur: θάρσει τέκνον. Atqui hæc omnia non nudam aliquam notitiam vel adsensum notant, sed vel ipsam fiduciam vel fiduciæ qualitatem & insignia effecta. 2 Paral. XX. 20. dicit Josaphat ad milites suos: *Credite in Dominum Deum vestrum & roborabimini; credite prophetis ejus, & prosperabimini;* ubi requirit fiduciam in divinam promissionem de liberatione ex manu hostium, & fiduciæ huic robur animi & prosperitatem pollicetur (**).

Effe-

§.) *ab effectibus & proprietatibus.*

(*) Fiduciæ est Christum salvatorem *quærere*, Esaj. LV. 6. Amos V. 4. *avide expetere* & quasi *anhelare ad ipsum*, Psalm. XLII. 2. 3. CXIX. 20. Cant. II. 3. Esaj. XXVI. 8. & 9. LV. 1. Matth. V. 6. *ad expeditum redemtorem venire*, Matth. XI. 28. Joh. VI. 35. Hebr. IV. 16. *eundem cum sua justitia adprehendere*; Rom. IX. 30. *omni acceptione complecti*, 1 Tim. I. 15. *merita ipsius sibi adpropriare*, Gal. III. 26. Phil. I. 21. *pleno conatu cordis in ea ferri & suavissime in iis acquiescere*; Rom. IV. 21. Hebr. X. 22. Hinc dixerunt veteres, *fidem non tantum esse adprehensivam, quod ad notitiam & adsensum pertinet, sed esse quitativam, quod est fiduciæ proprium*, Meisnerus. Cuicunque porro fidei non competunt illi effectus, quos scriptura fidei justificanti tribuit, ea non est justificans. Sed fides, quæ tantum est notitia & adsensus, ac non simul fiducia, non competunt effectus, quos scriptura fidei justificanti tribuit. Ergo.

GERHARDUS.

(**) Photiniani statuunt fidem justificantem consistere in duobus: 1.) in *fiducia*: 2.) *nova obedientia*. Ostorodus c. 2. instit. p. 17. §. 1. *So ist nun an GOtt glauben anders nichts, denn daß der Mensch seine Zuversicht auf ihn setze, und ihm gehorsam sey.* Per *fiduciam* non intelligit adprehensionem meriti Christi, quippe quod prorsus negat, sed tantum spem in sola Dei misericordia; absque omni satisfactionis respectu, positam. Per *obedientiam* intelligit non solum animum obediendi per serium pietatis adfectum, sed etiam ipsam actualem obedientiam. Profert autem Ostorodus 4. argumenta. I.) Psalm. LXXVIII. 21. 22. *Deus dicitur iratus Israelitis, quia non crediderunt ipsi, hoc autem credere nihil fuisse aliud* dicit, *quam non confidere Deo, nec ipsi obedire, uti pateat ex v. 7. §. 9. 10.* Resp. 1.) ἀπιστίαν Judæorum consistere in diffidentia libenter concedimus, quæritur autem de istius objecto & modo. Requerunt illi non tantum gratiam Dei, sed etiam pro-

Effectus fidei justificantis vere statuuntur remissio peccatorum; Act. X. 43. *Huic* (Christo) *omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes,*

L 3 *qui*

missiones de Messia, ejusque merito per sacrificia Levitica adumbrato. 2.) Fiducia & obedientia duplex est: altera *legalis*, altera *evangelica*. Fiducia legalis nititur Dei gratia in genere, evangelica Christi merito in specie. Obedientia legalis in bonis operibus, evangelica in fiduciali adprehensione consistit. Proinde cum fides justificans dicitur fiducia & obedientia, concedi hoc potest sensu evangelico, non potest sensu legali. Dicta legalia non sunt opponenda fidei evangelicae in merito Christi fundatae, quia haec sunt subordinata II.) Dan. VI. 23. *Dicitur ipsum e lacu leonum incolumem eductum esse, quia credidit Deo suo, hanc autem fidem nil aliud notare, nisi fiduciam de auxilio Dei, & obedientiam, clarius esse* adserit, *quam ut probatione indigeat.* Resp. 1.) concedimus fidem Danielis esse fiduciam promissionibus Dei nixam, unde autem probabit, exclusas esse promissiones de Messia & ejus intercessione? 2.) Si Daniel Deo ex toto corde obedivit, utique Messiam agnovit, & in merito ejus spem posuit, quia ut hoc fieret, Deus aliquoties praecepit. 3.) Alia est liberatio a periculis corporis, alia a peccatis & poenis animae. In illa confugimus ad promissiones de auxilio: in hac ad promissiones de Christi merito & efficacia: ibi fides consideratur ut virtus, quam Deus ex gratia remuneratur, hic ut adprehensio meriti, quam ad justitiam imputat. III.) *Ninivitae dicuntur credidisse in Deum* Jon. III. 4 *quae ipsa tamen fides non nisi per opera & novam obedientiam describitur.* Resp. 1.) Fidem Ninivitarum secuta est remissio peccatorum: *nulla autem fit remissio sine sanguinis effusione*, Hebr. IX. 22. quare illa ipsa fides veniam impetrans respexit sanguinem, non hircorum terrestrium, qui ad tantum opus per se insufficiens. Ergo sanguinem futuri Messiae agni immaculati, *qui tollit peccata mundi* Joh I. 29. 2.) Si fides justificans consistit in sacris, jejuniis & aliis hujusmodi operibus, qualia de Ninivitis referuntur, tum & pharisaei vere crediderunt, & hypocritae justificantem fidem habent, quippe qui operibus istis pariter navant operam. 3.) Si Ninivitae credendo obediverunt Deo, aut omnia aut quaedam tantum praecepta observarunt. Si omnia, ergo & illud de credendo in Christum & adprehendendo ejus merito, quod *mandatum praecipuum esse* 1 Joh. III. 23. dicitur. Si quaedam, fides fuit hypocritica & manca, quam justificare aut peccatorum veniam consequi, ne ipsi quidem Photiniani adserunt. 4.) Licet per verba: *crediderunt Deo*, potissimum intelligatur adsensus, quem praebuerunt Jonae tantisper legato Dei, futurum supplicium adnuncianti, non tamen ob id excludi debet fiducia: nam fides est simul adsensus & fiducia. Concurrit in Ninivitis utrumque, tum adsensus quoad comminationes Dei, tum fiducia quoad promissiones, quae respiciunt partim peccati remissionem non nisi per Christum acquisitam: partim poenae ablationem revertentibus ex gratia promissam. IV.) Hebr. XI. *varia fidelium exempla recitantur, solius vero adsensus & fiduciae generalis mentio habetur.* Resp. 1.) Dicta, quae probant fidem esse adsensum, non opponi debent aliis, quae docent, fidem esse fiduciam in Christi merito fundatam, sunt enim haec ὑπάλληλα. 2.) De Abele dicitur v. 4. *quod fide uberiorem hostiam Deo obtulerit.* At hoc intelligi nequit de fiducia generali, sed inprimis de fiduciali adprehensione πρωτευαγγελίᾳ, *quod semen mulieris contriturum sit caput serpentis*: quo pertinent sacrificia, quae fuerunt typus Messiae &c. 3.) Fides Enochi non fuit adsensus tantum, sed inprimis fiducia in Messiam, nulli enim patet coelum, nisi per istum ingredienti. Moses v. 26. dicitur *majores divitias aestimasse thesauro Aegyptiorum*, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ, ergo fides Mosis respexit non Deum duntaxat in genere, sed Messiam in specie, & quidem ejus ὀνειδισμὸν seu ignominiam, quam in cruce perpessus est, & per quam nobis meruit vitam aeternam. 4.) In exemplis capite illo adlegatis describitur quidem fides justificans, at inprimis ratione effectuum & exercitiorum, qualia sunt fiducia generalis, patientia, fortitudo, constantia, humilitas &c. Scopus enim apostoli est hortari ad perseverantiam, ut adparet ex Hebr. X. 38. Inde proposuit cap. XI. exempla fidelium, qui varia subierunt pericula, ut ostenderet, eam demum veram esse fidem, cujus vis & robur nullis calamitatibus frangatur: quare non est mirum, quod fiduciae in Christi merito positae non faciat expressam mentionem &c. Interim in exercitiis illis fidei praerequiritur adprehensio Christi, quippe in quo solo *omnes promissiones sunt* ναὶ καὶ ἀμήν, 2 Cor. I. 20. & sine quo Dei auxilium nobis polliceri haud possumus: quis enim

certo

qui credunt in eum. Iustificatio; Rom. X. 4. *Christus est finis legis ad justitiam omni credenti.*

certo illud exspectabit, nisi prius statuat, Deum sibi per Christum reconciliatum esse? Meisnerus in disputat. de fide justif. Contra Photinianos observa cumprim's 1.) voces æquipollentes fidei, quod sit ἔλεγχος, πληροφορία, παῤῥησία, πεποίθησις, θάρσος, quæ ostendunt, fidem non definiri per *vitæ innocentiam.* 2.) Lex & fides contra distinguuntur Gal. III. 12. Sed puritas vitæ legi non contradistinguitur. Ergo. 3.) Justitia, qua coram Deo sumus justi, non revelatur in lege, Rom. III. 21. Gal. III. 22. Puritas vitæ in lege revelatur. Socinus part. IV. de Christo servat. cap. 11. fol. 388. *Quamvis ex Pauli verbis videatur aperte colligi, fidem, qua Abrahamus justificatus fuit, fuisse, Deo promittenti, ipsum multarum gentium patrem futurum, &c. fidem adhibuisse*, hoc est, eum vera dicere, *sibi persuasisse; animadvertendum est tamen, rem aliter se habere. Ea enim promissio Abrahae non sine tacita conditione facta est, quæ itidem in ipso fœdere sanciendo fuit expressa, quemadmodum scriptum est* Gen. XVII. *ut ambularet coram Deo, & esset perfectus, hoc est, ipsi Deo parere non recusaret.* Resp. cap. XVI. præced. refertur, quod Sara de vulva sua emortua desperans hortata fuerit maritum, ut cum ancilla Agare prolis suscitandæ causa conjugium contraheret, cui consilio Abraham obtemperat, sed Deo id displicuit, ideo, cap. XVII. Abrahamum in viam mandatorum ex viis ethnicis revocat, *ut ambulet coram se & sit perfectus*, id est, ne in fide inchoata vacillet, ex se & Sara omnino prodituram semen, itidem ut in vitæ sanctioris moribus tanquam veræ fidei indubitatis indiciis ambulet. Vorstius consentit cum Photinianis, ideo fidem definit per *fiduciam obsequiosam* ac disputat, *neminem posse vere credere, nisi habeat animum obediendi.* At 1.) Quodcunque fidei justificanti, qua justificanti, opponitur in ipso justificationis actu, per id fides justificans qua justificans *essentialiter* definiri nequit, seu illud non potest esse pars fidei justificantis, qua justificantis. Atqui fidei justificanti qua justificanti opponitur obedientia actualis. Ergo. 2.) Per quod fides operatur, id ipsum non est fides justificans. Sed fides operatur per obedientiam, quia operatur per bona opera & inprimis per caritatem Gal. V. 6. Ergo. Smalcius in exam. 157. errorum err. LXXVIII. pag. 23. *Satis sunt ad justificationem hæc duo: Dei gratia & nostra fides, cujus forma & complementum est obedientia.* Err. CXXII. pag. 33. *Anima fidei, ut sunt opera bona, sic præcipue caritas, hæc enim omnium operum bonorum præcipuum est.* Piscius in resp. ad 3. rat. Camp. pag. 43. *Fidem intelligo obedientiam illam sub spe boni promissi Deo præstandam.* Ita Irenæus. *Credere Deo est facere voluntatem ejus.* Socinus in libr. quod evang. pag. 22. *Fides in Christum seu per Christum in Deum, qua justificamur, est ea fiducia, quæ vere ac proprie est fiducia, nempe Christo seu Deo per Christum plane confidere, id est, sub spe ea consequendi, quæ a Deo per Christum iis sunt promissa, qui ipsius Christi præcepta ita servaverint, ut merito obedientes dici possint, ipsi Deo & Christo obedire.* Ad 1.) argumentum Photinianorum ex Psalm. LXXVIII. *resp.* Reprehenduntur Israelitæ v. 22. quod in Deum non crediderunt, tamen in reliquis versibus etiam malos fructus incredulitatis psalmista reprehendit, ac proinde illa bona opera, ad quæ v. 7. 8. 9. & 10. hortatur, opponuntur non soli incredulitati, sed etiam malis fructibus incredulitatis. Præterea v. 22. reprehenduntur Israelitæ non solum propterea, quod non crediderunt in Deum, sed etiam, quod non speraverunt in salute seu auxilio Dei, cui peccato opponitur spes v. 7. nec tamen sequitur, quod spes sit fides; sed est virtus a fide distincta. 1 Cor. XIII. 13. Denique quando Israelitæ propter incredulitatem reprehenduntur, est locutio *synecdochica*, ponitur enim incredulitas pro omni impietate, quæ ex ea sequitur. Ad 2.) argumentum Photinianorum ex Dan. VI. *resp.* Licet uni subjecto varia tribuantur, tamen non sequitur, quod illa inter se sint eadem, alias quia uni eidemque homini justificato tribuuntur fides, spes & caritas, consequens foret, ea omnia esse eadem. Etiam bona opera in hac vita habent gratuitam remunerationem, ideoque non potest dici, quod illud, propter quod Daniel ex lacu liberatus, sit fides. Præterea exemplum Danielis a quæstione est alienum, fides enim Danielis ibi non consideratur in actu justificationis, & quatenus est justificans, sed in exercitio alicujus boni operis, quatenus Daniel patienter injustam pœnam perferebat. Ad 3.) argumentum Photinianorum ex Jon. III. *resp.* Falsum est, quod *quicquid auditæ concione prophetica in Ninivitis subsecutum, sit fides*, nam in vera pœnitentia non solum fides est, sed etiam sequuntur fructus fidei. Ad 4.) argumentum ex Hebr. XI. resp. *Fides* illa *sanctorum* non quidem fuit sine obe-

υἱοθεσία. Joh. I. 12. *Dedit potestatem, filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus;* tranquillitas

litas conscientiæ; Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus;* liberatio a damnatione legis; Rom. VIII. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo;* securitas spiritualis; Rom. X. 11. *Qui credit in eum, non confundetur;* benedictio cœlestis; Gal. III. 9. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abrahamo;* purificatio cordis; Act. XV. 9. *fide purificans corda eorum;* Victoria satanæ; Eph. VI. 16. *in omnibus sumentes scutum fidei, quo possitis igneæ tela nequissimi extinguere.* 1 Petr. V. 9. *Huic resistite fortes in fide;* victoria mundi; 1 Joh. V. 4. *Fides est victoria nostra, quae vincit mundum;* patientia in adversis; Rom. V. 3. *Justificati fide gloriamur in adflictionibus;* accessus ad Deum; Rom. V. 2. *Per Christum habemus accessum fide in gratiam illam, in qua stamus;* obsignatio veritatis; Joh. III. 33. *Qui accipit testimonium ejus, signavit, quod Deus verax sit;* dilectio Dei & proximi; Luc. VII. 47. *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Gal. V. 6. *Fides efficax est per dilectionem;* Spes futuræ gloriæ; Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus*, v. 2. *& gloriamur in spe gloriae filiorum Dei;* confessio veritatis creditæ & cognitæ; 2 Cor. IV. 13. *Habentes eundem spiritum fidei &c. & nos credimus, propterea loquimur;* invocatio; Gal. IV. 6. *Quia estis filii Dei* (per fidem), *misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.* Rom. X. 14. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* obedientia erga Deum, Hebr. XI. 8. *Abraham cum vocaretur, fide obedivit, ut exiret in locum, quem accepturus erat in hereditatem, nesciens, quo iret.* Denique vita & salus æterna. Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* v. 36. *Qui credit in filium, habet vitam aeternam.* Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Atqui insignes illi effectus non possunt nudæ notitiæ tribui, ut constat. Ergo fides justificans non est nuda notitia. IX.) A *typicis & metaphoricis* fidei *descriptionibus.* Joh. III. 14. *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis.* v. 15. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quemadmodum Israelitæ adspicientes æneum serpentem certa cordis fiducia nitebantur promissione Dei, quod a morsu ignitorum serpentum hoc adspectu liberandi sint: ita fides justificans est perspicacissimus cordis intuitus, quo Christum in ara crucis exaltatum respicimus, certo statuentes, propter illum nobis contingere liberationem a vulneribus, quæ infernalis serpens nobis inflixit, adeoque vitam & salutem æternam. Joh. III. 33. *Qui credit, ἐσφράγισεν, obsignavit, quod Deus verax sit.* De quibus non dubitamus, sed certi sumus, ita ut in illis acquiescamus, iisdemque stare velimus, ea obsignamus, & quæ hoc modo obsignata sunt, illis firmiter inhæremus: sic per fidem obsignamus, quod Deus verax sit, hoc est, promissionem gratiæ in verbo veracis & omnipotentis Dei agnitam & oblatam ita in corde amplectimur, ut vera fiducia illam quasi obsignemus. Esaj. LV. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, venite, emite absque argento.* Joh. IV. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Joh. VI. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis.* v. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit Pater* v. 35. *Ego sum panis vitae, qui venit ad me, non esuriet, &c.* v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Apoc. XXI. 6. *Sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis.* cap. XXII. 17. *Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitae gratis.* Ex quibus locis colligitur, quod fides sit spiritualis passus

γ.) a typicis & metaphoricis descriptionibus.

obedientia, non tamen propterea quatenus justificans, est obedientia: describitur enim ibi fides non in actu justificationis, sed in exercitio operum. Abrahæ fidem respectum habuisse ad Christi meritum, colligitur ex Rom. IV. GERHARDUS.

paſſus animæ, jam vero cibus & potus ut alere poſſit, non ſolum contrectandus, ſed etiam aſſumendus & concoquendus: ita non ſufficit noſſe doctrinam evangelii, eidemque aſſentiri, ſed & fiducialis adprehenſio promiſſionum ac ſpecialis earundem adplicatio requiritur.

to.) ab exemplis fidei. X.) Ab *exemplis* fidei. Qualia ſunt fidei exempla, talis etiam eſt ipſa fides, cum omnia exempla debeant eſſe conſentanea illi regulæ, cui declarandæ & illuſtrandæ ſubjiciuntur. Jam vero exempla fidei juſtificantis in ſcripturis adlata non nudam notitiam & aſſenſum, ſed cumprimis etiam fiduciam norant. Ergo & fides talis erit. *Aſſumtum* variis exemplis confirmari poteſt. Rom. IV. 18. *Abraham contra ſpem in ſpem credidit*, (contra ſpem, quam concipere poterat ex conſideratione naturæ, credidit in ſpem ex conſideratione potentiæ divinæ conceptam.) v. 19. *& non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum*, v. 20. *in promiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo*, v. 21. *pleniſſime ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.* Certe hæc fides Abrahæ non fuit nuda notitia & aſſenſus, ſed etiam plena cordis fiducia in promiſſionem Dei veracis & omnipotentis recumbens. Matth. IX. 22. dicit Chriſtus ad hæmorrhouſam: *fides tua te ſalvam fecit*, ea vero ſic deſcribitur, quod dixerit in corde ſuo: *ſi ſolum tetigero veſtimentum ejus, ſanabor.* v. 21. Matth. XV. 28. dicit Chriſtus ad Cananæam: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Deſcribitur autem ibi graviſſima lucta fidei, qua tentationes de indignitate & particularitate hæc fœmina fortiſſime vicit, ideo *magna fides* ejus prædicatur; fiducia eſt, quæ verbo inhærens tentationes vincit, non nuda notitia vel aſſenſus. Hebr. XI. varia adferuntur exempla eorum, qui fidem exercuerunt & demonſtrarunt in militia ſpirituali, in ſtudio bonorum operum &c. quæ oſtendunt, fidem non ſolum eſſe ἔλεγχον, firmum aſſenſum, ſed etiam ὑπόστασιν, firmam fiduciam, quæ non cedit nec fugit, ſed omnes impetus viriliter ſuſtinet. v. 24. & 25. de Moſe dicitur, *quod fide elegerit potius adfligi cum populo Dei, quam temporariis peccati commodis perfrui:* hic fidei adſcribitur electio, electio autem eſt voluntatis, ergo & fides erit in voluntate. XI.) A *teſtimoniis* veterum, quæ adducit Chemnitius in locis theologicis.

11.) a teſtimoniis veterum.

Delibabimus pauca, reſervatis ceteris ad locum de certitudine gratiæ. Cyprianus ſerm. IV. de mortal. non longe a principio: *Si juſtus es, & fide vivis, ſi vere in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus & de pollicitatione Domini ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris & quod Zabulo careas, gratularis &c.* Et poſtea: *Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem fiari in ſermonibus atque actibus ſuis ſcires; nunc Deus tecum loquitur & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur atque æternitatem, & tu dubitas? hoc eſt, Deum omnino non noſſe, hoc eſt, Chriſtum credentium magiſtrum peccato incredulitatis offendere, hoc eſt, in eccleſia conſtitutum fidem in domo fidei non habere.* Circa finem: *Si in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis ejus habeamus, & non moriemur in æternum.* Libr. II. ep. VI. *Chriſtus dat credentibus tantum, quantum ſe credit capere, qui ſumit.* Origenes in cap XIII Matth. *Quemadmodum in corporibus naturalibus quidam attractus ineſt quibusdam ad quædam, veluti magneti lapidi ad ferrum, & bitumini, quod dicitur naptha, ad ignem, ita fidei ad divinam virtutem.* Gregorius Nyſſenus orat. VI. in Cant. Cant. pag. 368. dicit, *nos fide Chriſtum recipere, ut intra conclave noſtrum, quod cor noſtrum eſt, perveniat, & rurſum receptum fide retinere, ut illic permaneat.* Ambroſius libr. II. in Luc. II. §. de Sim. & Anna. *Qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Ieruſalem, exſpectet Chriſtum Dominum, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur velut quibusdam ſuae fidei brachiis.* (quemadmodum ergo Simeon brachiis corporalibus Chriſtum complexus eſt, ita fide ſpiritualiter eum amplectimur.) In 1 Cor. I. *Sola fide gratis accipimus remiſſio-*

sionem peccatorum. Augustinus tract. XXIX. in Joh. *Credere in Christum est credendo amare, credendo diligere. credendo in illum ire & membrum ejus effici.* Tract. XLVIII. in Joh. *Quærebant eum adprehendere. Utinam adprehenderent, sed credendo & intelligendo, non saeviendo & occidendo! Non adprehenderunt eum, quia manus fidei non habuerunt. Mente verbum adprehendere, hoc est, Christum recte adprehendere.* Serm. VIII. de verbis Dom. *Interrogo nunc, credisne o peccator Christo? dicis, credo. Quid credis? gratis universa peccata tibi per Ipsum posse remitti: habes, quod credidisti.* In med. cap. 14. *Omnis namque spes & totius fidei certitudo mihi est in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos & nostram salutem, in ipso respiro, & in ipso confisus ad te venire desidero.* Chrysostomus hom. LIV. in c. XXIX. Gen. *Ita bene fidamus his, quae a Deo promissa sunt, atque si jam impleta essent.* Theophylactus in cap. XI. Marc. *Qui magna adfectione credit, cor suum omnino extendit in Deum, & quid faci? unitur illi, & fervefactum cor ejus magnam certitudinem sumit, quod voti compos fiat.* In cap. VIII. Lucæ. *Sicut si quis adferret oculum ad lumen lucens, vel stipulam ad ignem, statim operationem illorum experiretur: ita & illa* (hæmorrhousa) *adferens fidem ad eum, qui sanare poterat, statim sanitatem adepta est: neque enim cogitabat vel diuturnitatem morbi vel desperationem medicorum, vel aliud quidpiam, sed credidit tantum, & salvata est, & ut videtur, prius tetigit Christum mente, quam corpore.* Idem in cap. IV. Rom. *Abraham praeter omnem spem humanam divinae fuit voluntati confisus, non haesitavit, hoc est, nihil prorsus habuit, quod ille ambigeret, quin statim per fidem fortior est effectus.* Bernhardus (de quo Chemnitius recte pronunciat, quod plus lucis in articulo justificationis habuerit, quam reliqui) pulcerrime in locis multis hanc rem pertractat. Serm. II. de annunc. *Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde, ut credas & hoc, quod per ipsum peccata tua donentur, &c.* Serm. III. de septem panum fragm. *Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis &c.* Locum integrum postea expendemus. Serm. LXI. in. Cant. *Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia adfluunt, nec desunt foramina, per quae effluant.* Talia in hoc scriptore occurrunt longe plurima. Lyra in cap. XI. Hebr. testatur, *fidei objectum esse non tantum verum, sed etiam bonum, in quod feratur.* Refero huc praeclara Lutheri dicta, quibus fidei naturam declarat, tom. I. Lat. fol. 539. *Paulus cum tribuit justificationem fidei, loquitur de fide adprehensiva Christi, quae facit Christum in nobis efficacem esse contra peccatum, legem, mortem.* Ibidem: *Fides adquisita fiat velut piger manum sub ascella abscondens & dicit: Ista nihil ad me! Fides vera extensis brachiis amplectitur laeta Filium Dei pro se traditum, & dicit: Dilectus meus mihi & ego illi!* Tom. IV. Lat. fol. 57. *Fides pure est docenda, quod scilicet per eam sic conglutineris, ut ex te & Christo fiat quasi una persona, quae non possit segregari. ut cum fiducia dicere possis: Ego sum Christus, hoc est, Christi justitia, victoria, vita est mea. Et vicissim Christus dicat: Ego sum ille peccator, hoc est, ejus peccata, mors sunt mea, quia adhaeret mihi & ego illi, conjuncti enim sumus per fidem in unam carnem & os.* Eph. V. *ita, ut haec fides Christum & me arctius copulet, quam maritus uxori est copulatus.* fol. 116. *Fides est pertinacissimus intuitus, qui nihil adspicit praeter Christum victorem peccati & mortis & largitorem justitiae, salutis & vitae aeternae.* XII.) A *confessione* ipsorum *adversariorum.* Lombardus libr. III. sent. dist. 19. lit. A. *Dicimur & aliter per mortem Christi justificari, quia per fidem mortis ejus a peccatis mundamur, unde apostolus:* Justitia Dei est per fidem Iesu Christi: *Et item:* quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, *id est, per fidem passionis. Ut olim adspicientes in serpentem aeneum in ligno erectum a morsibus serpentum sanabantur: sic ergo recte*

12.) *a confessione adversariorum.*

fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur, id est, a peccatis, & ita a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat. Dist. 23. lit. D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere, & membris ejus incorporari. Per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.* Dominicus a Soto libr. II. de nat. & grat. cap. 6. ex professo quidem disputat, fidem non esse fiduciam, interim fatetur, *nomine fiduciae exprimi certam firmamque fidem.* Cajetanus in enarrat. d cti Mosaici: Credidit Abraham Deo: *Moses non dicit, Abrahamum credidisse Deo, sed in Deo, hoc enim plus est: nam credere Deo est fidem habere illius verbis ut veracibus; credere autem in Deo, insuper addit fiduciam in Deo.* Erasmus in exposit. symbol. catech. II. p. 44. *Deum crediderunt & philosophi plerique, Deo credunt & daemones, sed soli pii credunt in Deum, sive in Deo; nihil enim refert, qui totam fiduciam, totamque spem fixerunt in Deo.* Idem Jac. I. 6. *fidem* vertit per *fiduciam*, quam versionem pontifex Leo X. commendavit in cap. XII. Luc. p. 155. *Fides est fidentis, sic enim nos abutimur Christiani.* in cap. I. Rom. *Fidem frequenter sacrae litterae usurpant pro fiducia erga Deum, ut non multum differat a spe.* Jac. Veldius conc. in evang. Dom. II. Quadrag. de fide Syrophoenissae ait, *in ea attendenda esse suae ipsius nuditatis agnitionem, Dei benignitatis certam persuasionem, infatigabilis fidei orationem, oris claram confessionem.* Nausea Viennensis episcopus libr. III. cap. I. catechisini contendit, *summam cognationem summamque similitudinem esse inter spem & fidem, adeo, ut non bene distingui queant.* Idem libr. I. cap. 12. *Fides est constans firmaque animi per Spiritum sanctum de Dei majestate, omnipotentia & bonitate, deque illius promissis indubitata persuasio, qua ut verbis ejus certam fidem habet, ita & de ejus erga se bonitate omnia sibi indubitato pollicetur, cum demerendo quoslibet tam ipsi gratificari, quam referre gratias studet.* Claudius Guilliaudus in cap. VI. Joh. scribit, *opus Dei vocari a Christo fidem, quae est certa de bonitate Domini persuasio, confidensque salutis ab eo exspectatio.* Et postea: *Credere in Christum non est res a Christo gestas novisse, has enim novit Satan, qui tamen illa justitia non est justificatus; nec est meminisse aut mente revolvere, Christum natum esse, passum esse, resurrexisse & coelos adscendisse: nam & impii horum omnium meminerunt, & de his cogitant nihilo meliores effecti; sed credere in Christum est certo apud se statuere, per Christum contingere justitiam & vitam aeternam, eique toto corde, tota anima, totis viribus inhaerere. Hoc qui fecerit, omnia Christi bona complectitur, illisque ex animo adhaeresset.* Ludovicus Granatensis Dom. XVIII. post Pentec. conc. I. tom. IV. p. 322. *Rectissime, ut adparet, dicetur, nomine fidei in evangeliis, cum ei tribuitur salus aut consecutio omnium, quae volumus, complecti utrumque, nempe & adsensum illum firmum in credendis de Deo ac Christo, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi ratio ad credulitatem, & adsensum illum mentis, in quibusdam vero ad ipsam fiduciam. Ita enim duo haec ad invicem cohaerent, ut nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quicquam impetret a Deo, utque fiduciae magnitudo ex credulitatis perfectione nascatur. Certe dum dicimus: confido huic verbo Dei,* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; *in verbo* confido *illa duo simul comprehendi videntur. Est enim sensus: adeo persuasus sum, illud esse verum, ut inde etiam mihi certo sperem per sacerdotes remissionem peccatorum.* Gregorius de Valentia tom. III. disp. 1. q. 1. punct. 1. col. 7. C. *Frequenter fiducia quaedam, seu firma spes, futurum id, quod est promissum, nominatur fides.* Et paulo post. *Atque etiam a latinae linguae auctoribus nonnunquam videri potest accipi id vocabulum in ea significatione, ut a Terentio in Heaut. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum.* Georg. Cassander in consult. de August. confess. c.

de

de justif. *Ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputatur, atqui hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad justitiam, eam videlicet fidem, qua credimus in eum, qui Christum suscitavit a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Idem in consult. in c. de justif. ex enchir. christianæ relig. in concilio Colon. anno 1536. edito citat hæc verba: *Fatemur verum esse, ad justificationem hominis omino requiri, ut homo certo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum vere pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsi homini remissa sint peccata propter Christum per fidem.* Subjicit Cassander: *Ad justificationem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahae ad promissionem Dei non haesitet propter diffidentiam, sed praeter spem in spem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, qui traditus erat propter debita nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem & peccata non imputaturum.* Corn. Jansenius cap. XXX. harm. p. 197. *Fides communiter hic & in similibus locis accipitur pro fiducia, ut intelligantur discipuli ideo vocari ὀλιγόπιστοι, hoc est parum fidentes & modicae fidei, quia non satis confidebant, se esse tutos Christo dormiente, nec habuerunt perfectam illam in Deum fiduciam, quam habere debuissent.* Stapleton in promt. morali Dom. Pentec. loc. 6. *Creditis in Deum, etiam in me credite, hoc est, in Deum fiduciam habete & in me.* Bellarminus libr. II. de grat. & lib. arb. cap. 3. libr. I. de justif. c. 15. *Credere est Christum recipere.* Costerus in ench. p 313. *Credere est fide adprehendere.* Idem part. I. concil. p. 521. *Ad fidem hanc, qualem Christus vidit* Matth. IX. 2. *non sufficit credere, quod vera sint, quae in scripturis Deus dixit, hoc enim & peccatores catholici faciunt, sed oportet promissionibus ejus inniti, & quod promisit generatim, firmiter credere te accepturum.* p. 525. *Confidebat paralyticus, sed ad majorem fiduciam hortatur eum Christus, quia Deo non possumus nimium fidere.* Ne vero illa adprehensio ac receptio de nuda notitia intelligatur, conjungenda sunt scripturæ dicta, quæ testantur, credentes fide in Christum accipere remissionem peccatorum & vitam æternam, quod de nuda γνώσει dici haudquaquam potest.

§. LXXIII. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 11. quibusdam ex argumentis illis nostris respondere conatur. Videamus quid adferat: I.) dicit, *vocem ὑπόστασις* Hebr. XI. 1. *fidei attributam non significare certam exspectationem & fiduciam divinae misericordiae, sed substantiam, quia, quae futura sunt, non habent ullam substistentiam vel fundamentum, nisi in intellectu per fidem: atque hoc modo commode & proprie accipitur* Psalm. XXXIX. 8. & Hebr. III. 14. quod confirmat auctoritate Chrysostomi in cap. XII. Hebr. Resp. 1.) nostra interpretatio, qua per ὑπόστασιν accipimus fiduciam & certam explicationem, convenit cum *etymologia*, dicitur enim ὑπόστασις ab ὑφίστασθαι *firmiter stare, non fugere, aut cedere*; cum *usu* scriptorum Græcorum, ut ostendunt dicta superius adducta; cum *LXX. interpretibus*, qui Hebræum תּוֹחֲלָתִי *exspectatio mea*, reddiderunt per ὑπόστασιν. Psalm. XXXIX. 8. conjunge Ruth. I. 12. Ezech. XIX. 5. Mich. V. 6. cum *locis parallelis*; 2 Cor. IX. 4. & cap. XI. 17. Hebr. III. 14. cum *testimonio* recentiorum scriptorum. Erasmus in annot. ὑπόστασιν *dixit certitudinem & id, cui aliquid innititur ac fulcitur.* 2.) Ab ea igitur temere non recedimus. Interim non adversatur nobis, quod Chrysostomus & Theophylactus vocabulum ὑποστάσεως hoc modo interpretantur, quod fides ideo dicatur ἐλπιζομένων ὑπόστασις, quia facit illa quodammodo subsistere & præsentia esse, quæ nondum sunt in natura: hoc enim non pugnat cum fiducia, cujus proprium est, divinæ promissioni tam firmiter inhærere, ut res promissas intime complectatur, adprehendat, sibique adplicet:

Exceptiones Bellarmini.
1.) *ὑπόστασις significat substantiam, non fiduciam.*

& quæ adhuc sperantur, illa tanquam præsentia nobis sistat, atque omnem de illis dubitationem excludat. Ex quo etiam patet vanitas exceptionis, quam addit Bellarminus: *Fides* (inquit) *definiente auctore epistolae ad Hebraeos est ὑπόστασις rerum sperandarum. Atqui exspectatio rerum sperandarum sive vitae aeternae non est fides justificans etiam secundum adversariorum doctrinam, quippe quam per fiduciam divinae misericordiae definire solent. Ergo si vel maxime concedatur, per ὑπόστασιν notari exspectationem & fiduciam, nondum tamen ex apostolica illa definitione sententiae illorum quicquam accederet.* Resp. subordinata non sunt invicem sibi opponenda. Eadem est justificans fides, quæ certo statuit, propter Christum sibi peccata remitti, seque propter eundem vitæ æternæ participem esse. Neque hac ratione fides cum spe confunditur, quia spes revelationem filiorum Dei & vitæ, quæ in Christo adhuc abscondita est, exspectat, fides autem promissioni divinæ inhærens tam certo sibi eam promittit, ac si jam dum ipso actu plenariam ejus possessionem obtineret. II.) *Dicta scripturae, quae certitudinem fidei commendant, intelligenda esse de fide catholica, qua credimus id omne, quod Deus revelat, non pro fiducia aut confidentia.* Rom. IV. 18. Abraham credidit contra spem in spem, *hoc est, credidit ob divinam promissionem, se posse sperare filium ex Sara, quem naturaliter sperare non poterat. Illud autem*: non hæsitavit diffidentia, *significare posset, fidem Abrahae fuisse insignem, ut fiduciam quoque pepererit: ac diffidentia hoc in loco posita est pro incredulitate, cum in Graeco sit ἀπιστία. Denique apostolus evidenter aperit, quae fuerit fides Abrahae, cum ait*: plenissime sciens, quia, quæcunque promisit, Deus potens est & facere; *omnipotentiam itaque credidit Abraham, Deum autem omnipotentem esse, fide tenemus, non fiducia.* Resp metuendum Bellarmino fulmen concilii Tridentini, quod prohibet a vulgata versione latina discedere, illa vero ἀπιστίαν vertit per *diffidentiam*, πίστις igitur erit fiducia. Et quam frigidam Abrahæ fidem tribuit Bellarminus! Non solum credidit Abraham, se posse sperare filium ex Sara, sed re ipsa speravit, & promissioni divinæ innitens plena fiducia statuit, sibi datum iri filium. Πληροφορία illa, quam fidei Abrahæ tribuit apostolus, non solum notat talem persuasionem, qua mens divinæ promissioni tanquam rei verissimæ adsentitur, sed etiam eam, qua cor plena fiducia in promissionem divinam recumbit. Adde, quod Abraham credidisse dicitur in spem contra spem, in spem promissionis contra spem naturæ: jam vero spes est in voluntate, ergo fides Abrahæ non sola potest notitia definiri. Idem ostendit gravissima illa lucta fidei in Abrahamo, qua accepta promissione de semine venturo, nihilominus jubebatur filium suum immolare, id quod e diametro illi promissioni videbatur repugnare. Respexit quidem Abrahæ fides in omnipotentiam Dei, sed & promissionis verbum respexit, in quod firma animi fiducia recubuit. Cumque fidem Abrahæ peperisse fiduciam Bellarminus concedat, cur fiduciam illam ad fidem pertinere negat? Ex fide *historica* sive ex notitia promissionum per efficaciam Spiritus sancti nascitur fiducia, quæ est fidei justificantis veluti anima, qua promissiones divinas nobis applicamus, ac certa animi πληροφορία illis innitimur. Ad dicta Marc. XI. 24. & Jac. I. 6. in quibus fides requiritur in precibus, respondet Bellarminus, *ea intelligenda esse de fide historica, qua omnipotentiam Dei sine ulla dubitatione credimus.* Resp. imo vero non solum omnipotentia Dei, sed etiam, ac cumprimis promissio ipsius gratuita in precibus respicienda, hæc sunt veluti duo crura fiducialis illius certitudinis, quæ in precibus requiritur, quæve omnem dubitationis fluctuationem excludit. *Unum enim ex duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit id, quod petimus, aut illud, quod noverit nobis esse utilius*, ut loquitur Bernhardus in medit. devotiss. cap. 6. col. 1196. Historica illa fides, qua in genere credimus Dei omnipotentiam, veritatem ac misericordiam, nondum ad hoc sufficit, ut juxta Dei voluntatem petamus, sed requiritur insuper, ut promissiones evangelicas

2.) Dicta de fidei certitudine intelligenda sunt de fide catholica.

in

in specie ad nos quoque pertinere statuamus, illisque firma & immota animi fiducia adhæreſcamus. Unde vis veritatis coegit Bellarminum, ut tandem subjungeret: *Non esset absurdum aut contra sententiam nostram, si quis diceret, Iacobum loqui de fide, quae gignit fiduciam, ac per hoc non solum incredulitatem, sed etiam diffidentiam excludere.* Rectissime loquitur apostolus de fide, qua promissionem absque ulla hæsitatione amplectimur, quæ fides gignit fiduciam, imo est ipsa fiducia, ut ex collatione dicti 1 Ioh. V. 14. superius evicimus.

3.) *Timor opponitur fidei, quia ex fide oritur fiducia.*

III.) Dictis illis, in quibus timor & ὀλιγοπιστία fidei opponuntur, hoc obvertit, *illud ideo fieri, quia fiducia ex fide oritur, quae tamen cum fide non sit confundenda.* Resp. Opposita sunt sub eodem genere proximo; jam vero hæsitatio, diffidentia, timor, solicitudo opponuntur ipsi fidei, non autem alicui effecto fidei. Ergo erunt sub eodem genere proximo. Fiduciam ex fide oriri concedimus, si fidei nomine intelligitur nuda notitia promissionum, ex qua per operationem Spiritus sancti fides justificans oritur, vel si fiduciæ nomine accipiatur fiducia roborata & confirmata, quæ eo modo ex fide justificante oritur, quo alias dona ac charismata Spiritus sancti in piorum cordibus incrementa solent capere: nec tamen a fide segreganda est illa ipsa fides justificans, quam scriptura toties commendat. Si enim fiducia illa ad fidem pertinere negatur, ad quam virtutem theologicam tandem pertinebit? *Ad spem* respondet Bellarminus. At spes est futurorum exspectatio, jam vero fiducia respicit bonum præsens in verbo evangelii oblatum; bonum promissum ut futurum spes respicit & exspectat: bonum promissum ut præsens fides respicit & adprehendit.

4.) *Apostolus Rom. IV. non loquitur de promissione remissionis peccatorum, sed multiplicandæ posteritatis.*

IV.) Ad egregium apostoli dictum Rom. IV. 16. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio;* ubi promissioni tribuitur certitudo ac firmitas non solum ratione sui, quod ob veritatem & omnipotentiam promittentis sit certa, sed etiam ratione nostri, quod nobis quoque firmissima ac certissima sit, quatenus eam fide amplectimur, nobisque adplicamus, hoc regerit Bellarminus: *Apostolum non loqui de promissione remissionis peccatorum, sed de promissione facta Abrahae, quod pater futurus sit multarum gentium, sive de promissione vocationis gentium ad justitiam & salutem, quae contingat non ex lege Mosis, vel ex operibus ex liberi arbitrii viribus factis, sed ex fide Iesu Christi, per quam fidem non intelligatur fiducia, sed fides historica, cum in verbis seqq. dicatur fides omnipotentiae Dei.* Resp. non solum promissionem vocationis gentium, sed etiam promissionem de remissione peccatorum in his verbis intelligendam esse, totus capitis contextus ostendit. Ut enim Abrahæ facta est promissio de multiplicatione seminis & vocatione gentium: ita nobis in evangelio facta est promissio de remissione peccatorum. Ergo ut Abraham indubitata cordis fiducia promissionem amplexus est: ita & nobis convenit, firma & immota cordis fiducia evangelicam de remissione peccatorum promissionem amplecti, ut simus spirituales Abrahæ filii, *qui est pater omnium credentium*, v. 11. *cujus fidei vestigia sectari debemus*, v. 12. *Neque enim propter ipsum solum, sed & propter nos scriptum est, quod fides ipsi reputata sit ad justitiam.* v. 23. *Siquidem & nobis reputabitur credentibus in eum, qui justificat impium.* v. 24. Finge promissionem accipiendam esse tantum de vocatione gentium, non autem de remissione peccatorum, quomodo fides Abrahæ erit exemplar & norma fidei nostræ? quomodo poterimus vestigiis credentis Abrahæ insistere? Ex verbis illis apostoli: *Sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium constitui te*, v. 17. nunquam poterit Bellarminus exsculpere, quod de promissione vocationis gentium tantum loquatur apostolus, exclusa promissione de justitia & remissione peccatorum, siquidem verba illa adducuntur, non ad ostendendum, quæ sit illa promissio, quam secundum gratiam dixit esse firmam, sed ad ostendendum, quod verbis immediate præcedentibus dixerat, Abrahamem esse patrem omnium nostrum. Ac detur sane, intelligi promissionem

de vocatione gentium, nondum tamen sequitur, eam solam intelligi, cum totius capitis contextus ostendat, intelligendam etiam esse promissionem de justitia & remissione peccatorum, in cujus adplicatione, hoc est, justificatione Abraham pater omnium credentium exempli loco proponitur. Porro an operum nomine intelligantur ea tantum, quæ ex viribus liberi arbitrii facta sunt? Item an Deus alicui in specie dicat: remittuntur tibi peccata, hoc est, an exstet specialis promissio de remissione peccatorum, ac num fiducia in illam promissionem recumbens sit posterior remissione peccatorum? quæ omnia Bellarminus hic immiscet, de illis suus erit differendi postea locus. Id vero præteriri nequit, quod Bellarminus negat, *fidem Abrahae, quam apostolus commendat, fuisse fiduciam, cum respectum habeat ad Dei omnipotentiam.* Egregia vero probatio! Respexit quidem Abrahæ fides Dei omnipotentiam, sed non solam, verum etiam & cum primis ejusdem promissionem, quam utpote a veraci ac omnipotente profectam certa cordis fiducia amplexus est: *ideo ex fide* (dicit Apostolus) *ut secundum gratiam firma sit promissio.* Quare cum fides misericordiam, veritatem & omnipotentiam promittentis Dei respiciat, non potest non tota cordis fiducia promissioni inhærere, ac citra dubitationem complementum ejusdem sibi polliceri. V.) Fidei objectum esse promissionem gratiæ, quam in specie sibi adplicet, totis viribus Bellarminus negat, & obvertit, *fidem justificare, quia augendo pavores disponit ad justitiam, & quia excitat propositum bene vivendi.* Item: *promissiones evangelii esse conditionales, cum fidem & sacramenta requirant, ideo non posse eam nobis fide speciali adplicari, cum nemo sciat, an credat, sicut oportet.* Sed hæc omnia in capite de objecto fidei justificantis & in quæstione, an & qua ratione fides justificet, discutientur.

5.) *Fides objectum non est promissio gratiæ.*

Antiqui Pontificiorum.

§. LXXIV. Expositis argumentis nostris, quibus fidem esse fiduciam comprobavimus, iisdemque ab insultu adversariorum vindicatis, restat, ut sententiam & argumenta Pontificiorum in hac quæstione excutiamus. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 4. secutus concilium Trid. negat, *fidem definiendam esse per fiduciam, cum in intellectu solum, non autem in voluntate sedem habeat.* Ex Thoma monet, *fiduciam nihil aliud esse, quam spem roboratam, ideo fidem cum spe confundi, si per fiduciam definiatur.* Sanderus in libr. de justif. sic informat quæstionem: *Utrum adsensionis, quae verbo Dei praebetur, aut etiam fidei christianae ulla pars exsistat, ut quis absque speciali revelatione Dei confidat, & certo statuat, sibi remissa esse peccata, aut se filium Dei esse, nec ne?* respondet autem his verbis: *Adsensionis*, inquit, *nulla pars est, ut quis id, quod non audivit, verum esse confidat, a fide vero alienum est, ut certo statuat, sibi remissa esse peccata, & se filium Dei esse.* Piggius eo progreditur, ut scribat, *fidem justificantem a nobis definitam esse monstrum & chimaeram*, cum pro subjecto ei intellectum & voluntatem tribuamus. Ruard. Tapperus in explic. art. 9. *Fides, qua quis firmiter credit, & certo statuit, sibi propter Christum remissa esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, imo iisdem adversatur.* Improbant igitur, quod fidem justificantem statuamus esse fiduciam, contra vero disputant, fidem historicam & miraculorum & promissionum unam esse, atque illam non esse proprie notitiam aut fiduciam, sed adsensum certum atque firmissimum ob auctoritatem primæ veritatis, malunt etiam vocare fidem catholicam vel dogmaticam, quam historicam. Vide Bellarminum libr. I. de justif. c. 4. sub fin. Lombardus libr. III. sent. dist. 23. B. sic definit: *Fides est virtus, qua creduntur, quae non videntur.* Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. *Fides importat adsensum intellectus ad id, quod creditur.* Costerus in enchir. p. 189. *Fides est habitus seu qualitas quaedam divinitus menti infusa, qua intellectus firmiter adsentitur in omnibus, quae a Deo sunt revelata* (*).

(*) *Subjectum* fidei, *quod* vel *adaequatum*, (quod rem adæquate possidet) est homo. *Subjectum quo* vel

§. LXXV.

Fidem non esse fiduciam, quia impossibile est, ut una qualitas diversis insit subjectis.

§. LXXV. Primarium ac præcipuum argumentum, quo probare volunt, fidem non esse fiduciam, petunt ex distinctione facultatum animæ: *Impossibile est, ut una eademque numero qualitas diversis insit subjectis, ergo una eademque virtus non potest esse in duabus potentiis genere distinctis. Jam vero fides est in intellectu. Ergo nullo modo pertinebit ad voluntatem.* Resp. 1.) Argumentum petitum est non e schola Spiritus sancti, sed ex principiis philosophicis, veritati igitur ex scripturis demonstratæ nihil quicquam derogare poterit. Scriptura intellectum & voluntatem non distinguit, sed simpliciter cordi & notitiam & fiduciam, & adfectus tribuit, quod ex infinitis locis adparet. Quicquid igitur philosophi de distinctione facultatum animæ disputent, simplicitas christiana inhærens scripturis respondere poterit, *corde nos credere ad justitiam;* Rom. X. 10. ex quo fundamento originem ducit regula theologica: *Verba notitiae apud Hebraeos saepe connotant adfectum cordis.* 2.) Ipsi Scholastici fidem quodammodo ad voluntatem referunt, quorum auctoritatem, præsertim vero Thomæ, non poterit Bellarminus repudiare. Thomas 2. 2. q. 4. art. 2. *Credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad adsentiendum, procedit autem hujusmodi actus & a voluntate & ab intellectu, quorum utrumque natum est per habitum, perfici & ideo oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu, si debet actus fidei esse perfectus.* 1. 2. q. 66. art. 4. *Credere est alicui propria voluntate adsentire.* Inde est, quod ad quæstionem: *an fides sit major & minor?* his distinctionibus respondeat 2. 2. q. 5. art. 4. *Si consideretur fides ex parte objecti, sic formale objectum fidei est simplex & unum seu prima veritas, secundum hoc fides est una: ea vero, quae materialiter credenda proponuntur, sunt plura, & sic potest unus plura explicite credere, quam alius. Si consideretur fides secundum participationem subjecti, fides dupliciter est major, primo ex parte intellectus propter majorem certitudinem: secundo ex parte voluntatis propter majorem promtitudinem.* Bielis sent. dist. 23. q. 2. art. 3. dub. 4. *Fides est virtus intellectualis, quia causatur ab actibus intellectus elicitis, scilicet adsentire verbo certo ex auctoritate testis Est tamen ex parte moralis, quia adquiritur ex actibus voluntatis imperatis. Nam adprehenso vero certo, sed inevidenti & ita non sufficienter probato, non cogitur intellectus adsentire, sed quantum de se est, potest non adsentire, ideo si adsentit firmiter, volens adsentit & ita ex imperio voluntatis.* 3.) Durandus in libr. I sent. dist. 3. q. 4. existimat, *voluntatem & intellectum non esse potentias re ipsa distinctas, sed unam eandemque entitatem absolutam, quae tamen propter ordinem & relationem ad diversos actus, videlicet ad functiones intelligendi & volendi duarum potentiarum rationem sortiatur,* quam opinionem aliquot argumentis stabilire conatur. Aureolus apud Capreolum libr. I. sent. dist. 3. q. 3. adductis quibusdam ex Aristotele locis probare conatur, in eadem ipsum fuisse sententia. Quamvis vero Conimbricenses libr. I. de anim. c. 13. q. 3. art. 2. Durandi rationes conentur refellere, ex eo tamen adparet, rem hanc ne quidem apud philosophos esse certam & expe-

vel *primarium* (quo mediante res possidetur) est geminum, nempe partim intellectus, partim voluntas hominis. Aliud subjectum est *inhæsionis*, aliud *perfectionis* Illud semper est substantia, quippe cui soli inhærent accidentia. Hoc esse possunt qualitates ac facultates, quibus nonnunquam veluti subjectis attribuuntur habitus & virtutes, quoniam his perficiuntur, & ad agendum expeditæ redduntur. Subjectum inhæsionis primarium non est nisi unicum, sed perfectionis potest esse geminum. Exemplum in imagine Dei, in libero arbitrio. Tale subjectum fidei primarium sive inhæsionis est anima rationalis vel cor humanum, ut scriptura loquitur, habet autem subjecta duo perfectionis, nempe tum intellectum, qui per notitiam & adsensum: tum voluntatem, quæ per fiduciam instruitur & perficitur. Hactenus MEISNERUS, & ex eo GERHARDUS.

expeditam, quod intellectus & voluntas sint potentiæ *realiter* distinctæ, quomodo igitur doctrina de fide ex scripturis deducta hoc principio philosophico everti poterit? Quid quod Scaliger, acutissimus seculi nostri philosophus, cum Durando facit, sic enim scribit exerc. CCCVII. sect. 3. *Voluntas est intellectus extensus ad habendum aut faciendum, quod cognoscit.* Et postea: *In homine voluntas est intellectus promotus.* Sect. 4. *Voluntas a te jungitur cum intellectu, ab Aristotele vero in libr. III. de anima, una res esse statuitur, diversa vero sola ratione, id est, modo suo.* Sect. 15. *Dicimus intellectum & voluntatem non esse accidentia, neque absoluta, neque relativa, neque realiter, ut vulgo loquuntur, differre a se invicem, neque utrumvis ab essentia animae. Essentia animae sine reali potestatum disjunctione est principium sibi ipsi αὐταρχὲς, id est, quod sit satis sibi ad producendos effectiones suas &c. Intellectus ac voluntas etsi sunt una res, tamen distinguuntur ratione. Sunt enim adfectus animae proprii, non accidentales, sed una res cum ipsa, sicut unum, bonum, verum, sunt adfectus ipsius entis, una sane res atque eadem cum ipso ente. Sic una res, anima, intellectus, voluntas. Anima tamen essentiam dicit, intellectus ea est ipsa essentia, ut adprehendit: voluntas est idem, quod illa essentia intelligens atque extendens sese ad illam rem cognitam potiundam.* Hæc Scaliger subtilissime. 4.) Ne illi quidem, qui intellectum & voluntatem *realiter* differre statuunt, absolutam universalitatem huic pronunciato tribuunt, quod una virtus non possit esse in duabus potentiis. Thomas 1. 2. q. 56. art. 2. *Aliquid dicitur esse in duobus primo sic, quod ex aequo sit in utroque; sic impossibile est, unam virtutem esse in duabus potentiis: secundo ordine quodam, & sic una virtus potest pertinere ad plures potentias, ita quod in una sit principaliter, & se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis.* Quid si eodem modo dicamus, fidem justificantem esse in intellectu per modum dispositionis? notitia enim ista historica nondum absolvit fidem justificantem, sed oportet accedere inducialem adprehensionem & specialem promissionum evangelicarum adplicationem. Unde a quibusdam in definitione justificantis fidei unicum solum adsignatur genus, hoc modo, quod sit exagnita divini verbi veritate per Spiritum sanctum divinæ gratiæ sive misericordiæ per Christum redemtorem in promissione evangelica fiducialis adprehensio ad vitam æternam: nimirum ut obviam eatur calumniis adversariorum, qui existimant, triformem quandam chimæram introduci, si fides per notitiam, adsensum & fiduciam definiatur. 5.) Sed ne quid supersit dubii, dicimus, fidem justificantem esse in corde hominis, hoc est, in animo tanquam proprio subjecto; hujus autem fidei esse duas quasi partes, nempe notitiam cum adsensu conjunctam & fiduciam; respectu notitiæ cum adsensu conjunctæ dicimus, eam esse in intellectu, respectu fiduciæ in voluntate, respectu utriusque in intellectu & voluntate simul, hoc est, in corde sive animo hominis. *Corde enim creditur ad justitiam.* Rom. X. 10. Sicut voluntas ante se requirit intellectum: ita fiducia in Christum esse non potest sine ipsius notitia. 6.) Declarationis gratia huc adferri potest τὸ εἶναι justitiæ originalis, quod complectitur lucem notitiæ in mente, rectitudinem voluntatis, atque adfectuum cum lege Dei conformitatem; τὸ εἶναι liberi arbitrii, quod est *mentis & voluntatis facultas mixta ex intelligentia & adpetitu rationali*, ut loquitur Thomas p. I. q. 83. art. 3. nec tamen quisquam inventus, qui per has justitiæ originalis & liberi arbitrii definitiones chimæram quandam introduci senserit.

§. LXXVI. Primam argumentorum classem, quibus fidem non esse fiduciam demonstret, petit Bellarminus ex dicto apostoli, Hebr. XI. 1. Fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων κ) ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, quam esse fidei justificantis definitionem ex antecedentibus probat, eamque sic explicat: *Fides est substantia rerum sperandarum, hoc est, fides est quasi vita & anima rerum, quae sperantur, quoniam eas adprehendens ac menti repra-*

Hebr. XI. Fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων.

praesentans facit ea quodammodo esse praesentes ac vivere. Est etiam demonstratio sive convictio eorum, quae non adparent, quia intellectum facit adsentiri illis, quae non intelligit. Quare cum fides definiatur per adsensum, non erit fiducia. Resp. Ἀνακόλουθον est, ex positione unius partis procedere ad exclusionem seu negationem partis alterius. Proinde non valet consequentia: fides est adsensus; ergo non est fiducia, imo vero est & adsensus & fiducia, ut superius demonstravimus. Sed probare nititur Bellarminus, excludi fiduciam ab apostolo in hac definitione. I.) *Fides dicitur substantia, quia facit praesentia ea, quae sunt alioquin futura: at repraesentare est actus intellectus, non voluntatis, in qua est fiducia.* Resp. ostendimus superius, ὑπόστασιν recte verti per fiduciam & immotam animi confidentiam, nec tamen improbamus, si per ὑπόστασιν intelligatur basis & fundamentum, quia fides promissionibus Dei tanquam fulcro cuidam certissimo innititur, & resistit variis hostibus, ut ostendunt exempla huic definitioni subjuncta. II.) Ἔλεγχος *ad intellectum pertinet, ejus enim est convinci argumentis, cujus est adsentiri & judicare.* Resp. fides dicitur ἔλεγχος, quia eam certitudinis demonstrationem praestat, qua non solum mens ad adsensum flectitur, sed etiam voluntas convincitur, ut promissiones divinas a mente intellectas tanquam firmissimas amplectatur, sibique in specie adplicet. III.) *Fide intelligere dicimur aptata esse secula. Atqui intelligere est actus mentis.* Resp. quædam dicuntur de side ratione *notitiae*, quædam respectu *fiduciae*, ut ex Jansenio superius audivimus; ea, quæ probant fidem esse notitiam, non statim negant, eam esse fiduciam. IV.) *Fide Noe metuens aptavit arcam. At fiducia non gignit metum, sed expellit, proinde fidei actus in Noe fuit, certo credere diluvium.* Resp. timor *servilis* non consistit cum fide & dilectione, bene autem timor *filialis* sive εὐλάβεια, quam commendat apostolus, unde in psalmis hæc duo sæpissime conjunguntur, *Dominum timere, eidemque confidere.* Noah non solum credidit veritatem divini judicii in prædictione diluvii, sed etiam promissionem de conservatione sui in diluvio, quod non nisi fiducia potuit adprehendere. Adde; quod Noah dicatur *justitiae, quae per fidem est, heres constitutus*, quæ vero sit illa justitia fidei, ex professo in epistolis ad Rom. & Gal. exponitur: nimirum Noachus fide adprehendit promissionem de semine mulieris contrituro caput serpentis, per illam fidei justitiam *invenit gratiam coram Domino.* Gen. VI. 8. V.) *Fidei actus describitur, quod fit credere Deum esse, & remuneratorem esse, at hoc non potest torqueri ad fiduciam.* Resp. actus fidei ratione *notitiae* est credere, quod Deus sit, & quod remunerator sit: actus fidei ratione *fiduciae* est Deo gratiam suam in promissionibus evangelicis offerenti confidere, & hac fide promissa bona amplecti. Unus fidei actus non opponendus est alteri, cum eidem subordinentur, siquidem fiducia non fertur in rem incognitam, prærequirit igitur notitiam. Quomodo vero negari potest, fidem ab apostolo definitam complecti etiam fiduciam, cum non solum vox ὑποστάσεως, sed etiam exempla definitioni subjuncta manifeste id testentur. *Fide Abel uberiorem hostiam Deo obtulisse dicitur, quam Cain* v. 4. id vero de nuda notitia intelligi haudquaquam potest, cum & Cainus crediderit esse Deum, quippe cui sacrificium obtulit; sed intelligendum est de fiduciali adprehensione primi evangelii, quod semen mulieris contriturum sit caput serpentis, hanc promissionem Abel vera fide amplexus ac testificatus est mactatione victimarum, quod propter peccata agnoscat, se reum esse æternæ mortis, nec quicquam in se invenire, quo possit Dei gratiam mereri, ut autem mors peccatis debita derivetur in animal sacrificandum, ita se certo statuere, quod semen mulieris sive promissus Messias pro peccatis generis humani in ara crucis moriturus sit, & quod propter illum peccata sibi remittantur. *Per fidem Abel consecutus est justitiae testimonium.* v. 4. atqui nuda notitia nequaquam coram Deo justificat. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem & ante translationem testimonium obtinuit sese Deo placuisse.* v. 5. atqui nuda notitia Deo non placemus,

cum hypocritæ & impii quoque fidem historicam habeant, quos tamen Deo placere nemo dixerit. Idem de reliquis esto judicium. Fides enim illa, quam apostolus commendat, non potuisset per patientiam sese exercere, & varia dona ac beneficia accipere, nisi per eandem credentes amplexi fuissent promissionem gratiæ de Christo mediatore; quomodo in cruce patientia exerceri & auxilium exspectari poterit, nisi prius fide statuamus, Deum esse nobis per Christum reconciliatum?

1.) *Rom. IV. Abraham non infirmatus est fide.*

§. LXXVII. Pergit Bellarminus & c. 6. alia scripturæ adducit testimonia, ex quibus probet, fidem non esse fiduciam. I.) Rom. IV. 19 20. 21. *Abraham non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, &c. in repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quaecunque promisit Deus, potens est & facere. Hic describitur fides justificans per propositionem tum negantem, non consideravit corpus suum emortuum: tum affirmantem, plenissime sciens: jam vero considerare & scire ad intellectum pertinet, non ad voluntatem.* Resp. Ἀναχολέθησις usitata recurrit. Fides est adsensus in intellectu; ergo non est fiducia in voluntate: imo vero hæc in fide justificante non sunt opposita, sed subordinata. Fidem esse adsensum non negamus, ex eo verò consequi, quod non sit fiducia, id vero totis viribus negamus. Idem de Abrahæ fide dicimus, eam non fuisse solum adsensum, sed & plenam cordis fiduciam, objectum enim ac fulcrum fidei ipsius statuitur promissio Dei veracis & omnipotentis, hanc non solo adsensu, sed & fiducia firma Abraham est amplexus, & contra spem naturæ ac rationis credidit in spem promissionis divinæ, nec hæsitavit diffidentia, sed roboratus est fide. Ergo primum ex *objecto*, videlicet promissione, deinde ex *oppositio*, videlicet diffidentia, denique ex *adjuncto*, videlicet πληροφορία, evidenter colligimus, Abrahæ fidem fuisse firmam & immotam cordis fiduciam. Promissio requirit non solum *adsensum* generalem, sed & *fiduciam* & adplicationem specialem. *Diffidentiae* proprie opponitur *fiducia*. De fide Abrahæ negatur diffidentia. Ergo fiducia de eadem prædicatur. Bellarminus cum aliter effugere non possit vim oppositionis, deserit vulgatam translationem ac per ἀπιστίαν intelligit *incredulitatem*, quod per concilium Tridentinum ipsi minime licet. Πληροφορία proprie notat firmam & immotam persuasionem ex certitudine verbi & promissionis in animo ortam, ita ut voluntas toto impetu feratur in id, quod cognitio in verbo ministravit, est enim πληροφορεῖσθαι plenis velis ferri. Naves, quæ plenis & inflatis velis feruntur, recta seu cursu rectissimo contendunt ad locum præfixum, celerrime currunt, nusquam hærent, nec scopulos circumspectant, quæ omnia ad fidem promissionibus divinis firmiter inhærentem adcommodari possunt. Roberto Constantino videtur hoc verbum in tertia syllaba scribendum per ω, quasi sit ἀπὸ τῦ φωρᾶν, id est, comperire, deprehendere, cujus conjectura fortassis etiam Bellarmino placuit, cum & ipse eo modo scribat: sed præterquam, quod non dicitur πληροφορᾶσθαι, sed πληροφορεῖσθαι, græci codices constanter scribunt per ο μικρόν, adde, quod φωρᾶν proprie significet in furto deprehendere, quæ significatio hic inepta est. Porro ut hoc loco dicitur Abraham *in spem contra spem credidisse*, ita Hebr. VI. 11. vocatur πληροφορία τῆς ἐλπίδος. *Cupimus unumquemque vestrum studium ostendere ad πληροφορίαν spei usque ad finem, ne sitis segnes, sed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam promissionum hereditarunt:* ex qua sententia facili negotio colligi potest, πληροφορίαν fidei non tantum ad mentem pertinere, sed etiam complecti illos motus animi, qui ex certa persuasione consequuntur; spem enim in voluntate esse, omnes fatentur. Vidit hoc Pistorius, ideo in thesibus de justif. negat πληροφορίαν ad *fidem* pertinere, apertissime non solum apostolo, sed & Bellarmino contradicens.

§. LXXVIII. II.) Alter locus ex 1 Cor. XIII. 13. *Nunc manent* 1 Cor. XIII.

fides a spe distinguitur.

nent fides, spes, caritas, tria haec: ubi a spe distinguitur. Jam vero fiducia nihil aliud est, quam spes roborata; unde Job. VIII. 14. *dicitur*. Spes hypocritæ peribit, & sicut tela araneatum fiducia ejus. *Et pro eo, quod dicit David* Psalm. XL. 5. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus; dixit Jer. XVII. 7. Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. *Itaque fiducia ex fide quidem oritur, non autem potest esse idem cum fide.* Resp. 1.) Argumentum petitum est ex Thoma 2. 2. quæst. 129. art. 6. ubi scribit, *fiduciam nihil aliud esse, quam spem roboratam.* Notandum vero, fiduciam latius patere, quam spem, nec esse terminos convertibiles. Duplex enim est fiducia, alia *spei*, alia *fidei*. Illa bonum promissum ut futurum respicit & exspectat: hæc vero idem ut præsens respicit & adprehendit. Spei fiducia consistit in certa exspectatione boni promissi: fidei autem fiducia consistit in fiduciali adprehensione boni oblati. Refero huc, quod Bonaventura scribit III. sent. dist. 26. artic. 1. quæst. 5. *duplex est certitudo una fidei, altera spei.* 2.) Inde etiam πληροφορία & fidei & spei tribuitur. Hebr. X. 22. *Accedamus cum vero corde* ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Hebr. VI. 11. *Cupimus quemque vestrum studium ostendere ad* πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος. Vere agentibus pœnitentiam & in Christum credentibus promissa est Dei gratia, reconciliatio & peccatorum remissio, hanc promissionem fidei recipimus & promissa bona nobis oblata ut præsentia amplectimur: non speramus nos olim demum in gratiam Dei recipiendos ac peccatorum remissionem futuro tempore accepturos, sed fide statuimus, nos propter Christum mediatorem Deo placere, & peccata propter eundem nobis remitti: hæc igitur est fiducia fidei. Præter hæc bona vere pœnitentibus & in Christum credentibus promissa est liberatio ex cruce, revelatio gloriæ, translatio in ecclesiam triumphantem &c. Hanc promissionem itidem amplectimur, sed promissa illa bona, cum nondum sint præsentia, ideo fiduciali adprehensione ea non possumus adprehendere, sed spe eadem exspectamus, quæ spes cum nitatur Dei verbo, itidem certa & immota est, unde dicitur *non confundere*. Rom. VIII. 5. 3.) Adprobamus igitur & commendamus illam collationem dictorum scripturæ, qua Bellarminus usus fiduciam spei competere demonstrat; agnoscat vero & adprobet ipse quoque collationem illam dictorum scripturæ, qua superius nos usi demonstravimus, etiam fidei competere fiduciam. 4.) Quin imo fiducia illa spei fundamenti loco habet fiduciam illam, quam fidei tribuimus, nec sine ea potest ulla ratione subsistere. Nemo enim liberationem ex cruce & revelationem gloriæ certitudine spei exspectare potest, nisi prius fide statuat, Deum per & propter Christum sibi reconciliatum esse. Quando calamitates testimonium dicunt de ira Dei peccatis nostris debita, præsertim vero, quando exauditio differtur, tunc conscientia ante omnia de hac quæstione solicita est: an Deus sit placatus? nec potest liberatio vel mitigatio calamitatum sperari, nisi prius fides statuat, Deum esse reconciliatum. Inde apostolus Paulus sententiam propheticam: *Justus ex fide vivet*, quæ de conservatione in periculis ex Chaldæorum irruptione metuendis specialiter agit, rectissime ad articulum justificationis adcommodat. Rom. I. 17. Pari ratione peccata nostra nos convincunt, indignos nos esse vita æterna & electorum gloria, non possunt igitur tanta bona certo sperari, nisi prius fide statuamus, Christum sanctissima sua obedientia & satisfactione eadem promeruisse, ac propter ipsam gratis ea donari. 5.) Propter arctissimam illam fidei & spei conjunctionem, vocabula fidei & spei quandoque latius accipiuntur, ut invicem permutentur; negari interim nequit, si proprie velimus loqui, fidem a spe distinctam esse, cum fides sit adprehensio promissionis & beneficii in ea oblati præsentis, spes autem exspectatio boni promissi futuri. 6.) Fiduciam ex fide oriri concedimus, quo vero sensu id accipiendum sit, superius indicatum est. Ex notitia & adsensu divinæ promissionis oritur fiducia, sed ex eo tam non sequitur, fidem non esse fiduciam, quam si quis colligere velit: Deus novit suos; ergo illa Dei notitia non

complectitur favorem & benevolentiam, quinimo verba notitiæ apud Hebræos sæpius connotant adfectum & motum voluntatis, qui notitiam illam consequitur.

§. LXXIX. III.) Ex 2 Cor. X. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Per fidem intellectus ducitur captivus in obsequium Christi, quia cogitur credere, quod non intelligit. Ergo fides ad intellectum, non ad voluntatem, pertinet.* Resp. 1.) Consequentiam negabit ipse Thomas de Aquino, cui multum tribuit Bellarminus; is enim voluntati tribuit, quod cogat intellectum adsentiri illis, quæ in verbo proponuntur, ut superius ipsum dissentientem audivimus. 2.) Dictum apostoli probat, fidem esse in intellectu, ratione notitiæ & adsensus: nequaquam vero negat esse in voluntate ratione fiduciæ: hæc enim sibi invicem non repugnare, superius evicimus. 3.) Non describitur fides justificans a suo *formali*, vel a proprio objecto, sed effectus quidam ac vis spiritualis ejusdem exprimitur, ut ergo effectus rei non tollit formale ipsius, ita quoque captivatio illa intellectus sub obsequium Christi non tollit proprium fidei formale, quod est Christi beneficia in verbo evangelii oblata adprehendere sibique adplicare. 4.) Quinimo ut fides captivat intellectum, ut adsentiatur articulis fidei, licet cum ratione humana pugnare videantur: ita quoque convincit & captivat quasi voluntatem, ut superatis omnibus dubitationibus promissiones evangelicas firma fiducia amplectatur, licet sensui carnis nostræ videantur repugnare.

3.) Cor X. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

§. LXXX. IV.) Ex Eph. III. 12. *In Christo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus. Quodsi habemus accessum ad Deum in confidentia seu fiducia per fidem, certo sequitur, quod fides non sit fiducia, sed fiduciae causa, alioquin sensus hujus loci esset; habemus accessum in confidentia per confidentiam.* Matth. IX. 22. *itidem fiducia a fide distinguitur. Confide, filia, fides tua te salvam fecit, ubi ad fiduciam concipiendam excitatur mulier, quae jam fide fuerat sanata.* 1 Tim. III. 13. *Fiducia in fide acquiri dicitur, quia potest esse fides sine tali fiducia.* Resp. 1.) Argumentum invertimus. Ex fide justificante oritur confidentia ac παῤῥησία. Atqui ex sola notitia historiæ vel etiam solo adsensu absque fiduciali adprehensione Christi non oritur confidentia ac παῤῥησία, ut patet exemplo hypocritarum. Ergo fides justificans non est sola notitia vel solus adsensus absque fiduciali adprehensione Christi. Item dicimur habere fiduciam in fide, quomodo ergo fiducia potest a fide separari? 2.) Apostolus igitur non tam fidem a fiducia, quam unius fidei diversos actus, adprehensionem scilicet promissionis evangelicæ de Christo mediatore, atque inde ortam in animo fiduciam distinguit, ac fiducialem illum ad Deum accessum per fidem esse, ac in fide consistere docet. 3.) Nec improbamus eorum sententiam, qui in his dictis fidem a suis exercitiis, effectis & adjunctis describi statuunt. Fiducia est forma fidei justificantis, quatenus certa animi persuasione promissionem gratiæ amplectitur, eadem nihilominus est effectus fidei, quatenus in exercitiis suis crescit & plenior redditur. Negari enim non potest, fidem justificantem habere suos gradus & incrementa, ac discrimen esse inter fidem modicam, infirmam & languidam; ac inter fidem magnam, robustam ac validam, unde discipuli orant. Luc. XVII. 5. *Domine, adauge nobis fidem.* Quando fides exercetur, nascitur inde confidentia & παῤῥησία ad Deum, sicut apostolus pronunciat. Rom. V. 1. *Nos fide justificatos pacem habere apud Deum.* Declarari hoc potest simili exemplo: *Dat Deus Spiritum sanctum petentibus;* Luc. XI. 13. & tamen nemo recte orat sine Spiritus sancti gratia, quippe qui est *Spiritus gratiae & precum.* Zach. XII. 10. Nimirum hoc intelligendum est de incremento & augmento donorum Spiritus sancti, *quia habenti dabitur, non habenti auferetur id, quod habet.* Matth. XIII. 12. Ita quoque *per fidem habemus accessum in fiducia*, & tamen nulla fides, modo vera sit,

4.) Eph. III. Fides distinguitur a fiducia.

fit, est sine aliqua fiducia, crescit vero & augetur in exercitiis suis. Augustinus serm. XXXVI. de verb. Dom. *Fides fundit orationem, & oratio fusa impetrat fidei firmitatem.* 4.) Simplicissima est eorum interpretatio, sententiam dicti apostolici esse eam, quod ex fide in Christum oriatur fiducia erga Deum patrem, ut in omnibus necessitatibus μετὰ πολλῆς παῤῥησίας eum accedamus. Cum enim fide Christum amplectimur, ac propter eum υἱοθεσίαν nobis contingere statuimus, non amplius fugimus Deum, sed libere & confidenter ipsum tanquam patrem adimus & compellamus, perinde ut apostolus dicit Rom. V. 1. *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,* v. 2. *per quem habemus accessum fide in gratiam illam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Hebr. X. 19. *Habentes fiduciam ad introitum sanctorum in sanguine Christi,* v. 22. *accedamus cum vero corde,* ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ubi fidei isti, per quam accessum habemus ad Deum, manifeste tribuitur παῤῥησία. Hujus loci est observatio illa, quod παῤῥησία proprie significet *libertatem, alacritatem.* Act. IV. 29. *servis tuis loqui* μετὰ πάσης παῤῥησίας.

5.) *Objectum fidei sunt omnia, quae Deus revelavit.* 6.) *Actus fidei est credere, non confidere.*

§. LXXXI. V.) *Objectum fidei sunt omnia, quae Deus revelavit. Fiducia autem tam late non patet.* VI.) *Actus fidei est credere, non confidere. Ergo fides non est fiducia.* Resp. De objecto fidei proprio & adæquato differetur suo loco, hac vice repetimus Cornelii Jansenii episcopi Gandavensis regulam cap. 32. harm. evang. propositam: *Quaedam dicuntur de fide respectu notitiae, quaedam respectu fiduciae.* Fidei respectu notitiæ actus est credere, objectum est omne Dei verbum nobis revelatum. Fidei respectu fiduciæ actus est confidere sive fiducialiter adprehendere: objectum est promissio evangelica de Christo mediatore, sive quod idem est, Christi obedientia & satisfactio in verbo evangelii nobis oblata. Ergo non est, quod Bellarminus dicat, si credere usurpatur in scripturis pro confidere, nos cogi, ut absurdissime atque ineptissime loca plurima explicemus, exempli gratia: Joh. XIV. 10. *Non creditis, quia ego in patre & pater in me est?* Act. VIII. 37. *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Rom. X. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Et postea: *si in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris. Haec & similia* (ait Bellarminus) *non possunt, nisi ineptissime accipi pro fiducia.* Resp. Imo vero ineptissimum est Bellarmini argumentum ex particulari ductum. Non enim sequitur: In quibusdam scripturæ dictis non potest credere per *confidere* explicari, ergo in nullis locum habet ista explicatio, & per consequens fides non est fiducia. Atqui ostendimus superius, scripturam ipsam pluribus in locis credere pro *confidere* interpretari, neque hoc negare potest Bellarminus, qui libr. I. de justif. c. 11. concedit *diffidentiam* Rom. IV. positam pro *incredulitate*, ex vi igitur oppositionis fiducia ponitur pro fide. Neque vero absurdum erit, si quis in allegatis locis fiduciam quoque connotari dixerit. Christus non solum simplici adsensu vult hoc credi, quod Pater sit in ipso & ipse in Patre, sed & fiducia cordis per ipsum tanquam mediatorem ad Patrem accedere nos jubet, unde initio capitis dicit: *creditis in Deum, etiam in me creditis*, quod Stapletonus sic παραφράζει. *In Deum fiduciam habete & in me.* Eunuchus non solum credidit Jesum Christum esse Dei Filium, sed in ipsum tanquam mediatorem promissum & exhibitum omnem cordis fiduciam collocavit. Nec historica illa fides, qua credimus, Christum esse a mortuis suscitatum, ad justitiam & salutem efficax est, cum & dæmones hoc credant, sed requiritur, ut credamus, Christum *propter peccata nostra mortuum, & propter justificationem nostram resurrexisse.* Rom. IV. 25.

An homo possit esse certus de Dei gratia?

§. LXXXII. Ad hunc locum pertinet quæstio de certitudine justitiæ & gratiæ: *an scilicet miser peccator, quando in vera ac seria poenitentia, fide ex verbo evangelii per Spiritum sanctum concepta, adprehendit promis-*

missionem gratiae, & in ea simul Christi satisfactionem ac meritum, possit ac debeat certa fiducia statuere, sibi remissa esse peccata, ac se esse apud Deum in gratia? Adfirmant ecclesiæ nostræ, Pontificii negant. Observa autem, 1.) non esse quæstionem de fide hæreticorum, qui falsas & blasphemas opiniones, pugnantes cum fundamento, amplectuntur & tuentur. Patres concilii Trident. sess. VI. c. 9. profitentur, se excludere *inanem haereticorum fiduciam*, & addunt: *Quamvis necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa fuisse unquam peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum; nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos & schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, & magna contra ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec & ab omni pietate remota fiducia.* At non est hoc loco quæstio de fiducia, quam falso jactant hæretici, qui cum ipsum fidei fundamentum, quantum in ipsis est, evertant, quomodo fides eorum vera & justificans esse possit? Hæreses sunt *opera carnis*, Gal. V. 20. *qui vero talia agunt, regnum Dei non consequentur*, v. 21. hæreticis igitur nec fiducia gratiæ, nec dubitatio, sed certissima adseveratio iræ divinæ, & certissimum æternæ damnationis periculum convenit. 2.) Non esse quæstionem de falsa fidei persuasione & jactantia in illis, qui in peccatis secure pergunt, vera pœnitentia destituuntur, & Epicuræam opinionem de impunitate scelerum induunt. Talem quandam *inanem & ab omni pietate remotam fiduciam* ab hæreticis prædicari concilium Trident. adserit; quid Libertini, Antinomi, Anabaptistæ atque alii prædicent, nos non attingit. Sin hæreticorum nomine concilium etiam nos complectitur, insigni nos injuria adficit, & contra publica doctrinæ nostræ testimonia sine fronte nobis tribuit, quod inanem illam ab omni pietate remotam fiduciam magna contra ecclesiam catholicam contentione prædicemus. 3.) Non esse quæstionem de robore vel infirmitate fidei, an in cordibus renatorum firma & omnis dubitationis expers fiducia perpetuo regnet? Fatemur ipsi, quod vera fides in hac carnis infirmitate non sit perfecta, sed sæpius tentetur multis ac variis dubitationibus, ita, ut in tentationibus quandoque valde languida sit fiducia; addimus autem dubitationem illam ex imbecillitate carnis ortam fide superandam esse, ac perpetuo cum ea luctandum. Quamvis igitur in tentationibus non possimus firma & ab omni dubitatione remota fiducia promissionem gratiæ amplecti, debemus tamen dubitationi reluctari & perpetuo ingemiscere. *Credo Domine, sed tu opem fer incredulitati meae.* Marc. IX. 24. Fatemur, carnem, quæ in renatis etiam contra Spiritum concupiscit, non solum ad dubitationem, sed etiam ad desperationem propendere; sed addimus, dubitationem illam non esse docendam, fovendam, & humilitatis nomine venditandam. Pontificii contra docent, nec posse nec debere credentes certa fiducia statuere, propter Christum sibi remissa esse peccata. Costerus in enchir. cap. de fide. p. 209. *Fidei certitudinem citra omnem dubitationem voluit Christus in nobis esse.* Bellarminus libr. III. de justif. cap. . sic format statum: *Utrum debeat aut possit aliquis sine speciali revelatione esse certus, certitudine fidei divinae, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata?* 4.) Non esse quæstionem, an credentes in vero Dei timore perpetuo vivere debeant? Nequaquam enim docemus, fiducia misericordiæ divinæ ad alendam & confirmandam carnis securitatem & petulantiam abutendum esse, sed expresse dicimus, carnem freno timoris Domini coercendam & reprimendam esse. Neque vero hæc invicem pugnant, quod renati de gratia Dei certi sint, & tamen Deum sincero corde timere debeant; quia timor Dei non opponitur filiali fiduciæ Spiritus, sed effrenatæ securitati carnis, inde vere pii in scripturis sacris & Deo confidere, & Deum timere dicuntur. 5.) Non esse quæstionem, an fiduciæ illius fundamentum sit in nostris qualitatibus ac virtutibus? Item an operum justitia firmam gratiæ fiduciam in nobis pariat? quod itidem negamus. Neque enim propter nostra opera vel propter nostram dignitatem Deo nos caros & acceptos esse statue re debemus,

mus, sed propter Christum mediatorem, qui est nostra justitia, qui est dilectus ille, in quo dilecti sumus. 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum*, dicit apostolus, *sed in hoc non sum justificatus.* Qui evangelium convertunt in legem, atque hominem suarum dispositionum & operum merito justificari contendunt, non possunt aliud doctrina sua efficere, quam perpetuas dubitationes, cum nostrorum operum justitia sit imperfecta & immunda, nec possit severum justitiæ divinæ examen ferre: tota autem quæstio est de justitia fidei, quæ in peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione consistit, an illa firmam gratiæ divinæ fiduciam in cordibus credentium parere possit ac debeat? quod adfirmamus. 6.) Non esse proprie hoc loco quæstionem de certitudine electionis & perseverantiæ. Quamvis enim hæ quæstiones magna vicinitate sint conjunctæ, tamen perspicuitatis & melioris intelligentiæ causa distincte de illis differendum esse judicamus. 7.) Non esse quæstionem de fide *historica*, quam solam agnoscunt Pontificii, sed de speciali illa fide, quæ promissionem gratiæ & in ea Christum mediatorem amplectitur, ejusque beneficia sibi adplicat; ex quo intelligitur, pleraque adversariorum argumenta scopum quæstionis non attingere, cum de sola fide *historica* (quam catholicam & divinam adpellent) agant. Origo hujus opinionis pontificiæ est depravatio doctrinæ de justificatione per solam in Christum fidem, quod confitetur ipse Bartscius Domin. 2. adv. p. 96. Quæstio tota pendet ex illa altera de fidei vel solius vel non solius justificatione. Nam si sola fides justificat, idque eo ipso ac solo, quod merita passionis Christi sibi fide sua quisque tanquam propria adprehendit & adplicat, quicunque eam habet, nihil profecto habet, quod amplius metuat in illo judicio.

§. LXXXIII. Bellarminus de incertitudine justitiæ disputaturus libr. III. de justif. cap. 2 præmissa distinctione certitudinis *in unam, quae est objecti, id est, rei cognitae vel creditae, & alteram, quae est subjecti, id est, hominis cognoscentis vel credentis*: ac propositis gradibus *certitudinis tam evidentis, quam obscurae* (ubi ea, quæ propter divinam auctoritatem certo creduntur, refert ad certitudinem obscuram *catachresi* satis dura) tandem descendit ad statum controversiæ, ubi primo adcusat Chemnitium, quod eum non recte formarit. *Statum quaestionis* (inquit) *ita proponit Chemnitius; utrum peccator in seria pœnitentia ex fide vera in Christum possit certa fiducia statuere, sibi remissa esse peccata? Sed non istum esse quaestionis nostrae statum, ex duobus intelligi poterit, tum quia quaestio esset conditionalis, non absoluta; tum quia non de fiduciae, sed de fidei certitudine disputamus. Quod esset quaestio conditionalis, patet inde, quia illud in seria pœnitentia idem significat, ac si diceretur: si seria sit pœnitentia. Quodsi quaestio ita conditionaliter proponatur; An possit homo certo statuere, sibi remissa esse peccata, si constet eum seriam egisse vel agere pœnitentiam? nemo catholicorum erit, qui non respondeat, posse atque debere. Non igitur conditionaliter, sed absolute controversia hoc tempore inter catholicos atque haereticos de certitudine justitiae magna contentione tractatur. Deinde si de fiducia tantum ageretur, ut Chemnitius proponit, non esset etiam opus longa disputatione. Neque enim catholici negant, certam fiduciam in Deo collocandam esse, & certo confidendum post actam legitime pœnitentiam & sacramentum baptismi vel absolutionis rite perceptum remissa esse peccata. Sed adversarii fidem cum fiducia, ita certitudinem fidei cum certitudine fiduciae confundunt.* Resp. ad prius. Verba illa: *in seria pœnitentia*, non proponunt conditionem aliquam meritoriam, sed continent descriptionem subjecti. Nequaquam adfirmamus, quemlibet hominem sine discrimine certum esse posse de salute sua, siquidem Epicurais contemtoribus omni pœnitentia destitutis tantum abest, ut certitudinem gratiæ persuasam esse velimus, ut potius certam damnationem illis exspectandam esse doceamus; tota autem quæstio est, de homine peccatore veram & seriam pœnitentiam agente ac fide in Christum mediatorem se erigente, an is certus esse possit ac debeat, propter Christum sibi remitti peccata, & se esse apud Deum in gratia? quod adfirmamus nos, Pontificii negant. Quod Bellarminus addit: *Si quae-*

quaestio conditionaliter proponatur: An possit homo certo statuere sibi remissa esse peccata, si constet eum seriam egisse vel agere poenitentiam, tunc neminem catholicorum fore, qui non respondeat, posse ac debere; in eo ludit ambiguitate phraseos. Per seriam enim poenitentiam intelligit contritionem, quae sit si non *intensive & extensive*, tamen *adpreciative* summa; confessionem, quae sit perfecta omnium delictorum mortalium coram sacerdote enumeratio, & satisfactionem, quae certis operibus peccata & peccatorum poenas compenset, proinde cum nemo certus esse possit, an sufficienter sit contritus, an plene delicta sua sit confessus, an dignam & sufficientem praestiterit satisfactionem, ideo etiam neminem posse esse certum, an seriam egerit poenitentiam? Nos autem per veram ac seriam poenitentiam intelligimus serium de admissis peccatis dolorem & veram in Christum fidem, quam sequuntur novae obedientiae fructus, de qua poenitentia vere pios certos esse posse negari nequit. Ad *posterius* dicimus, fidem & fiduciam non eo modo differre, ut de fide non possit praedicari fiducia, ostendimus enim paulo ante immotis argumentis, fidem non solum esse notitiam & adsensum; sed etiam fiduciam promissionibus evangelicis de Christo mediatore innitentem. Tandem igitur Bellarminus sic formae statum quaestionis: *Utrum debeat aut possit aliquis certitudine fidei, cui nullo modo possit subesse falsum, sine speciali revelatione certus esse, sibi remissa esse peccata?* ad quam respondet cap. 3. negative, repudiata non solum nostra, sed etiam enchiridii Colonienſis & Ambrosii Catharini hac de re sententia. Ex quibus omnibus patet verus quaestionis status; restat, ut argumenta nostra in medium adducamus.

Argumenta nostrae sententiae. 1.) Ab immota divinarum promissionum firmitate.

§. LXXXIV. *Primam* argumentorum classem suppeditat nobis *divinarum promissionum immota firmitas.* In evangelio promisit Deus, quod velit omnes illos, qui agunt poenitentiam & in Christum credunt, in gratiam recipere, & peccata eis remittere, quo pertinent omnes illae, quotquot in scripturis exstant, evangelicae promissiones, quarum nucleus proponitur Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Inde sic colligimus: si Deus promittens credentibus suam gratiam & peccatorum remissionem est fidelis & verax, ut mentiri non possit, consequens est, promissionibus ejus immota fide adhaerendum esse; sed verum prius: ergo & posterius. Ut autem argumentum hoc sit evidentius, attendenda sunt membra sequentia I.) *Finis promissionum.* Ideo Deus ex arcana majestatis suae sede prodiit, ac misericordissimam suam de remissione peccatorum gratuita voluntatem nobis patefecit, ut de ipsius voluntate essemus certi. Promissio & fides sunt correlata: Promissio est fundamentum ac basis fidei; data igitur promissione fides certo eidem inniti potest ac debet. II.) *Discrimen legalium & evangelicarum promissionum.* Legales promissiones dubias & incertas relinquunt conscientias, quia additam habent conditionem perfectae obedientiae, quae cum in nobis non inveniatur, ideo promissiones legis fiunt nobis incertae, imo irritae. Sed evangelicae promissiones sunt gratuitae, nec nostris meritis vel operibus, sed soli Christo confidere docent, ideo etiam certa cordis fiducia eis inniti possumus. Rom. IV. 16. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio,* ubi & certitudo promissionis evangelicae, & certitudo fidei conjunguntur. III.) *Dei veracitas.* Ut Deus verax est in comminationibus, ita etiam in promissionibus. Rom. III. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* v. 4. *Absit, sit autem Deus verax & omnis homo mendax.* 1 Tim. II. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest.* 1 Joh. V. 10. *Qui non credit Deo, mendacem facit eum.* Ut ergo extra Christum peccatoribus impoenitentibus & incredulis certa damnatio imminet vi divinae comminationis: Joh. III. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum;* ita in Christo certa salus proposita est poenitentibus & credentibus vi divinae promissionis: *Qui credit in Filium, habet vitam aeter-*

aeternam. IV.) *Proprietas divinarum promissionum.* Diabolicarum promissionum proprium est, quod sint dubiæ, incertæ, ambiguæ & mendaces, ut testantur oracula Apollinis Delphici &c. Sed divinarum promissionum hoc proprium est, quod sint certæ, indubitatæ, immotæ & veraces. V.) *Ὁμογένεια promissionum cum verbo revelato.* Ut de toto verbo universaliter vera est immota certitudo, ita etiam de hac parte verbi divini, quæ continet promissiones evangelicas. Matth. V. 18. *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Luc. XXI. 33. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* VI.) *Exempla certitudinis.* Nullum potest proferri exemplum, quod Deus promissiones suas non servaverit, exempla autem servatarum promissionum infinita exstant, quinimo præter & contra naturæ ordinem sæpius egit Deus, ut promissiones suas impleret. Exempla isthæc præcedentium sunt confirmatio sequentium. VII.) *Similia*, quibus certitudo promissionum declaratur. Conferuntur enim cum *petra* firmissima, in qua exstructa domus contra omnes ventorum ac tempestatum turbines stare potest immota. Matth. VII. 25. Cum *terra firma*, cui anchora tuto infigi potest. Hebr. VI. 19. Cum *pacto*, cujus finis est, ut sit testimonium certitudinis. Jer. XXXI. 33. *Hoc erit pactum meum, quod feriam domui Israel, ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*, v. 34. *& propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* Cum *desponsatione*, ut enim sponsalia sunt mentio & certa promissio futurarum nuptiarum; ita Deus despondet sibi ecclesiam & omnes vere credentes. Ose. II. 19. VIII.) *Discrimen humanarum ac divinarum promissionum.* Promissiones humanæ sunt incertæ ac lubricæ, quia omnis homo mendax, sed Deus est ipsa veritas. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, aut ut filius hominis, ut pœniteat eum: ipse dixit & non faciet, locutus est & non stabilit illud?* Num. XXIII. 19. Hæc omnia evidenter probant, evangelicis illis promissionibus firma fide adhærendum esse. Ceterum quamvis in hac vita semper deprehendatur carnis infirmitas, tamen, monente Chemnitio, doctrina de certitudine gratiæ per eam non labefactatur, cum duæ causæ sint, propter quas concessa illa fidei infirmitate ex corrupta nostra carne orta, nihilominus doctrina de fiducia certa & firma proponatur, *primo* ut sciamus, quicquid sentitur dubitationum, id non esse de natura fidei, sed pertinere ad corruptam carnem; *deinde* ne indulgeamus illis dubitationibus, nec jactemus eas, quasi virtutes fidei, sed cum illis luctemur, & fidem augeri quotidie petamus. Excipit Bellarminus lib. III. de justif. c. 11. *promissiones evangelii non esse gratuitas, sed habere annexam conditionem nostrorum operum ac meritorum.* At suo loco ostendimus contrarium. Si dicant, *non posse nos promissionibus divinis certo credere propter naturae nostrae infirmitatem.* Resp. Certitudinem illam non fundari in nostris viribus, sed in Dei veritate & promissionum divinarum constantia. Ut ergo possumus credere non ex nostris viribus, sed per efficacem Spiritus sancti operationem, qui per auditum evangelii & usum sacramentorum fidem in nobis accendit: ita etiam de gratia Dei & remissione peccatorum per Spiritus sancti efficaciam certi esse possumus. Ex his fundamentis Chemnitius in examine concilii recte scripserat, dicta illa apostolica: *Justitia Dei in omnes & super omnes, qui credunt; si ex lege est haereditas, exinanita est fides & abolita est promissio; Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio, &c.* non verba, sed fulmina esse contra Tridentinum decretum, id vero male habet Bellarminus; ideo libr. III. de justif. c. 9. testimonio quinto regerit: *1.) Apostolum non loqui de fide, qua quis credit, sibi remissa esse peccata, sed qua credimus, Christum ex mortuis resurrexisse: 2.) fidem esse quandam conditionem, ac proinde evangelicas promissiones itidem esse conditionales: 3.) neminem posse esse certum, se habere fidem illam, quae requiritur in justificatione, cum hoc in nulla parte verbi Dei contineatur.* Sed inania ista figmenta suo loco partim discussimus, partim adhuc discutiemus.

§. LXXXV. *Alteram* argumentorum classem constituit *juramenti divini stabilitas.* Deus non solum promittit vere credentibus suam gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam, sed etiam juramento has promissiones suas confirmat, ne ulla de his superstes relinquatur dubitatio. Ezech. XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Joh. V. 24. *Amen Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in condemnationem non veniet, sed a morte transivit in vitam.* Joh. VIII. 51. *Amen Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Inde concludimus cum epist. ad Hebr. VI. 16. *Homines per majorem jurant, & omnis controversiae eorum finis est juramentum.* v. 17. *In quo Deus abundantius volens ostendere heredibus promissionis* (τὸ ἀμετάθετον) *firmitatem & immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum.* v. 18. *Ut per duas res immobiles, in quibus fieri non posset, ut mentiretur Deus, validam consolationem haberemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Vbi adcurate observandum, quod finis juramenti a Deo adhibiti constituatur iste, ut firmam consolationem habere possemus. Ut ergo consilium Dei firmum & juramentum immobile: ita quoque nostra consolatio ex fide orta debet esse firma, certa & immota. Tertullianus libr. de pœnitent. *O beatos nos, quorum causa jurat Deus, o miserrimos, si nec Deo juranti credimus.* Hieronymus tom. II. epist. 46. *Ideirco jurat Deus, ut si non credimus Deo promittenti, credamus saltem pro salute nostra juranti.* Augustinus libr. XVI. de civit. Dei cap. 32. circa finem. *Quid est Dei vivi veracisque juratio, nisi promissionis confirmatio & infidelium quaedam increpatio?* In Psalm. LXXXVIII. *Hoc dixit Deus, hoc promisit, si parum est, hoc juravit. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, credamus & invocemus.* Recte ergo concludit Lutherus in cap. XXII. Gen. *Deum per juramentum a fide pontificiam & carnalem dubitationem avertere. Qui non credit Deo, mendacem facit eum;* 1 Joh. V. 10. at non solum mendacem, sed etiam perjurum.

2.) *A juramenti divini stabilitate.*

§. LXXXVI. *Tertiam* argumentorum classem suppeditat nobis *sacramentorum utilitas.* Deus non solum promisit in verbo suam gratiam, sed & promissioni huic addidit sacramenta, ut sint sigilla promissionis gratiæ in verbo evangelii oblatæ, ac media gignendæ, alendæ & confirmandæ fidei, qua unusquisque certo statuat, ad se in individuo Christi beneficia pertinere. Inde sacramentum circumcisionis dicitur *signaculum justitiae fidei;* Rom. IV. 11. eo quod circumcisi vera fide futurum Messiam exspectantes de justitia & gratia deberent esse certi. In nov. test. baptismus & cœna dominica de speciali adplicatione gratiæ & beneficiorum Christi nos confirmant. Baptismus est ἐπερώτημα *bonae conscientiae* εἰς θεόν. 1 Petr. III. 21. Quando in vet. test. os Domini consulebant, id dicebatur ἐπερωτᾶν, ita quoque in baptismo de benevolo Dei erga nos adfectu certi reddimur. Gal. III. 27. *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis,* In sacra cœna accipimus certissimum pignus gratiæ divinæ & remissionis peccatorum nostrorum, quia illud ipsum corpus manducamus, quod pro nobis in mortem traditum, illum ipsum sanguinem bibimus, qui est in ara crucis pro peccatis nostris effusus. Certi igitur esse possumus, ad nos etiam bona illa pertinere, quæ Christus traditione sui corporis & effusione sui sanguinis in ara crucis promeruit. Vid. ench. consol. tent. 13. & seqq. Huc pertinet privata absolutio, in qua pœnitentibus in specie adnunciatur peccatorum remissio, de qua dubitare nec debent nec possunt, qui fidem habent verbis Christi Matth. XVIII. 18. *Quaecunque solveritis in terra, soluta erunt in cœlo.* Joh. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, illis remissa erunt.* Ideo Gerson recte disputat, *absolutionem non in optativo, sed in indicativo modo pronunciandam esse.*

3.) *A sacramentorum utilitate.*

Sic

Sic Christus Matth. IX. 2. ad paralytieum dicit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, nimirum quia de certitudine gratiæ ipsum vult confirmare. Luc. VII. 48. ad peccatricem dicit: *Remissa tibi sunt peccata tua*. v. 50. *Fides tua te salvam fecit*. Bellarminus libr. III. de justif. cap. 11. resp. ad 4. excipit, *falso hoc adsumi, quod sacramenta instituta sint praecipue ad fidem sustentandam & nos certos de voluntate Dei reddendos*: at contrarium demonstrabimus suo loco. Quid clarius pronunciato illo apostolico: circumcisio fuit σφραγὶς, *signaculum justitiae fidei?* Deinde addit, *sacramenta esse quidem non solum causas, sed & signa infallibilia justificationis ex parte sua, interim tamen effectum eorum impediri per dispositionem suscipientis, cum ad salutarem eorum usum requiratur fides & pœnitentia*. Resp. sane per actualem impœnitentiam & incredulitatem impeditur salutaris fructus sacramentorum, sed vere pœnitentibus & credentibus hoc nequit esse fraudi, quo minus illis sacramenta sint promissionum evangelicarum sigilla certissima. *At*, inquit Bellarminus, *non potest haberi certitudo fidei de intentione ministri, sine qua non perficitur sacramentum*, (inde Tannerus in colloq. Ratisb. edit. Monac. f. 140. dicebat, *non tantum evidenter non esse verum, sed etiam evidenter falsum, quod cuiquam certo & evidenter atque infallibiliter constare debeat, an recte & vere baptizatus sit, nec ne, cum de intentione ministri nemo quicquam certi statuere possit.*) *neque de remotione omnis impedimenti, cum fieri possit, ut aliquis non sit sibi conscius obicis, & tamen re ipsa obicem ponat, cum affectum gerat ad peccatum aliquod lethale, quod esse peccatum ignoret*. Resp. hæc non sunt petita ex fontibus Israelis, sed ex lacunis Scholasticorum. Intentio ministri nec addit nec demit quicquam integritati vel efficaciæ sacramenti, quippe quæ non pendet ex intentione administrantis, sed ex intentione divina, quid enim ibi faciat minister malus, ubi bonus est dominus? Quod ad nostram dispositionem attinet, nunquam ea ad illum perfectionis gradum adsurgit, ut digni simus beneficiis in sacramento oblatis, interim tamen Deus ex immensa misericordia bonorum suorum particeps facit eos, qui de admissis peccatis serio dolent, & fide in Christum mediatorem sese erigunt.

§. LXXXVII. *Quartam* argumentorum classem præbet *Spiritus Sancti in cordibus nostris testificantis & promissionem obsignantis veritas*. Deus non solum exterius in verbo testatur de sua gratia credentibus in Christum promissa, sed etiam donat illis Spiritum sanctum, *qui testimonium reddit spiritui ipsorum, quod sint filii Dei*, sicque interius eos confirmat de gratia Dei, de beneficiis Christi, ac de speciali eorum adplicatione. Rom. VIII. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. v. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater*. v. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei*. v. 17. *Si autem filii, utique & haeredes*. Gal. IV. 6. *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater*. 1 Cor. II. 12. *Nos accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sint nobis*. 2 Cor. I. 21. *Qui confirmat nos vobiscum* (βεβαιῶν ἡμᾶς) *in Christum, & qui unxit nos Deus*, v. 22. *qui & signavit nos*, (σφραγισάμενος) *& dedit arrhabona Spiritus in cordibus vestris*. Eph. I. 13. *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*, v. 14. *qui est arrhabon haereditatis nostrae*. Eph. IV. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum, quo signati estis in diem redemtionis*. Ex his larga seges argumentorum nobis nascitur. Vere credentes sunt templa & habitacula Spiritus sancti, atqui is est Spiritus adoptionis filiorum, utique ergo testimonium illis dat, quod sint filii Dei. Lutherus in cap. IV. Gal. *Filius Dei Christus certissimus est se placere Deo. Ergo & nostra corda certa esse debent, quod placeamus Deo, quia eundem Spiritum, in quo Christus certus est, & nos habemus, & certi esse debemus propter Christum*,

4.) A Spiritus sancti in cordibus testificantis veritate.

sium, qui certus est, se esse in gratia. Ibidem: *Christus placet Deo, ergo & nos, qui haeremus in Christo, placemus Deo propter Christum. Etsi peccatum haereat in carne, tamen gratia uberior est & potentior peccato.* Spiritus ille credentibus datus est Spiritus υἱοθεσίας, non autem spiritus servitutis, expellit igitur timorem servilem, incertitudinem & dubitationem, contra vero fiduciam & certitudinem in cordibus generat ille Spiritus in nobis, & nos per illum clamamus: Abba Pater! hic clamor non oritur ex dubitatione, sed ex plena fiducia. Clamare enim non est cum dubitatione & meticulose aliquid proferre, sed clara voce testari, se agnoscere, Deum Patrem esse dilectissimum, & tali fiducia eum invocare. Spiritus ille testatur, συμμαρτυρεῖ, testimonium reddit spiritui nostro, quod simus Dei filii, ergo non per moralem quandam certitudinem, non per conjecturalem quandam opinionem, sed ex ipsius Spiritus sancti testimonio credentes sciunt, se esse Dei filios. 1 Joh. V. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Ad illustrandam illam certitudinem, quam Spiritus sanctus in cordibus operatur, adhibentur similitudines *obsignationis, pignoris & arrhabonis.* Credentes dicuntur Spiritu sancto σφραγισθέντες, σφραγίζειν significat sigillo aliquid confirmare. Est autem sigillorum & obsignationis usus, non ut incertos & dubios faciant homines, sed ut ostendant fidem & certitudinem eorum, quibus adhibentur. *Quis usus in sigillo legitimus*, (scribit Wesselus Groningensis libr. de incarn. & pass. cap. Quomodo operamur cibum, qui non perit) *nisi credere? propterea sigilla testimoniorum loco adhibentur, ut eis tanquam testimonio fideli fidatur, ita quoque, qui accipit hoc testimonium Spiritus, signavit, quod Deus verax sit,* Joh. III. 33. Certum est, promissiones evangelicas editas esse per Spiritum sanctum, ut igitur credentes certi sint, ad se quoque pertinere promissiones illas, ideo idem ille Spiritus, per quem prius editae sunt, datur in corda eorum, ac promissiones divinas interius obsignat. Pignus dari solet creditori ad confirmationem solutionis, ita Deus iniit nobiscum fœdus, quod velit nos haeredes vitae aeternae scribere; sed cum in hac vita laboremus adhuc sub cruce, & luctemur cum infirmitate carnis, ideo pignoris loco dat Spiritum sanctum, qui certos nos faciat de impletione promissionis. Dulcissima cumprimis est *arrhae* adpellatio. Quemadmodum sponsus, qui fidem conjugalem dedit sponsae, arrham ei donat, quae est pignus futurarum nuptiarum: ita Deus se nobiscum *desponsavit;* Hos. II. 19. sed *nondum adparuerunt nuptiae agni* Apoc. XIX. 7. Deus ergo dat nobis *arrham* nobilissimam, scilicet Spiritum sanctum, ut corda nostra confirmet, fore, ut ad nuptias agni olim vocemur. Quid ad hanc lucem Bellarminus? Argumentum integrum non attingit, sed locum unum itemque alterum de interno Spiritus sancti testimonio examinat. Dictum apostolicum Rom. VIII. 16. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei*, enervare conatur hoc modo. *Duae* (inquit) *sunt hujus loci expositiones, ut etiam duae lectiones. Una lectio est latini codicis, quae habet, Spiritum sanctum testimonium reddere spiritui nostro: altera est codicis graeci, quae habet, Spiritum sanctum simul testari cum spiritu nostro,* αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν. Juxta priorem respondet, *Spiritum sanctum attestari spiritui nostro, quod simus filii Dei, sed hoc testimonium non esse per verbum aliquod expressum, id est, per revelationem, sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis internae, quae non gignit certitudinem nisi conjecturalem.* Resp. Eone absurditatis prolabetur Bellarminus, ut statuat hoc Spiritus sancti testimonium esse extra verbum Dei, ac gignere tantum conjecturam quandam dubiam & incertam? Illud ipsum, quod Spiritus sanctus exterius testatur in verbo, idem etiam obsignat hoc suo testimonio interius in corde. Quicquid Spiritus sanctus profert & testatur, illud est Dei verbum, cum Spiritus sanctus sit verus Deus. Jam vero internum illud testimonium est Spiritus sancti alloquium & testimonium, utique ergo est Dei verbum. Nec conjecturalem tantum, sed immotam certitudinem illud testimonium gignit, quia Spiritus sanctus est *Spiritus veritatis*, Joh. XV. 26.

Juxta

Iuxta posteriorem lectionem respondet Bellarminus, *testimonium spiritus nihil esse aliud, nisi ipsam orationem, qua dicimus: Abba Pater, atque hanc interpretationem dicit esse graecorum patrum.* Resp. imo vero patres graeci Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus per illud testimonium Spiritus diserte intelligunt ipsum Spiritum sanctum credentibus donatum, & internam illam gratiae per eundem obsignationem, cujus consequens demum est illa fiducialis oratio. Utrumque enim tribuit Apostolus Spiritui sancto, quod & *testimonium reddat spiritui nostro de υἱοθεσία, & interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ita ut per illum clamemus: Abba Pater;* haec ergo distincta Spiritus sancti opera non sunt confundenda. Sed demus ex hypothesi, per testimonium Spiritus intelligendam esse orationem illam, qua clamamus: Abba Pater! quid inde lucratur Bellarminus? Certe illa oratio praesupponit internam gratiae divinae obsignationem per Spiritum sanctum. 1 Cor. XII. 3. *Nemo potest Iesum vocare Dominum nisi in Spiritu sancto.* Duplex ergo est Spiritus sancti testimonium, quod in nobis operatur, *internum & externum. Internum*, quando interius suo testimonio nos confirmat, quod simus in gratia Dei, ex quo pax & tranquillitas conscientiae oritur, jubilus & exultatio in Deo: *externum* est, quando sequuntur fructus hujus interni testimonii, quales sunt, ardens oratio, amor verbi, studium pietatis, patientia in cruce, &c. externum hoc testimonium non tollit, sed praesupponit internum. *At*, inquit Bellarminus, *quod fit Spiritus sanctus, qui nos movet, cum dicimus: Abba Pater! non constat nobis ex fide divina: sed ex conjecturis tantum, quae fallaces esse possunt, multi enim peccatores & haeretici dicunt: Pater noster, qui es in caelis.* Resp. hypocrisis & perversitas aliorum vere piis & in Christum credentibus nequit esse fraudi. Qui aguntur Spiritu Dei, illi certe impulsum istum sentiunt. Qui vere in Christum credunt, illi se credere sciunt. Qui Spiritu sancto obsignati sunt, illi certe summum hoc donum ac bonum agnoscunt. Hypocritae imitantur etiam externa opera piorum, absit tamen, ut propter ea dicamus, vere pios & in Christum credentes nescire, an opera ipsorum sint hypocritica vel in Deo facta. Forte jubebit nos tandem Bellarminus dubitare, num simus homines, cum spectra interdum specie humana adpareant. *Certum quidem est*, (scribit Chemnitius in exam. p. I. pag. 307.) *non omnes humani animi cogitationes & impetus esse motus & impulsus Spiritus sancti; sed quia verbum evangelii est ministerium Spiritus;* 2 Cor. III. 6. *& ex auditu fidei Spiritus accipitur;* Gal. III. 2. *testificationem igitur in mente credentium ex fide secundum promissionem evangelii conceptam certum est esse obsignationem Spiritus sancti, sicut Paulus inquit: Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto:* Eph. I. 13. Ad locum apostoli 1 Cor. II. 12. *Nos non accepimus spiritum mundi, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis:* respondet, *non agi in eo de notitia beneficiorum Dei, quae in particulari ad hunc aut illum pertinent, sed de notitia beneficiorum Dei, quae Deus praeparavit electis suis, qualia sunt imprimis haereditas & gloria regni caelorum.* Resp. Credentes in Christum non solum in genere sciunt praeparatam esse electis vitae aeternae haereditatem, sed etiam in specie sciunt, sibi eam esse praeparatam; illud norunt ex revelatione verbi, hoc vero ex interno Spiritus sancti testimonio, sicut testantur exempla vere credentium, utpote Jobi: *Scio, quod redemtor meus vivit; &c.* apostoli Pauli, *Scio, cui credidi &c.* Johannis, *Particeps in tribulatione & regno &c. Vos ipsos tentate*, scribit apostolus 2 Cor. XIII. 5. *an fitis in fide, ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Utique ergo vere credentes scire possunt, an sint in fide, & an Christus per fidem in ipsis habitet. Bellarminus regerit, *Apostolum loqui de praesentia Christi apud Corinthios, non secundum gratiam gratum facientem, sed secundum potentiam, providentiam, miracula, quae apud illos faciebat. Cum enim eos in toto hoc capite & praecedentibus reprehendat,*

quomodo consequens esset, ut adfirmare vellet omnes illos eo tempore justos fuisse? Resp. Christus erat apud Corinthios non solum præsentia potentiæ, sed etiam gratiæ, ac *per fidem in* quorundam *cordibus vere habitabat.* Eph. III. 17. Illos igitur admonet apostolus, ut se ipsos probent, an sint in fide. Quamvis enim passim eos reprehendat, tamen propter pios in ipsorum cœtu adhuc reliquos, & propter conversionem eorum, qui deliquerant, honorifica elogia illis tribuit, ut ex utraque epistola liquido adparet. Quod est proprium reproborum, id a veris Christianis quoque longissime abesse debet. Non cognoscere, quod sis in fide, & quod Christus in te sit, est reproborum proprium, teste apostolo. Ergo.

5.) Ab exauditionis promissæ infallibilitate.

§. LXXXVIII. *Quintum* argumentum constituit *exauditionis promissae infallibilitas.* Promisit Christus, interposito etiam juramento, *quicquid a Patre in nomine sui petimus, illud datum nobis iri*, Matth. XVIII. 19. XXI. 22. Joh. XVI. 23. Jam verò in oratione dominica ex ipsius Christi institutione petimus remissionem peccatorum; Matth. VI. 12. utique ergò de ea certi esse possumus. Psal. XXVII. 8. *Cor meum proponit tibi verbum tuum.* Excipit Bellarminus Lib. I. de justif. cap. 11. §. illud Marci, *intelligendas esse promissiones exauditionis cum illa conditione, si benè petamus, & si expediat illud nobis dari.* Resp. bené est, conditio hæc additur in ipsis scripturis sacris. 1 Joh. V. 14. *Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ipsius, audit nos,* v. 15. *Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones, quas postulavimus ab eo.* Jac. IV. 3. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Sed hæ conditiones non labefactant certitudinem exauditionis in animis fidelium, sciunt enim se in vera pœnitentiâ & fide petere, ideò etiam non *haesitant*, non *fluctuant* dubitationibus, Marc. XI. 24. Jac. I. 6. sed de exauditione certi sunt, in petitione corporalium divinæ voluntati sese subjicientes, ac sese semper exaudiri credentes, si non ad voluntatem, tamen ad salutem. Qui de paterna Dei voluntate adhuc dubitat, quomodo in Spiritu & ex fide vel initium vel finem dominicæ orationis pronunciare poterit? Quomodo is Deum adpellabit Patrem, qui dubitat, an sit apud eum in gratia? quomodo adjicit amen, qui adhuc dubitat, an sit exauditus, cum vox illa non solùm sit optantis, sed etiam confirmantis? In quæstione de perseverantia notandum, quod Rom. VIII. 38. inter ea, *quae non possunt nos separare a dilectione Dei,* connumerentur etiam futura.

6.) A veræ fidei proprietate.

§. LXXXIX. *Sextam* argumentorum classem suppeditat *verae fidei proprietas.* Fides enim est ὑπόστασις, πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία, θάρσος, ut ostendimus superiùs, at hæc omnia dubitationi sunt opposita. Rom. VIII. 38. *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos separare a dilectione Dei, quae est in Christo.* Fundamenta illius πεποιθήσεως præmittuntur, primò quia *Deus pro nobis*, habemus potentissimum protectorem, ex cujus manibus nemo nos eripere poterit. Basilius in ethic. defin 8. tom. II. p. 201. *Non esse haesitandum ac dubitandum in iis, quae a Domino dicuntur, sed pro certo habendum, quodcunque Dei verbum verum esse & potens, etiamsi natura reclamet, nam hic certamen est fidei.* Bernhardus epist. CXC. *Petrus Abailardus haereticus in primo limine theologiae suae vel potius stultilogiae fidem definit aestimationem, stulti ergo martyres nostri sustinentes tam acerba propter incerta.* Et mox: *Sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut ipse putat, dubia aestimatione pendulum & non magis totum, quod in eo est, certa ac solida veritate subnixum &c.* Secundo, *qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut*

non

non & cum eodem omnia nobis? id quod longe cariſſimum in cœlo ac terra erat, pro nobis tradidit, ut de dilectione ejus certi eſſemus. Tertio *Deus eſt, qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, & intercedit pro nobis*; ubi ab efficiente juſtificationis, a morte, paſſione, ſeſſione ad dextram Dei & interceſſione Chriſti argumenta certitudinis petuntur. Tandem additur: *Quis nos ſeparabit a dilectione Dei? πέπεισμαι, certo perſuaſus ſum, quod neque mors, neque vita &c. ſeparare nos poſſit.* Eph. III. 12. *In Chriſto habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* 1 Joh. III. 14. *Scimus, quod translati ſumus a morte in vitam, quia fratres diligimus.* cap. IV. 13. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* cap. V. 10. *Qui credit in Filium Dei, teſtimonium habet in ſe ipſo.* 1 Joh. V. 13. *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut ſciatis vos vitam æternam habere.* Hæc ſcientia non eſt communis ſeu mixta, ſed ſingularis ſeu ſpecialis. Gal. II. 20. *Vivo per fidem illam Filii Dei*, nec eſt conjecturalis, incerta & fallax, ſed infallibilis ac certa. Rom. IV. 20. Bernhardus libr. IV. de conſid. cap. 3. *Fides ambiguum non habet, fides non eſt, ſed opinio.* Thomas p. II. q. 4. art. 8. *Major eſt fidei certitudo, quam ſenſus aut ſcientiæ.*

Exceptiones Bellarmini. Excipit Bellarminus Libr. III. de juſtif. cap. 9. I.) Rom. VIII. *loqui apoſtolum vel de prædeſtinatis in genere, vel de ſe in particulari & aliis ſui ſimilibus*; ſed per illud certus ſum, *non intelligi certitudinem fidei divinæ, ſed perſuaſionem quandam & confidentiam, ad quam gignendam ſatis ſit certitudo conjecturalis, atque hunc eſſe ſenſum verbi πέπεισμαι.* Reſp. Piſtorius in hodeg. p. 201. atque alii ex Pontificiis, ſtatuunt, *Paulum fuiſſe certum de ſua prædeſtinatione ex peculiari revelatione* (*); ſed eorum ſententiam deſerit hoc loco Bellarminus, & quidem recte, quia apoſtolus manifeſte ſe ipſum cum aliis conjungit: *Certus ſum*, inquit, *quod neque vita neque mors nos poſſit ſeparare a dilectione Dei.* Sed non minus falſa eſt illa Bellarmini exceptio, *quod Apoſtolus tantum conjecturalem quandam certitudinem, non autem fidei certitudinem intelligat*; cum expreſſe dicat: 2 Cor. IV. 13. *habentes eundem Spiritum fidei etiam nos credimus &c.* v. 14. *ſcientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit & conſtituet vobiſcum.* Ergo ex Spiritu fidei ſive ex fide certus hac de re fuit (**). Quicquid ergo ſit de aliis locis, in quibus verbum πέπεισμαι uſurpatur, illud ex circumſtantiis hujus loci manifeſtum eſt, certam, indubitatam & immotam perſuaſionem ſive fiduciam per illud hic denotari; dicit enim: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accuſabit? quis condemnabit? quid nos ſeparabit a dilectione Dei?* tandem addit illud πέπεισμαι. De illa fidei certitudine etiam alibi uſurpatur: Rom. XIV. 14. οἶδα καὶ πέπεισμαι, *Scio & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, quia nihil com-*

(*) Duræus libr. VIII. contra Witakerum f. 259. *Paulum ex peculiari revelatione ſciviſſe, quod ſit Deo dilectus, atque peccata ſibi remiſſa dicit, ut eſſet exemplar his, qui crediturі eſſent.* Rom. VIII. *oſtendit, unde hanc fiduciam concepit, non ex revelatione aliqua, ſed ex promiſſione gratiæ, quod Chriſtus mortuus.* GERHARDUS.

(**) Quod verbum πέπεισμαι qualemcunque exiſtimationem aut perſuaſionem abſque fidei certitudine ſignificet, probare conantur Pontificii ex Rom. XV. 14. *perſuaſum habeo de vobis, quod & ipſi pleni eſtis bonitate.* Reſp. vocabulum πέπεισμαι dupliciter accipitur 1.) *abſtractive*, & tunc ſæpe qualemcunque probabilem opinionem ſignificat 2.) *concretive* vel materialiter & ſic pro diverſitate materiæ diverſa gaudet ſignificatione. Nam vocabula ἐκ πολλαχῶς λεγόμενα pro diverſitate ſubjectorum diverſa obtinent ſignificata. Quando vox πέπεισμαι de aliis accipitur, tum non ἀποδεικτικὴν, ſed τοπικὴν, non fidei aut veritatis, ſed charitatis perſuaſionem, hoc eſt, probabilem opinionem ſignificat, quia de proximo noſtro non a priori ſed tantum a poſteriori, hoc eſt, ex

commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. 2 Tim. I. 12. *πέπεισμαι, quia potens est Deus depositum meum servare in diem illum &c.* II.) Eph. III. 12. dicit, per *παῤῥησίαν intelligi quidem audaciam ortam ex quadam summa & infallibili certitudine, sed eam certitudinem non esse de justitia nostra, sed de veritate mysteriorum fidei, utpote quod certi sumus, Christum pro nobis natum, passum, mortuum esse &c. indeque audemus confidenter accedere ad thronum gratiae, & sperare a Deo indulgentiam, justificationem & alia beneficia.* Resp. acceptamus quod dat, *παῤῥησίαν* oriri ex summa & infallibili certitudine; at, quod addit, fidem esse tantummodo generalem adsensum, non autem specialem fiduciam, illud ex falsa hypothesi procedit, & textui diserte repugnat; dicit enim apostolus de se & aliis fidelibus: *In Christo habemus τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Ergo ex fide illa generali, quæ statuit Christum pro genere humano passum ac mortuum esse, nascitur illa specialis, qua quisque fidelium in individuo cum apostolo sic loquitur: Gal. II. 20. *Christus dilexit me, & tradidit se ipsum pro me.* Ideo non dubitat, ad se quoque Christi beneficia pertinere, eademque in verbo evangelii offerri, quæ proinde in specie sibi quoque adplicat. Ex hac speciali beneficiorum Christi adplicatione, non autem ex generali illo & historico adsensu nascitur *παῤῥησία ἡ προσαγωγὴ.* III.) 1 Joh. III. 14. dicit, *Per vocabula: scimus & cognoscimus, non intelligi certitudinem fidei divinae, sed eam, quae ex signis & conjecturis oritur.* Resp. Imo vero ea certitudo intelligitur, quæ ex interno Spiritus sancti testimonio oritur, sic enim diserte apostolus: 1 Joh. IV. 13. *In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis;* proinde vere credentes in Christum utrumque sciunt, scilicet & habere se Spiritum sanctum, & manere se in Deo, neque haec est conjecturalis quaedam, sed immota omnino certitudo. Aliud est fides & scientia, aliud opinio & conjectura. *At*, inquit Bellarminus, *quamvis Johannes loquatur in prima persona, tamen sententiae illae sunt generales, non particulares, significant enim, eos translatos esse de morte in vitam, qui diligunt fratres, & eos in Deo manere & Deum in ipsis, qui habent in se Spiritum Dei, & denique eos ex Deo esse, qui juste & sancte vivunt. Loquitur autem Johannes in prima persona, quia bona spe confidebat, se unum ex illis esse, qui diligunt fratres, qui habent Spiritum Dei, & qui sunt ex Deo, sicut etiam Paulus, cum loquitur de praedestinatis, fere semper ita loquitur, quasi certus esset, non solum se, sed etiam illos omnes, ad quos scribit, in numero electorum fuisse, quia videlicet id cupiebat & sperabat.* Resp. confunduntur duæ distinctæ quæstiones. Loquitur omnino apostolus de se & sui similibus, hoc est, vere renatis, vere in Christum credentibus & fidem suam per dilectionem comprobantibus, de illis non erat *quasi* certus, sed *vere* & indubitate certus, quod sint translati a morte in vitam, quod sint ex Deo, & quod Deus in ipsis maneat. Alia vero quæstio est: quinam fuerint illi vere renati, illi vere in Christum credentes, illi fidem suam per dilectionem comprobantes? se ipsum in eorum numero esse, apostolus non erat *quasi* certus, sed verissime certus ex testimonio Spiritus, de aliis bene sperabat ex judicio caritatis. *Ἀσύστατον* igitur est & *ἀνακόλουθον* sic inferre: apostolus non noverat de aliis certitudine fidei sine speciali aliqua revelatione, quod sint vere renati & vere credentes. Ergo nec de se illud noverat, sed tantum id cupiebat & sperabat. Item: apostolus non noverat, quinam ex aliis vere in Christum crederent. Ergo de se & aliis vere in Christum cre-

ex effectis sive operibus judicare possumus; quando autem de nobis usurpatur, certam & immotam persuasionem significat, quæ est certitudo fidei & veritatis, quia innititur fundamento immoto & immutabili, videlicet promissione Dei & testimonio Spiritus sancti. GERHARDUS.

credentibus dubitabat, an sint in gratia (*). IV.) 1 Joh. V. 10 dicit, *apostolum non loqui de testimonio nostrae justificationis, sed de testimonio divinitatis Christi.* Resp. Subordinata haec sunt, nequaquam vero pugnantia, cum de utroque testimonio apostolus loquatur, ut ex serie contextus adparet. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.* (ubi manifestum est, intelligi fidem illam specialem, qua statuimus Christi beneficia ad nos pertinere, ipsum esse nostrum mediatorem, per quem in gratiam recipiamur; generalis & historica fides nondum sufficit ad regenerationem.) Si omnis, qui credit, Jesum esse Christum, natus est ex Deo, utique is, qui credit, testimonium habet in se ipso, quod sit ex Deo natus, v. 2. *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus filios Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus servemus.* Si ex dilectione Dei & proximi intelligitur fides & ex fide υἱοθεσία, utique ergo, qui credit & diligit, testimonium habet in se ipso, quod sit Dei filius, id est, ex Deo natus & justificatus. v. 4. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* v. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Christus?* Si is, qui vincit mundum, id est, resistit tentationibus carnis, satanae ac mundi, vere credit, & ex Deo natus est; utique is, qui vincit mundum, testimonium habet in se ipso, quod sit ex Deo natus. v. 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis:* ubi per spiritum ministerium verbi, per aquam & sanguinem sacramentum baptismi & coenae dominicae potiores interpretes accipiunt. Atqui in illis non solum Christi divinitati, sed etiam gratiae Dei per Christi satisfactionem & meritum nobis partae testimonium redditur; qui ergo credit, hoc est, vera fide promissa in evangelio bona amplectitur, & hanc fidem usu sacramentorum confirmat, is testimonium habet in se ipso. v. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita in Filio ejus est.* v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Hic diserte exprimit apostolus, quodnam testimonium intelligat, videlicet non solum de divinitate Christi, sed etiam de salutari ejus officio, quod dederit nobis Deus in Filio suo vitam aeternam: qui ergo hunc Filium fide recipit, in cujus corde per fidem Dei Filius habitat, is utique testimonium habet in se ipso, quod sit Dei filius & haeres vitae aeternae. v. 13. *Haec scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* v. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus & vita aeterna.* Vbi apertissime tribuitur credentibus in Christum, non quod dubitent, opinentur, fluctuent, sed quod sciant, se esse ex Deo, & habere vitam aeternam in Christo. Atque haec sunt testimonia scripturae, quibus aliquid respondere conatus est Bellarminus, supersunt autem longe plura, quae testantur fidei propriam esse fiduciam, certitudinem, firmitatem &c. Jobi XIX. 25. *Scio* יְדַעְתִּי *quod redemtor meus vivit, & in carne mea videbo Deum &c.* (qua fide Jobus scit redemtorem suum vivere, eadem etiam credit, se Deum in carne sua visurum.) Rom. IV. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini* εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν. (Promissiones *legales* in se & ex se itidem sunt satis firmae, sed quia conditionem perfectae obedientiae additam habent, ideo nobis non sunt ratae ac firmae, sed redduntur nobis inutiles; at promissiones *evangelicae*, quia sunt gratuitae, ideo nobis sunt firmae.) Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus ad Deum per Jesum Christum*, v. 2. *per quem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* v. 3. *non solum autem hoc,*

(*) Petrus interrogatus: *an Christum plus diligeret, quam reliqui?* respondet: *Domine tu scis, quod amem te.* Ex quo ad aret. 1.) sciri posse, an Christum vere diligamus, nec ne? 2.) non posse de aliorum cordibus perinde judicari ut de nostro; non addit Petrus, quod plus diligat Christum: nemo enim novit quid sit in homine, nisi Spiritus, qui est in homine. GERHARD.

hoc, sed & gloriamur in tribulationibus. (illa tranquillitas conscientiæ, illa fiducialis προσαγωγή, illa καύχησις in tribulationibus, non habet locum, nisi præsupponatur certitudo gratiæ divinæ & justitiæ imputatæ.) Rom. XIV. 5. *Quisque in sua mente certus sit*, πληροφορεῖσθω (at πληροφορία illa in usu adiaphororum non habet locum, nisi certi simus nos esse apud Deum in gratia.) 2 Cor. III. 12. *Habentes talem spem, multa fiducia utamur.* πολλῇ παῤῥησίᾳ. 1 Tim. I. 15. *Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur*, πιστὸς ὁ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *quod Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere.* (si promissio ipsa est certa & immota, utique etiam firma fiducia erit amplectenda.) 2 Tim. I. 7. *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed roboris.* Hebr. III 6. *Domus Dei sumus, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus*, τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος βεβαίαν. Hebr. IV. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur.* Hebr. X. 19. *Habentes fiduciam ad introitum sanctorum in sanguine Christi.* v. 22. *Accedamus cum vero corde*, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *in plenitudine fidei.* vers. 23. *ac teneamus spei nostrae confessionem ἀκλινῆ immotam & non vacillantem; fidelis enim est, qui promisit.* (ubi observa, ex fidelitate & firmitate promissionis deduci firmitatem nostræ fidei, sicut & Rom. I. 17. *justitia Dei revelari* dicitur *ex fide in fidem*, id est, ex fide promittentis in fidem credentis.) Hebr. XIII. 9. *Bonum est gratia stabiliri cor* βεβαιοῦσθαι. 1 Petr. I. 13. *Perfecte sperate in eam, quae effertur vobis, gratiam in revelatione Iesu Christi.* Breviter, referenda huc dicta omnia, quæ probant fidem esse fiduciam. Bellarminus libr. III. de justif. cap. 11. hoc solum regerit, *fidem quidem esse certissimam, sed remissionem peccatorum sive justificationem uniuscujusque non pertinere ad fidem proprie dictam*, qua de re quid statuendum sit, ostendimus suo loco. Huc referenda sunt exempla sanctorum patriarcharum, Abelis, Henochi, Noæ, Abrahami & similium, qui promissionibus Dei firma fide adhæserunt, ac de gratia Dei certi fuerunt. Bellarminus excipit, *pauci illi & eximii viri fortassis peculiari revelatione certi fieri meruerunt de gratia, quam apud Deum invenerunt.* At hoc adseritur trepidante conscientia, ut innuit particula *dubitativa.* Exempla illa sanctorum Rom. IV. Hebr. XI. & alibi passim ad imitationem nobis proponuntur, ut & nos sectemur vestigia fidei eorum, ideo credentes dicuntur *eundem Spiritum fidei habere* cum Davide & aliis sanctis. 2 Cor. IV. 13. Non habuerunt pii patriarchæ aliud evangelium, quam nos habemus, sed crediderunt in Christum venturum, in quem nos credimus exhibitum, eadem igitur Dei gratia in Christo & propter Christum nobis promissa sunt salvati. Act. XV. 11. In negotio salutis peculiares quasdam revelationes extra verbum fingere vel flagitare proxime accedit ad Enthusiastas. Sanctissimos illos patriarchas suas quasdam revelationes habuisse non negamus, sed in negotio justificationis & salutis non exspectarunt novas revelationes, sed vera fide promissionem de semine mulieris contriturο caput serpentis amplexi & justitiæ & salutis eodem modo, quo & reliqui vere credentes, participes sunt facti.

§. XC. *Septimam* argumentorum classem suppeditat *dubitationis deformitas*, siquidem dubitatio 1.) est peccatum contra primam decalogi tabulam oppositum fidei in defectu. Ejus proprium est, non tribuere Deo laudem veritatis, dubitare de voluntate Dei revelata, de promissionibus divinis, de gratuita promissione remissionis peccatorum &c. arguere Deum mendacii & perjurii. 1 Joh. V. 10. *Qui non credit Deo, mendacem facit eum.* 2.) Pugnat cum fide, quippe cujus propria est fiducia. Matth. XXI. 21. *Si habueritis fidem, & non haesitaveritis.* 1 Tim. II. 8. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus, sine ira & disceptatione* χωρὶς διαλογισμοῦ. Jac. I. 6. *Postulet in fide nihil haesitans, qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.* v. 7. *Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Deo.* 3.) Pugnat cum pace & tranquillitate con-

7.) *A dubitationis deformitate.*

conscientiæ, cum gaudio spiritus, cum sensu gratiæ divinæ, cum gloriatione in afflictionibus &c. quæ omnia fide justificatis scriptura tribuit. 4.) Oritur ex corrupta nostra natura, post lapsum enim homini naturale est, Deum fugere, aversari, de voluntate ejus dubitare: confirmat hanc dubitationem tentationibus suis diabolus, qui unice in id intentus est, ut conscientiis eripiat firmam consolationem, abducat eas a fide in Christum, & conjiciat in tristissimas dubitationes, ac tandem etiam ad desperationem adigat. 5.) Impedit specialem promissionis evangelicæ adplicationem, sine qua nulla gratia, nulla peccatorum remissio, nulla salus: impedit dilectionem Dei, veram invocationem, est mater desperationis &c. Rectissime igitur scripsit Lutherus in comm. epist. ad Gal. IV. quod *monstrum dubitationis sit opinio pestifera & pestilentissima, quae doctrinam fidei obruat, fidem evertat, conscientias perturbet, dona & beneficia Spiritus sancti obscuret, verum Dei cultum abroget, idololatriam, contemtum & blasphemiam Dei in cordibus erigat &c.* & in cap. XLI. Gen. *Etiamsi nihil praeterea fuisset in doctrina pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab ecclesia infideli nos sejungeremus.*

§. XCI. Atque hæc sunt præcipua sententiæ nostræ fundamenta, quæ latius diducta & exposita vide in tractatu Sigfridi Sacci, quem de hac quæstione edidit Magdeburg. ann. 1569. (*) Bellarminus libr. III. de justif. cap. 9. & 11. alia insuper pro nostra sententia scripturæ dicta & rationum momenta producit, sed quædam ex illis sunt ἀπροσδιόνυσα, nec a nostris, sed ab Ambrosio Catharino usurpantur. Quamvis vero non omnino nihil in responsionibus Bellarmini, quas dictis illis & rationibus opponit, desiderari possit; hac tamen vice contenti erimus septem illis argumentorum classibus, quas in medium jam adduximus, & ab elusionibus Bellarmini vindicavimus. Illud vero considerationi indiget, quod Bellarminus sub finem c. 11. scribit, *nullum esse catholicum scriptorem, qui doceat oportere homines perpetuo dubitare, & haesitare de sua cum Deo reconciliatione.* Atqui dum certa fiducia gratiæ divinæ prohibetur, an non eo ipso dubitatio præcipitur? dum jubentur homines fiduciam salutis in propria merita collocare, an non eo ipso jubentur de sua cum Deo reconciliatione & salute dubitare, cum nemo certus esse possit, an unquam sat meritorum habeat? quomodo ergo probat Bellarminus suum pronunciatum? *Tres* (inquit) *videntur numerari inter catholicos sententiae, quarum una, quae est Ambrosii Catharini, non solum dubitationem omnem excludit, sed etiam addit, posse justos habere de sua justificatione certitudinem fidei divinae, de qua sententia non potest queri Chemnitius. Altera sententia non docet quidem certitudinem fidei divinae, adfirmat tamen posse, imo etiam solere homines perfectos ad eam securitatem venire, ut nullam habeant de sua securitate formidinem. De qua sententia non video, cur Chemnitius queri possit, quanquam mihi haec sententia non probatur. Tertia sententia, quae communior in ecclesia est, non tollit quidem omnem formidinem, tamen tollit omnem anxietatem & haesitationem, quin etiam ipsam dubitationem, si dubius dicatur, qui non audet alteri parti adsentiri. Datur enim inter certitudinem fidei & anxietatem aliquid medium, videlicet certitudo quaedam moralis ex parte intellectus, & spes ac fiducia ex parte voluntatis, quam gignit bona conscientia, contritio, caritas, studium bonorum operum, eucharistiae perceptio, visitatio Spiritus sancti &c. Hanc certitudinem libenter agnoscimus, quae non oritur ex praesumtione imputatae justitiae, neque est certitudo fidei catholicae, sed oritur ex caritatis & operum bonorum experimento, ac per hoc moralis & conjecturalis certitudo nominari potest.* Resp. 1.) Bellarminus iple duas priores sententias repudiat, ergo ex illis non potest probare, dubitationis dogma repudiari

An Pontificii propugnent dubitationem.

(*) Hicce tractatus hac insignitus est inscriptione: *de academica pontificiorum dubitatione in negotio justificationis, quae omnem evertit fiduciam, nitentem promissione & meritis Christi.* 8vo.

pudiari a Pontificiis. 2.) Dubitare dicitur is, qui non totus propendet in partem alteram, sed alteri ita adsentitur, ut in contrariam etiam propendeat, inde ab Isidoro in libr. etymol. & aliis dubitatio definitur, quod sit *motus indifferens in utramque partem contradictionis.* Item quod sit *aequalitas rationum contrariarum, quod fit acceptio utriusque partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio.* Jam vero Bellarminus & ipsius adsectæ ita jubent credentem sperare de gratia Dei, ut interim propter infirmitatem & dispositionem suam hæsitare debeat, an sit in gratia, utique ergo dubitationem præcipiunt. 3.) Imputationem justitiæ Bellarminus ridet, fidem specialem exsibilat, promissiones evangelii mere gratuitas esse negat, quomodo ergo certitudinem gratiæ vere & ex animo adserere potest? 4.) In cap. 9. præcedente test. 5 scribit: *Nemo certus est ex fide, se fidem vivam habere:* test. 6. *quod Spiritus sanctus sit, qui nos movet, cum dicimus: Abba Pater, non constat nobis ex fide divina, sed solum ex conjecturis, quae fallaces esse possunt.* test. 7. *Paulum apostolum non aliter de sua, quam de aliorum, ad quos scribit, fide & salute certum fuisse.* Quodsi nemo certus est ex fide, se habere vivam fidem; si non constat nobis ex fide, sed tantum ex conjecturis, quæ possunt esse *fallaces*, quod Spiritus sanctus nos moveat; si de nostra fide & salute non aliter possumus esse certi, quam de aliorum, utique in perpetua dubitatione vivere cogimur. 5.) Quæ vero est *moralis* & conjecturalis illa certitudo, quam Bellarminus concedit? cap. 2. hujus libr. eam sic describit: *Secundum gradum certitudinis obscurae habent ea, quae creduntur ob auctoritatem humanam, sed ita celebrem & confirmatam, ut omnem formidinem prorsus excludat, qualia sunt, Ciceronem & Virgilium fuisse insignes viros, multas esse praeclaras civitates in provinciis longe dissitis &c. atque haec dicitur certitudo fidei humanae, sive certitudo moralis, quae tametsi non tanta sit, ut ei nullo modo falsum subesse possit; tamen tanta est, ut temerarius merito judicetur, qui contra sentiat aut disputet.* (Hanc certitudinem *moralem* de justificatione Bellarminus verbis hic concedit, re ipsa autem negat, ut adparet tum ex eo, quod secundam sententiam catholicorum de illa certitudine repudiat, tum quod formidinem propriæ dispositionis perpetuo adesse disputet cap. 11.) *Tertium gradum habent illa, quae tot signis & conjecturis nituntur, ut hominem reddant securum, & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant, atque haec dicitur certitudo conjecturalis, & opinionis est potius, quam fidei.* (Conjecturam igitur & opinionem tantum de justificatione & gratia concedit Bellarminus; nequaquam vero certam & immotam fiduciam: illi conjecturæ & opinioni certitudinem aliquam tribuit, ut vim argumentorum nostrorum quomodocunque effugiat, cum revera sint non solum dubiæ & incertæ, sed etiam fallaces possint esse, ut ipse Bellarminus diserte scribit. Videamus tamen, quid de certitudine in verbis præcedentibus hujus capitis disputet.) *Duplex* (inquit) *certitudo in spe considerari potest: una ex parte voluntatis, altera ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo spei est firma adhaesio ad rem speratam, & haec maxima esse potest, etiamsi ex parte intellectus non sit homo certus, se rem illam consecuturum: imo videtur spes non solum non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam, nam quod certo scimus nos habituros, proprie non speramus, sed exspectamus.* (Imo vero credentes & sperare & exspectare dicuntur futuram glorificationem, de qua certissime sunt persuasi. Rom. V. 2. *Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Rom. VIII. 24. *Spe salvi facti sumus.* 2 Petr. III. 13. *Novos cælos & novam terram secundum promissa ipsius exspectamus.*) *Itaque haeretici nostri temporis, qui certitudinem absolutam ex parte intellectus requirunt de justificatione & salute, nullum locum fidei relinquunt.* (Imo vero fides amplectitur bona præsentia, spes exspectat futura, fide adprehendimus Christum & in Christo vitam æternam, sed spe exspectamus revelationem gloriæ filiorum Dei: *nunc filii Dei sumus,* si filii, utique & hæredes, *nondum autem adparuit, quid futuri simus,* ideo-

ideoque spe adhuc illud exspectamus. 1 Joh. III. 1. & 2.) *Quamvis autem absolutam certitudinem spes non requirat ex parte intellectus; tamen habet etiam ex parte intellectus duplicem certitudinem.* (Collocat Bellarminus spem in intellectu & voluntate, alibi tamen absurdum esse statuit unam eandemque virtutem esse in diversis animæ potentiis. libr. I. de justif. cap. 6.) *Prima certitudo oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio. Certi enim sumus, Deum non posse fallere, & siquidem nihil requireretur ad justificationem, vel salutem, nisi promissio Dei, haberemus etiam de his rebus absolutam & infallibilem certitudinem; tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non sumus tam certi, ideo spes non expellit omnem timorem.* (Promissio salutis in evangelio eo modo ac sensu est absoluta, quod non requirat conditionem aliquam meritoriam ex parte nostra, sicut *legales* promissiones conditionem perfectæ obedientiæ requirunt; interim tamen fatemur, eos solummodo participes fieri bonorum in evangelio promissorum, qui veram agunt pœnitentiam, & fide in Christum se erigunt, posse autem vere credentes de sua pœnitentia & fide certos esse ex propriæ conscientiæ & spiritus συμμαρτυρῶντος testimonio perspicuum est, utique ergo fides & spes excludunt timorem illum *servilem*, qui oritur ex comminationibus legis, non tamen *filialem*, qui oritur ex fide.) *Altera certitudo spei ex parte intellectus oritur ex caritate, ac per hoc non convenit, nisi hominibus justis. Amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neque periculum est, ne confundatur.* (At credentes sunt amici, imo filii Dei, utique ergo infallibili certitudine norunt, se esse in gratia Dei, cur ergo dubitarent? pergit Bellarminus:) *Et si quidem amicitia ista cum Deo corrumpi non posset, infallibiliter & absolute de salute securi essent, qui caritate cum Deo conjuncti sunt; tamen quia fieri potest, dum peregrinamur a Domino, ut qui amicus est, iterum fiat inimicus, idcirco non possunt etiam justi sine timore aliquo vivere.* (Confunduntur diversæ quæstiones: alia quæstio est de certitudine justitiæ & præsentis gratiæ; alia de certitudine futuræ perseverantiæ. Hac vice quærimus de certitudine præsentis gratiæ & justitiæ. Si vere credentes & Deum diligentes sunt Dei amici, imo filii, utique norunt certissime, se esse apud Deum in gratia; qualis sit perseverantiæ certitudo, alibi exponitur.) *Habemus igitur* (inquit Bellarminus) *spem christianorum certissimam esse tum ex parte voluntatis, tum ex parte intellectus, sed solum ratione propriae dispositionis formidinem aliquam conjunctam habere.* (Hic vero antiquus viridi latet anguis in herba, quod justificatio non in gratia Dei & merito Christi, sed in nostrarum dispositionum & operum merito constituitur. Atqui fundamentum fidei & spei non est nostra vel dignitas, vel dispositio, sed gratuita Dei misericordia in Christo nobis proposita, & in promissionibus evangelicis oblata. Si ad nostras dispositiones respicimus, non possumus non dubitare, imo etiam cogimur desperare, sed fides illas dubitationes vincit. Quemadmodum Abrahamus *contra spem in spem* credidit: Rom. IV. 18. ita quoque fides nostra debet esse comparata. Ille dicitur contra spem in spem credere, qui vel in se vel in natura rei nihil quicquam videt aut experitur, quod illi spem suadeat, ut adparet in exemplo Abrahæ, cui centenario promittitur filius: at si haberemus merita, per quæ salutem consequi possemus, non speraremus contra spem, sed in spe & juxta spem. Cæsarius homil. VII. *Cum Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est; ipse contra se januam divinae misericordiae claudit, qui Dominum sibi misereri aut non velle aut non posse credit, & eum aut bonum aut omnipotentem esse diffidit.* Lutherus in cap. IV. Gal. *Evangelium jubet intueri nos, non benefacta & perfectionem nostram, sed ipsum Deum promittentem, ipsum Christum mediatorem. E contra papa jubet respicere non Deum promittentem, non Christum pontificem; sed nostra opera aut merita. Ibi necessario sequitur dubitatio & desperatio, illic vero certitudo & gaudium Spiritus, quia in Deo haereo, qui mentiri non potest, dicit enim: Ecce trado Filium meum in mortem, ut te sanguine suo redimat a peccatis & morte;*

ibi non possum dubitare, nisi prorsus velim Deum negare. Atque haec est ratio, cur nostra theologia certa sit, quia rapit nos e conspectu nostro; & ponit nos extra nos, ut non nitamur viribus, conscientia, sensu, persona, operibus nostris, sed eo nitamur, quod extra nos est, hoc est, promissione & veritate Dei, quae fallere non potest. Chemnitius in exam. concil. Trid. p. I. cap. de justific. p. 310. *Fides nostra omnino habet & debet habere adjunctam veram humilitatem, quae serio confiderat, agnoscit & fatetur propriam nostram indignitatem, ita ut non ausit nostram dignitatem opponere Dei judicio in articulo justificationis; sed serio statuit & ex animo confitetur:* Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Haec vero humilitas non facit fidem dubiam & fluctuantem, quia non detinet conscientiam in lege, ut propriam dignitatem opponat judicio Dei; sed impellit & urget, ut quaerat aliam promissionem, in qua gratis propter Filium mediatorem Pater credentibus donet reconciliationem, ut, quia in propria dignitate non potest invenire, quo tuto coram Dei judicio nitatur, adprehendat illum mediatorem, in cujus vulneribus firma totaque securitas est vere credentibus.*) 6.) Atque inde jam adparet, quare *moralis & conjecturalis* illa certitudo, quam Bellarminus concedit, semper sit cum dubitatione conjuncta, quia fundamentum ejus quaerit in nostris dispositionibus, operibus ac meritis; cum vero cor nostrum nos convincat, nos non habere tantum cumulum meritorum, qui requiritur ad justitiam & salutem, ideo perpetuo dubitare cogimur. Nos autem fundamentum illius fiduciae quaerimus in solo Christo, propter quem remissionem peccatorum, justitiam & vitam aeternam omnibus vere credentibus gratis contingere docemus. Bernhardus serm. V. in vigil. nat. *Sibi ipsi fidere, non fidei, sed perfidiae est, nec confidentiae, sed diffidentiae magis in semet ipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat factus sibi vas perditum.* At, inquis, *an non ipsimet docetis, ex operibus judicandum esse de fide?* Resp. bona opera dicimus esse veræ fidei testimonia, sed non fiduciæ nostræ fundamenta. Possumus quidem ex dilectione & studio pietatis tanquam infallibili argumento cognoscere, nos esse ex numero vere credentium; interim tamen ipsa fides sive fiducia de remissione peccatorum non debet niti operibus ac meritis nostris, sed sola Dei misericordia in solo Christo proposita. Quin imo si quandoque in seria pœnitentia & gravibus tentationibus fides est admodum languida & imbecillis, arundini conquassatæ & lino fumiganti similis; si peccatorum nostrorum ita nos angit & cruciat memoria, ut fidem in corde non sentiamus; non tamen animum desponere debemus, sed meditatione promissionum evangelicarum fidem excitare & confirmare, pro incremento fidei ad Deum suspirare ac totis viribus dubitationi resistere. 7.) Neve ulla supersit dubitatio, Pontificios esse dubitationis patronos, observetur, quomodo describant illam, quam Bellarminus ita vocat, formidinem, quæ propter nostram dispositionem vel potius indispositionem nobis adhæreat, imo adhærere d beat. Burgensis in Psalm. CXXXIX. *Nullus scit de lege communi certitudinaliter se esse in gratia.* Concilium Trident. sess. VI. cap. 9. concedit, quod *necessarium sit credere, neque remitti neque remissa fuisse unquam peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum*; sed mox addit: *non est asserendum, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semet ipsos statuere se esse justificatos.* Et postea: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest,* (quin & debet, ita enim postulat addita ratio) *cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Andradius in defens. concilii Trident. ad illud quod Jesuitæ scripserant: (*Fidelis firmiter quidem sperat vitam aeternam, & quod magis est, confidit etiam: non tamen certo credit, sed dubitat, spes enim fallere potest*;) respon-

respondurus, inquit, *spem habere aliquam dubitationem conjunctam & implicatam. Cum enim spes, qua nobis vitam aeternam pollicemur, & nostris operibus & maxime divinae misericordiae & omnipotentiae fidat, quippe quae ex meritis & gratia proficiscitur, ita fit sane, ut spes ita sit certa, ut semper cum metu & dubitatione sit conjuncta & copulata.* Hosius de auctorit. scripturae fol. 218. *Noli putare Brenti, quod sine causa Deus, sicut extremi judicii diem, ita justificationum quoque nostram, gratiaeque consecutionem nobis non esse certissimam voluerit, imbecillioribus enim ista certitudo superbiae quaedam esset occasio. Nam si quis persuasum habet, apud regem aliquem seu principem se esse sin gratia, quantumlibet animi sui adfectibus imperare sciat, effugere tamen vix potest, quin efferatur animus. Istne verisimile, quod quivis de vulgo, si certo scire queat, se esse in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine sibi cavere possit?* Gregorius de Valentia libr. de grat. part. 2. cap. 6. *Docemus neminem ex fide penitus esse certum, se ex illis esse, quibus peccata remittuntur.* Malvenda in colloq. Ratisbon. anno 1546. *Cum quis firmiter & certo statuit, sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suae & infirmitatis rationem, judicio magis temerario, quam scripturae auctoritate ducitur.* Petrus a Soto in conf. *Tutum & humillimum est de Dei in me gratia atque praesentia dubitare.* Lovanienses in propos. contra Lutherum. *Fides, qua quis firmiter credit & certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, imo eisdem adversatur.* Costerus in enchirid. cap. de fide p. 204. *Scriptura passim incertitudinem justificationis testatur;* p. 209. *fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit in nobis Christus esse.* Bellarminus ipse libr. I. de justif. cap. 10. *Non possunt homines credere, nisi omnino temere, tanquam ex Dei verbo, sibi remissa esse peccata, cum in verbo Dei nusquam reperiatur annunciata salus vel remissio peccatorum mihi vel illi in particulari nisi paucis quibusdam &c.* Ex quibus patet, quod certam fiduciam *specialis* fidei improbent, dubitationem autem stabiliant & humilitatis nomine commendent. 8.) Adparet hoc ex ipsa praxi. Si quis enim profitetur se serio dolere de admissis peccatis & eorum remissionem quaerit, eum non recta deducunt ad Christum, sive quod idem est, ei non proponunt promissionem gratiae de Christo, ut firma fide eam amplectatur ac certo statuat, sibi remissa esse peccata propter Christum; sed deducunt eum ad proprias satisfactiones, atque ad propria merita, ut ea cum promissione gratiae conjungat, esse enim praesumtionem sine propriis meritis sperare vitam aeternam, juxta illud scilicet: bonum est duabus anchoris niti. Abducunt igitur eum a promissione evangelii ad legem, a Christo ad Mosen; negant enim ad suscipiendam gratiam quenquam esse idoneum, nisi sufficienter sit dispositus & praeparatus, idque fieri dicunt, si quis vere & integre praestet omnia opera poenitentiae; postea a lege & ejus operibus etiam ad traditiones humanas eum abducunt, jubent vel ingredi monasterium, vel emere merita monachalia, Papales indulgentias, missas sacrificulorum, &c. suscipere peregrinationes, confugere ad intercessiones & merita sanctorum, opera satisfactoria praestare, &c. ac si omnes traditiones summo studio sectatur & observat, tamen adhuc ei dubitandum esse adfirmant, cum de propriis dispositionibus & satisfactionibus non possit esse certus, cumque occulta aliqua peccata esse possint, pro quibus nondum sit satisfactum.

§. XCII. Scripserat Chemnitius, *doctrinam, quae jubet vere credentes dubitare de remissione peccatorum, ex schola Pharisaeorum & Novatianorum ortam esse.* *Origo doctrinae de dubitatione.*

Aegre id fert Bellarminus, ideoque obvertit libr. III. de justific. cap. 11. *Pharisaeos non murmurasse, quod Christus juberet in particulari fiduciam concipi de remissione peccatorum, sed quod se Deum facere videretur, dum potestatem peccata relaxandi soli Deo propriam sibi sumebat.* Resp. subordinata invicem non pugnant,

gnant, Phariſæorum concluſio erat, Chriſtum non poſſe nec debere peccata remittere in *particulari*, ac proinde ſibi illud arrogando eſſe blaſphemum. Argumentum tertium, cum non ſit Deus, ſed tantum homo, inde alius non poteſt conſici ſyllogiſmus, quam iſte: Nullus homo poteſt aut debet peccata in *particulari* remittere. Hic Jeſus eſt homo. Ergo non poteſt aut debet in *particulari* huic paralytico remittere peccata, & per conſequens illud ſibi arrogando blaſphemat. Ex *majore* hujus argumenti adparet, quod Phariſæi nec *αὐτοκρατορικὴν* ſive *authenticam*, nec *miniſterialem* poteſtatem remittendi peccata hominibus conceſſerint, alias in argumento ipſorum nulla fuiſſet connexio. Quid vero aliud eſt negare *miniſterialem* poteſtatem remittendi peccata, quam concedere quidem, quod generalis promiſſio remiſſionis peccatorum in eccleſia vigeat; interim tamen negare, quod abſolutione miniſtri certus quiſpiam fieri poſſit, ſibi vere remiſſa eſſe peccata? Quæ Bellarminus de diſcrimine fidei & fiduciæ addit, alibi expoſita ſunt & refutantur ab ipſo Janſenio, qui in hoc loco Matth. IX. expreſſe ſcribit, *fidem eſſe fiduciam*. De Novatianis reſpondet Bellarminus, quod *lapſos poſt baptiſmum admonuerint, ut cum Deo agerent, in eccleſia enim non eſſe poteſtatem reconciliandi*. Reſp. At ex eo dubitatio de remiſſione peccatorum ſequitur. Novatiani non ſimpliciter diſputarunt, Deum nemini, qui poſt lapſum pœnitentiam agit, velle peccata remittere; ſed hæc fuit controverſia: an miniſtro eccleſiæ commiſſa ſit poteſtas ſolvendi peccata, per quam certo adfirmare debeat illis, qui pœnitentiam agunt, peccata dimitti? ac conſequenter, an pœnitens, qui vera fide Chriſtum amplectitur, certo ſtatuere, an vero dubitare debeat ſibi peccata dimitti? Socrates libr. IV. hiſtor. cap. 23. libr. VIII. tripart. cap. 9. *Invitandos dicebant eſſe ad pœnitentiam eos, qui prolapſi, ſed remiſſionem ſoli Deo relinquendam*. Ambroſius libr. I. de pœnit. cap. 2. *Novatiani dicunt, ſe ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem reſervare, ſed Chriſtus mandavit diſcipulis ſolvere peccata*. Libr. II. cap. 5. refert, *Novatianos* ex Act. VIII. ſtabilire voluiſſe, quod Petrus non certo adfirmarit pœnitentibus peccata dimitti. Ambroſius vero reſpondet, Petrum ita loqui, quia Simon magus non ex fide credebat, ſed dolum cogitabat, & addit: *ego nec Petrum dubitaſſe dico, nec verbi unius præjudicio totam cauſam ſtrangulandam arbitror; nec poterat Petrus dubitare de Chriſti munere, qui ſibi ſolvendorum peccatorum dederat poteſtatem*. Quod Bellarminus addit, *nos potius Novatianos eſſe, cum negemus pœnitentiæ ſacramentum*, de eo alibi fuit dictum, ubi etiam monuimus, Novatianos ſtatum quæſtionis ſæpius immutaſſe.

Dicta patrum.

§. XCIII. Audiamus veterum teſtimonia, quibus noſtræ ſententiæ adſenſum præbent. Tertullianus libr. de reſurrect. carnis cap. 37. p. 87. *Chriſtus ſequeſter Dei atque hominum adpellatus ex utriusque partis depoſito commiſſo ſibi carnis quoque depoſitum ſervat in ſemet ipſo arrhabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & a nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, uſurpaſtis & cælum & regnum Dei in Chriſto. Aut ſi negent vos in Chriſto, negent & in cælo Chriſtum, qui vobis cælum negaverunt*. Libr. de baptiſmo, *fidem*, ait, *integram habere ſecuritatem ſalutis*. Minutius Felix in dialogo, qui inſcribitur *Octavius* (edito Romæ cum Arnobio) de chriſtianis ſcribit, *quod ſint ſecuri ſpe futuræ felicitatis*. Cyprianus in libr. adv. Demetrianum: *Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei & inter ipſas ſeculi ruinas erecta mens & immobilis virtus & de Deo ſuo ſemper anima ſecura*. Excipit Bellarminus libr. III. de juſtif. cap. 10. *ex eo nondum ſequi certitudinem fidei de juſtitia, ut enim ſecuri de Deo vivamus, ſatis eſſe, ſi certi ſimus, Deum fidelem eſſe in omnibus verbis ſuis, & non deſerere ſuos, niſi prius ipſe deſeratur ab illis*. Reſp. Certitudo ſpei oritur ex certitudine fidei, hoc eſt, certitudo

do & securitas illa, quod Deus non sit me deserturus, præsupponit certitudinem gratiæ præsentis, quomodo enim anima pii hominis de Deo suo semper potest esse secura, si adhuc dubitat, an sit apud ipsum in gratia?) Serm. IV. qui est de mortalitate: *Regnum Dei, fratres dilectissimi, cæpit esse in proximo*, (loquitur de tempore pestilentiæ, in quo plurimi moriebantur) *praemium vitae & gaudium salutis aeternae & perpetua laetitia & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt, jam terrenis cœlestia & magna parvis & caducis aeterna succedunt. Quis hic anxietatis & solicitudinis locus est, quis inter haec trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum transire nolle, qui se non credit incipere cum Christo regnare. Scriptum est enim:* Iustus ex fide vivet. *Si justus es, etiam fide vivis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus & pollicitationem Domini securus amplecteris?* Et postea: *Hoc autem fit, fratres dilectissimi*, (quod tantopere exhorrescimus) *quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quae promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus aeternus & firmus est. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem fiare in sermonibus atque actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo decedenti immortalitatem pollicetur, & tu dubitas & fluctuas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.* Excipit Bellarminus, *reprehendi a Cypriano trepidationem natam ex incredulitate.* Resp. bene est, si dubitatio ac trepidatio nascuntur ex incredulitate, utique non erunt virtutes fidei, sed potius infirmitates, quibus repugnandum. *At*, inquit Bellarminus, *nos non negamus, oportere fidem certissimam, quae dubitationem prorsus excludat, haberi de divinis promissionibus, & spem etiam talem ac tantam, quae desideriam moriendi pariat, quamvis ea spes cum timore conjuncta esse debeat, propter incertitudinem dispositionis nostrae, ut hoc modo serviamus Domino in timore, & exsultemus ei cum tremore.* Resp. notamus hanc confessionem Bellarmini, quam evidentia veritatis ipsi extorsit; quod de timore spei conjuncto addit, illud ambiguum est, intelligitur enim vel timor *filialis*, qui cum certitudine fiduciæ optime consistit, & semper debet esse in renatis, vel *servilis* cum dubitatione de gratia conjunctus, quem a Cypriano excludi plusquam manifestum est. Pergit Bellarminus, *divinae promissioni etiam in particulari fidem habendam esse, quantum pertinet ad veritatem promittentis, sed ex parte dispositionis nostrae, sine qua non justificamur, posse locum habere formidinem.* Resp. promissiones evangelii non respiciunt nostras dispositiones, hoc est, nostra merita de *congruo*, ea enim Bellarminus per dispositiones illas intelligit, sed mere sunt gratuitæ, qua de re suo loco plenius.) Hilarius canone V. in Matth. *Regnum cœlorum, quod Dominus noster in se positum esse professus est, vult nos sine aliqua incertae voluntatis ambiguitate sperare, alioquin justificatio ex fide nulla est, si fides sit ambigua.* (Excipit Bellarminus, *Hilarium loqui non de fide justificationis, sed de fide resurrectionis.* Resp. at ipse sonus verborum evidentissime testatur, de fide justificationis Hilarium loqui, dicit enim, non solum resurrectionem corporum, quæ communis est piis & impiis, sed etiam regnum cœlorum solis vere credentibus & fide justificatis paratum sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperandum esse.) Et paulo post super verba: *Si Deus fœnum sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Fidei nostrae inviolabilem confidentiam exemplorum auctoritate confirmat, ut tanto majoris periculi res sit ambigere, quanto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit &c. Quam profanum est sanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis aeternitatis opus praestetur ad pœnam? omnem igitur exspectationem nostram in fide repromissi-*

missionum & virtutis suae potestate exegit collocari. Basilius in ἀσκητ. τὸ ἰδιον πίστεως ἀδιακριτῳ πληροφορία. Gregorius Nazianzenus in orat. de plaga grandinis: *Quis scit, nunquid convertatur & pœniteat & relinquat benedictionem? Atqui manifeste hoc scio. Ego divinae clementiae fidejussor sum. Nam iram, quae praeter naturam ipsius est, remittet, & ad misericordiam, quae secundum naturam ejus est, convertetur, ad illam enim a nobis compellitur, ad hanc vero inclinatur.* Excipit Bellarminus, *Nazianzenum fidejussorem esse divinae clementiae, non autem nostrae pœnitentiae.* Resp. testimonium veræ pœnitentiæ & fidei quilibet vere pius habet in corde suo. Anxiæ & peccati sensu tritæ conscientiæ non quærunt de clementia Dei in genere, cum & dæmones eo modo credant, Deum esse misericordem, sed unice id quærunt, an Deus etiam sibi futurus sit propitius? ibi vero Nazianzenus jubet in seria pœnitentia id firma fide credere, & hac ratione se fidejussorem divinæ clementiæ vocat, ideo sequitur: *Tantum nos misereamur nostri ac justis Patris visceribus viam adaperiamus. Seminemus in lacrimis, quo in exsultatione metamus. Fiamus Ninivitae & non Sodomitae.* Ambrosius in cap. IV. Rom. ad verba: qui vivificat mortuos; *Promti sint circa fidem, securi, quia, cui credunt, vivificat mortuos.* Et post pauca ad verba: Et non infirmatus est fide; *Hortatur gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem & gratiam sine aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahae.* In cap. V. Rom. ad verba: Spes non confundit; *Fidele enim esse promissum Dei, probat Spiritus sanctus datus apostolis & nobis, qui diversis linguis imperiti loquerentur, cum interpretationibus praestitit ad confirmandam fidem, & ut caritatem Dei commendaret in nobis, ut, quia caros falli impossibile est, securos nos faceret de promissione, quia & Deus est, qui promisit, & iis, quos caros habere vult, promisit.* In cap. VIII. ad Rom. ad verba: *Qui proprio Filio non pepercit*, sic: *Securos nos esse debere causa fidei hortatur, ut Deum, antequam ex impiis fideles essemus, Filium suum pro nobis morti tradidisse ostendat.* In enarrat. Psalm. XXXIX. paulo ante finem: *Gravis populus est, qui fidem Deo suo servat, & qui non aliqua levitate mutetur, neque nutet, neque fluctuet, sed caritate sit fundatus in Christo, ut possit dicere: Confido enim, quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio separare me possit a caritate Dei, quae est in Christo Jesu.* (quod Paulus de se profitetur Rom VIII. 39. id Ambrosius ad omnes vere credentes accommodat.) Serm. V. *Quisquis illi fermento Christi adhaeresit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi utilis quam idoneus universis, & de sua certus salute & de aliorum acquisitione securus.* (Bellarminus excipit, *Ambrosium loqui de certitudine conditionali, non absoluta, ut sit sensus, eum, qui adhaeret Christo, certum esse de sua salute & de aliorum acquisitione, si Christo vere adhaereat, & in illo permaneat.* Resp. ad certitudinem salutis omnino requiritur, ut quis Christo vera fide adhæreat, & in ipso permaneat, sed hæc conditio cum non sit *legalis* nec meritoria, certitudinem illam, quam propugnamus, nequaquam labefactat.) Augustinus libr. I. de doctrina christiana cap. 18. *Has claves dedit ecclesiae suae, &c. ut quisquis in ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non dimitterentur, quisquis autem crederet, seque ab iis correctus averteret, in ejusdem ecclesiae gremio constitutus, eadem fide atque correctione foveretur.* Libr. XIII. de Trinit. cap. 1. *Fidem ipsam videt quisque in corde suo, si credit, vel non esse, si non credit.* Libr. VIII. de Trinit. cap. 8. *Qui diligit fratrem, magis novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit.* (Utique ergo vere credentes sciunt se in Christum credere, & fidem suam per dilectionem esse efficacem, & fide se justificatos esse. Excipit Bellarminus, *loqui Augustinum de actione credendi & diligendi. Certissimi enim sumus, nos credere & diligere, quando credimus & diligimus, sed utrum actus illi sint, quales oportet, & utrum ex habitu proficiscantur, sine revelatione sciri non potest.* Resp. scriptura non solum veram in Christum fidem requirit, sed etiam eandem a suis proprietatibus deseri-

describit, quisquis igitur juxta præscriptum verbi in Christum credit, is de fidei veritate certus esse potest) In psalm. XXXVII. exponens verba apostoli: Fuimus & nos natura filii irae, &c. *Quare dicit, fuimus? quia spe jam non sumus, nam re adhuc sumus, sed illud melius dicimur, quod spe sumus, quia certi de spe sumus, non enim incerta est spes nostra, ut de illa dubitemus.* In psalm LI. *Noli sperare de te, sed de Deo tuo, nam si speras de te, anima tua conturbatur in te, quia nondum invenit, unde sit secura in te.* In Psalm. LXXXV. *Audeat corpus Christi & homo clamans cum capite & sub capite suo dicere: sanctus sum; accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi & remissionis peccatorum, non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris, te sanctum esse ex te, superbus es; rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es, imo & habere te age sce & ex te nihil habere, ut nec superbus sis nec ingratus &c. Dicat unusquisque christianus, imo dicat totum corpus Christi, clamet ubique, custodi animam meam, quia sanctus sum.* Excipit Bellarminus, *ex bona spe, non autem ex fide divina hoc dici posse.* Resp. imo vero spei certitudo oritur ex fide promissionibus divinis innitente. Bellarminus existimat, spem illam non esse certam, sed bonam tantum, nimirum juxta poëtam:

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Sed de spe piorum aliud pronunciat apostolus Rom. V. 5. unde vero probat Bellarminus, Augustinum loqui tantum de bona spe, non autem certa fide sanctitatis donatæ? ipsa verba satis sunt perspicua, spes respicit bona futura, Augustinus vero agit de dono sanctitatis, quod quis in præsenti se habere agnoscit, & hoc nomine Deo gratias agit.) In Psalm. LXXXVIII. *In aeternum Christus regnabit cum sanctis suis, hoc promisit Deus, si parum est, hoc juravit Deus, quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione praedicare, de quo non potest dubitare.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum loqui de perpetuo Christi regno, non autem de justificatione hujus vel illius.* Resp. utrumque sub juramenti fide promisit Deus, & Christum in æternum regnaturum, & sanctos vera fide Christo adhærentes cum ipso regnaturos, utraque promissio fide indubitata amplectenda est; *at*, inquit Bellarminus, *quis credat, Augustinum dicturum fuisse, nemo debet cum dubitatione praedicare, si de praedicatione propriae justitiae loqueretur? annon fuisset hoc ad jactantiam homines exhortari?* Resp. huic objectioni satisfacit proxime præcedens Augustini dictum ex Psalm. LXXXV. petitum.) In Psalm. CXLVIII. *Erigat se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, non ero, cui promisit, &c. promisit nobis, quod ibi futuri sumus, ubi ipse est, erimus cum illo; quid tibi promisit Deus, o homo mortalis? quia victurus es in aeternum. Non credis? crede, crede, plus est jam quod fecit, quam quod promisit: quid fecit? mortuus est pro te, quid promisit? ut vivas cum illo, incredibilius est, quod mortuus est aeternus, quam ut aeternum vivat mortalis, jam quod incredibilius est, tenemus.* In Psalm. CX. *Quid finem cæpti desperas? omnipotens cæpit, omnipotens promisit se impleturum esse, quod cæpit.* Tractat. XXII. in Joh. *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere, quia in judicium non venies? absit, inquis, ut ego hoc mihi promittere audeam, sed credo promittenti. Salvator loquitur, veritas pollicetur, ipse dixit mihi, qui audit verba mea & credit ei, qui me misit, habet vitam aeternam & in judicium non venit, &c. ideo non praesumtione mea, sed promissione Christi in judicium non venio.* (Excipit Bellarminus, *ex promissione Christi posse quidem unumquemque fidelium colligere, se transisse de morte ad vitam, & in judicium non esse venturum; sed quaestionem esse, qua certitudine id possit colligere, eam vero respectu promittentis esse quidem infallibilem & divinam, sed respectu dispositionis propriae tantum conjecturalem.* Resp. Augustinus diserte testatur, non *conjecturali* certitudine, quæ est solo nomine

mine certitudo, re ipsa vero fallax opinio, sed firma fiducia promissioni divinæ innitente pios sibi promittere posse, quod non sint venturi in judicium.) Tract. LXXV. in Joh. *Tunc erit, ut possimus videre, quod credimus, nam nunc est in nobis, & nos in illo, sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus.* (Excipit Bellarminus, *fide sciri posse, quod Christus sit in ecclesia, nequaquam vero, quod sit in me aut in te per gratiam justificationis.* Resp. etiam dæmones sciunt & credunt, Christum esse in ecclesia; sed vere pii cognoscunt, se esse in Christo & Christum in ipsis, ut suo loco demonstrabimus.) Serm. XXVIII. de verbis domin. *O homo faciem tuam non audebas ad cœlum tollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt, ex malo servo factus es bonus filius, ideo praesume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim salvati estis, inquit Apostolus. Non ergo haec arrogantia est, sed fides, praedicare, quod accepisti, non superbia, sed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, ad Patrem, qui per Filium te redemit, & dic: Pater noster! Bona praesumtio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius, sed noli tibi aliquid specialiter vendicare. Solius Christi specialis Pater est, nobis omnibus in eodem Pater est, qui illum solum genuit, nos creavit, dic ergo tu per gratiam: Pater noster! ut filius esse mereareris ecclesiae.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum non ad fidei certitudinem, sed ad fiduciam hortari.* Resp. Hæc non sunt opposita, sed subordinata ex fide enim promissionem gratiæ amplectente fiducia illa oritur.) Serm. V. de verbis apostoli. *Securus efficeris non de te, sed de Domino tuo, securus efficeris de pignore tuo. Spera cum Christo regnum Christi, jam pignus tenes sanguinem Christi.* Serm. VI. de verbis apostoli: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ecce adjuvante ipsius misericordia Spiritum Christi habemus, ex ipsa delectatione justitiae, integra fide, catholica fide Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* (Excipit Bellarminus, *illud: catholica fide, referri non ad modum cognoscendi, sed ad signum & conjecturam. Involvere enim contradictionem, quod ex delectatione justitiae tanquam signo quodam fide catholica cognoscamus, Spiritum Dei in nobis esse.* Resp. delectatio justitiæ est signum veræ & justificantis fidei, qua de remissione peccatorum certi sumus, & Spiritum Dei nos habere cognoscimus. Sed ex Bellarmini hypothesi fides non potest esse signum inhabitationis Spiritus sancti, cum fides catholica sit & maneat etiam in adulteris, masculorum concubitoribus, Sodomitis, &c.) Tractat. V. in epist. Joh. *Nemo interroget hominem, redeat ad cor suum, si ibi invenit caritatem, securus sit, quia transiit a morte ad vitam.* (Excipit Bellarminus, *posse quidem actum caritatis in corde videri, sed sciri non posse, an sit ille actus veræ caritatis, an non.* Atqui utrumque luce Spiritus cognosci potest, *Scimus*, inquit apostolus 1 Joh. III. 14. *quod translati sumus a morte ad vitam, quia fratres diligimus;* si nemo posset scire, an actum veræ caritatis haberet, utique ex dilectione non posset peti signum & argumentum beatissimæ illius translationis a morte ad vitam) In libro medit. *Totius fiduciae meae certitudo est in pretioso sanguine Christi.* Augustinus in exposit. quarundam propositt. ex epist. ad Rom. num. 58. *Certus sum enim, & non dixit, opinor: plena fide tenuit, quod neque mors ulla, nec temporalis vita promissa, nec cetera subsequentia possunt credentem a caritate Dei detorquere.* In tractat. de non cogitando in crastinum: *Discedat de corde petitoris dubitatio, & veniet ei largitoris inundatio. Non trepidet, qui rogat.* Libr. II. de symbol. ad catechumenos cap. 7. *Nunc dicamus, quomodo id, quod susceptit ex nobis, in cœlum levaverit, ad dextram Patris collocaverit, ac fidei nostrae certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterque sperent ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dextram Patris sedere.* Cap. 10. *Non minorem praedicare cuvt, qui te perducit ad regnum cœlorum in remissione peccatorum, sine ista fide si quis ad baptismum accedit, contra se januam indulgentiae claudit &c. Quisquis igitur fideliter credit, & hanc profes-*

fessionem fidei suae, in qua remittuntur omnia peccata, indubitanter tenet atque amplectitur, praeparet voluntatem suam voluntati Dei, nec vehiculum mortis timeat. Libr. IV. cap. 7. *Quod pro te suscepit, levavit in cælum, terrenumque corpus fecit cæleste. Si credis & tu, quod possis resurgere, & in cælum adscendere, quia certus es de tanto pignore, securus eris de tanto munere.* Libr. de pœnit. medic. cap. 2. *Dimitte nobis debita nostra, non dicimus pro iis peccatis, quae remissa credimus in baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus.* (Bellarminus excipit, *illud credimus positum esse pro eo, quod est, existimamus, arbitramur;* sed credere & cum dubitatione quadam arbitrari diversa sunt.) Chrysostomus homil. XI. in Jerem. *Quaecunque penitus Christo non credunt, condemnant eum, qui autem credunt & adhuc ambigunt, adjudicant illum, duo igitur apud homines perpetitur, ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus discernitur.* In cap. V. Rom. *Non modo de datis, sed & de futuris perinde atque de datis certum esse oportet. Nam de iis rebus homines gloriari solent, quas jam tenent, quandoquidem igitur & rerum futurarum spes perinde atque datarum sic est firma & certa, ideo ait: Gloriamur de illis, noli itaque, etiamsi non admodum dignus fueris, despondere animum, cum habeas tam ingens patrocinium, judicis scilicet dilectionem vel favorem.* In cap. VIII. Rom. *Quando spiritus testatur, quaenam relinquitur ambiguitas? suprema illa essentia, quae & hoc ipsum largitur, quod promittit, atque adeo orare etiam jussit, testimonium perhibente, quisnam de dignitate hac deinceps dubitare audebit?* (Excipit Bellarminus, *testimonium Spiritus sancti esse quidem verissimum, sed non omnes, qui dicunt: Abba Pater! hoc dicunt impulsi a Spiritu sancto.* Resp. hypocritarum perversitas non præjudicat certitudini fiduciæ, quam ex interno Spiritus sancti testimonio vere pii obtinent. Frustra commendaret Chrysostomus certitudinem illius testimonii, si nemo piorum de eo posset esse certus.) Cyrillus Alexandrinus libr. X. in Joh. III. *Qui omni virtute mentem suam purgando apti jam ad majora facti sunt spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in se Deum videbunt.* (Bellarminus excipit, *loqui Cyrillum vel de notitia post hanc vitam, vel de notitia majori, quam vulgus habere consuevit;* sed ipsa verba ostendunt, de tali notitia Cyrillum loqui, per quam vere pii in hac vita Deum in se habitantem cognoscant.) Leo serm II. de festo Pasch. Gregorius in dial. cap. 1. Anshelmus in cap. VIII. Rom. adserunt, *ex caritate Spiritus sancti inhabitationem cognosci.* Bellarminus excipit, *de evidentia signorum haec intelligenda esse*; non repugnamus, interim tamen addimus, quædam signa esse tantum probabilia, (εἰκότα) quædam vero certa & infallibilia, (τεκμήρια) prioris generis signa possunt esse fallacia, ac proinde non excludunt dubitationem, sed posterioris generis signa certam pariunt notitiam (*). Bernhardus serm. I. de annunciat. *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc, ut credas, quia*

(*) *Lutherus cum anno Christi 1507. in lectione Scholasticorum ex ovedientia superiorum occupatus esset, incidit in difficilimos spiritualis tristitiae paroxysmos, ex quibus se prius extricare non potuit, quam a quodam pio fratre sene monacho, qui ceu rosa inter spinas eminuerat, in confessione erectus & ad gratuitam peccatorum remissionem secundum verba symboli: Credo peccatorum remissionem, reductus & ita confirmatus fuisset, ut sapissime cancendo lætus repeteret illud: O beata culpa, quæ talem meruisti redemtorem. Ac solitus est Lutherus sapenumero prædicare illius senioris fratris dexteritatem ac pietatem, & inprimis commendavit explicationem verborum symboli: Credo remissionem peccatorum ab illo traditam hoc modo. Non satis est te in genere credere, Deum quibusdam Davidi, Petro & aliis sua peccata remittere, (talem enim fidem etiam dæmones habent) sed Dei mandatum immotum est, ut credas, Tibi, tibi tua peccata remitti, & ut certus sis de justitia fidei & de salute tua.* Selneccerus in orat. de initiis & progr. August. confess. an. 1507. GERHARDUS.

per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens: dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur apostolus gratis justificari hominem per fidem. (Bellarminus repudiata illorum catholicorum expositione, qui dicunt Bernhardum loqui non de fide catholica, sed quæ haberi potest ex conjecturis & signis, aliter excipit, *loqui* scilicet *Bernhardum omnino de fide catholica, qua credimus, Deum velle nobis peccata remittere, & re ipsa ex parte sua remittere, modo conditio impleatur; non autem loqui de fide, qua absolute & sine respectu dispositionis credamus nobis peccata remitti, ut haeretici somniant*, id quod quibusdam argumentis evincere nititur. Resp. quo sensu promissiones evangelicæ de remissione peccatorum & vita æterna negentur esse conditionales, suo loco expositum fuit, nimirum quod non requirant nostra opera, tanquam merita vel media, sed sint mere gratuitæ; interim tamen nequaquam propugnamus talem quandam absolutam promissionum evangelicarum generalitatem, quasi remissionem peccatorum, gratiam Dei & vitam æternam ex illis sibi polliceri debeant, qui in impœnitentia, incredulitate & peccatis contra conscientiam secure pergunt, sicut hæc in tractatu de evangelio late sunt exposita. Ergo ut *conditionis*, ita quoque *dispositionis* vox est ambigua; Bellarminus per eam intelligit nostra merita, sed cum illa gratiæ in articulo justificationis & salvationis sint opposita, ideo hoc sensu & respectu negamus, promissiones evangelii nostram dispositionem requirere sive conditionales esse: vicissim autem cum promissio evangelii requirat fidem, cujus antecambulo est contritio, pedissequa vero nova opera, ideo hoc sensu & respectu non negamus, promissiones evangelii ex parte nostra aliquid requirere, videlicet fidem, non tamen ut meritum, sed medium adplicationis; addimus autem hanc ipsam fidem per promissionum evangelicarum auditum efficacia Spiritus sancti excitari, augeri & confirmari. Ceterum an fidem de remissione peccatorum nostris dispositionibus sive meritis niti velit Bernhardus, ex aliis locis colligi potest.)

Idem de fragmentis septem panum, serm. III. *Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: quis tu es, & quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? & ego fiducialiter respondeo: Scio, cui credidi, & certus sum, quia in caritate nimia adoptavit me, quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione &c. haec tria sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriae vilitatis, nulla aestimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum.* Serm. I. de adscens. Domin. *Non est difficile, nosse signa indubitata credulitatis, ac per hoc & salutis.* Serm. VIII. in Cantic. *Quae in vobis anima sensit aliquando in secreto conscientiae suae Spiritum filii clamantem, Abba Pater; ipsa paterno se diligi praesumat adfectu, quae eodem se Spiritu, quo & Filius, adfectam sentit: Confide, quaecunque es illa, in Spiritu Filii, filiam cognosce te Patris, sponsam Filii & sororem.* Serm. LXI. in Cantic. *Revera ubi tuta firmaque securitas & requies, nisi in vulneribus salvatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado, fundatus enim sum super petram firmam, peccavi peccatum grande, turbatur conscientia; sed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus est propter iniquitates nostras &c.* Serm. V. in dedicat. eccles. de gemina consid. sui. *Quis poterit salvus esse, dicunt discipuli salvatoris? & ille, apud homines, hoc est impossibile, sed non apud Deum: haec tota fiducia nostra est, haec unica consolatio nostra, haec tota ratio spei nostrae. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore an odio? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? hic jam plane fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reveletur, & Spiritus*

Spiritus ejus testificans persuadeat spiritui nostro, quod filii Dei simus. Persuadeat autem vocando & justificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab aeterna praedestinatione ad futuram magnificationem. Epist. CXC. contra Abailard. *Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? Stulti ergo martyres nostri sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis praemio durum per exitum diu urnum inire exilium &c. Ipse postremo Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus; quomodo ergo fidem quis audet dicere aestimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive evangelium aut ignoret, aut fabulam putet &c. Sed Augustinus aliter: Fides, ait, non conjectando vel opinando habetur in corde, in quo est, ab eo cujus est, sed certa scientia, acclamante conscientia. Placet mihi, fateor, illius* (apostoli) *definitio: fides est rerum sperandarum substantia &c. Substantiae nomine aliquid sibi certum fixumque praefigitur, non est enim fides aestimatio, sed certitudo.* Vincentius libr. XXX. cap. 107. refert anno Christi 1210. Parisiis doctrina & pietate clarissimum vixisse virum, Almericum Gallum, qui docuerit publice, *quemlibet Christianum debere firmiter & indubitato credere, se esse membrum ex Christi corpore, & hoc esse articulum christianae fidei, sine qua salutem nemo consequi possit.* Fridericus Myconius in libro, cui titulus: *Somnium*, refert de parente suo, quod sub mediis superiorum temporum tenebris dixerit, *sanguinem Christi esse pretium pro peccatis, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem, quod si tantum tres homines deberent salvari per sanguinem Christi, tamen se certissime statuere debere, se esse unum ex illis tribus, & contumeliam esse in sanguinem Christi, hac de re dubitare.* Refert. D. Pr.bus in orat. de vita Frid. Myconii. E. 2. & Wolffius tom. II. memorab. p. 1. Jerem. patriarcha Constantinopolitanus, ut patet ex actis Wirtemberg. δεῖ πιστεύειν ἀδιστάκτως, ὅτι τὸ ἀμφιβάλλειν καὶ διστάζειν ἐν πίστει οὐκ ἔστι.

Testimonia adversariorum.

§. XCIV. Quid, quod quidam ex ipsis adversariis dubitationem vel manifeste improbant vel talia ponunt principia, ex quibus μορμολύκειον illud dubitationis evertitur. Cap. Firmum dist. 2. de poenit. *Firmum Dei fundamentum stat immobile habens signaculum hoc: Dominus novit, qui sunt ejus. Horum fides, quae per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur, & deleta quae intercurrerat, iniquitate ad finem perseverantiae deputatur.* Andr. Fricius libr. IV. de rep. emend. cap. 11. *Necessario faciendum est, ut in illa Christi justitia, quae perfecta est, omnes acquiescant, quicunque de remissione peccatorum, adoptione sui in filios Dei ac donatione vitae aeternae certi esse volunt.* Enchirid. Colonienſe, cujus auctor existimatur fuisse Gropperus) edit. anno 1536. fol. 170. *Fatemur, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum vere poenitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem.* Georgius Cassander in sua consultatione cap. de justificatione. *Ad justificationem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahae ad promissionem Dei non haesitet propter diffidentiam, sed praeter spem in spem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum sanctum vivificaturum.* Idem in judic. super quart. articul. conf. *Certe nemo est ecclesiasticorum nec e Scholasticis quidem, qui non hanc fiduciam & certitudinem de gratia & misericordia Dei & glorificatione futura diligenter urgeat, & dubitationi ac diffidentiae opponendam doceat &c. Recte docet enchiridion* (Colonienſe) *loca illa divinae scripturae,* (Beatus homo, qui semper est pavidus Item: cum metu & tremore operemini salutem vestram) *non respicere justificationem, nec fiduciae de misericordia Dei quicquam detrahere, sed respicere jam justificatos. Hi enim, si sentiant,*

tiant, se Dei beneficio innovatos, absit ut posthac sibi vivant. Anton. Marinarius orat. in confessu patrum concilii Trident. Dominica IV. in quadragesima anno 1546. habita, dubitationem ex professo refellit inter alia sic scribens: *Proinde qui suis operibus fidunt, de divina erga se benignitate dubitare solent, & per intervalla & vices huc atque illuc alternando fluctuare, ut nusquam eis portus, nusquam fidae stationis spes adpareat, faciliusque ad desperationem in gravibus periculis infelicissima ratione tendunt. Qui autem suis dissisi viribus, suorumque operum rejecta fiducia, in Dei benignitate & clementia conquiescunt, nec cogitare unquam possunt sese a Deo esse rejectos, illumque praestiturum non esse, quod eis pro sua misericordia promisit. Est certe hoc vitae fidei ingenium, nos in Deum, ut filios in patrem erigere; Christum nostrum nosque vicissim Christi facere, ut cum eo unum corpus simus, eodemque vivamus, regamur, laetemur & gloriemur Spiritu.* Et paulo post. *Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam, sed in securitate mentis, in pace conscientiae, in laetitia cordis edocti Spiritu illo, qui illis testimonium reddit, quod sint filii Dei, audent dicere: Abba Pater! quanquam interim inest illis sanctus ille timor, ne cadant ab eo, ad quem evecti sunt, filiorum honore. Quamobrem exsultant, qui Christum tenent; tremunt, ne illum amittant, quemadmodum propheta monuit: Exsultate ei cum tremore.* Et statim subjicit: *At vero caro & satan nunquam non solicitant ad diffidentiam pectora justorum, quibuscum perpetuum est certamen. Nunc eo temeritatis accusant, quod scilicet divini consilii conscios & participes sese faciunt, dicentes: Scimus, quod nos diligit Deus; sed illi se purgant, nempe quod temerarii essent, si divinae erga se caritatis tot argumentis declaratae, praesertim Filio ad crucem demisso, ancipites essent. Nunc gravia superioris vitae commissa memorant, quorum non potuerunt condignam exhibuisse satisfactionem; sed illi respondent: gratis per Christum nobis, quia satisfacere non poteramus, remissa sunt peccata, non est quod cogitemus, quia solvendo non sumus, ne dignitati mortis Christi detrahamus. Nunc quotidianos vitae errores, quibus nemo non subjicitur, ante oculos illorum sistunt, ut videlicet sic dubitent de benignitate Dei; sed illi exclamant: clementissimus ille Pater ad hos infirmae naturae lapsus connivere solet, cujus clementia non convenit illos ad vindictam imputare. Nunc ex occultis majoribus delictis, quae homo (cujus est cor ut pravum, ita retrusum) non intelligit, argumenta sumunt, quibus divino favore illos destitutos esse convincant; sed illi excipiunt: integra est peccatorum remissio, & cum donat Deus manifesta, quae novimus, donat item occulta, quae ignoramus, delicta. Nunc prospera commemorant, velut quibus in hoc seculo eos remuneret Deus, ne in alio exspectent felicitatis gloriam; sed illi fatentur, Deum saepe praesentibus bonis ornare justos, ut proximorum necessitatibus consulentes ad futuram vitam aptiores fiant. Nunc calamitates, quibus plerumque justi adfligantur, ut aperta irati Dei signa commemorant; sed illi adseverant, eas esse manifesta paternae dilectionis argumenta, ut sub disciplina crucis eruditi filii Dei reddantur. Vexatum pectus pium supra omnes tandem difficultates emergit, in corde suo sic loquens: quis me separabit a caritate & fiducia Dei mei, qui potentia sua omnia continet, suo imperio omnia regit, sua sapientia omnia moderatur. Quamobrem neque hujus seculi blanditiae, neque hujus carnis illecebrae, neque ulla satanae fulmina, neque haereticorum fraudes, neque amicorum deliciae, neque necessariorum preces, neque parentum pietas, neque populorum furor, neque tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere, seu in carcerem detrudere, seu fortunis privare, seu in exilium ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerint, a Deo optimo maximo, a Domino omnipotente, a Patre indulgentissimo, ullo unquam tempore me divellent. Si coelum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur praeceps, ego in eum erectus ero. Si angelus de coelo aliud mihi persuadere contendat, dicam ei anathema. O felicem christiani pectoris fiduciam, o beatam evangelici cordis pietatem, o securam christianae mentis fiduciam!* Pertinet huc concertatio Ambrosii

brosii Catharini, archiepiscopi Minoriensis, & Dominici a Soto, quam his verbis Dominicus exposuit: *Dissensio, quam inter tuam meamque mentem nullam extra verba esse existimas, haec est in re maxima. Porro quod tu arbitraris, posse fieri hominem certum suae gratiae certitudine, quae licet non sit aequalis fidei catholicae, sit tamen vera fides, id est, omnem prorsus dubitationem excludens, atque id quidem lege communi, nempe testimonio illo, quod auctore Paulo Spiritus sanctus reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: hoc ego vero, salva pace & auctoritate tua, credo esse omnino falsum.* Contra Catharinus in scripto contra Dominicum Sotum, (referente Flacio libr. de dissens. Pontif. pag. 85.) *deduco*, ait, *contra hanc nostram sententiam nihil pronunciasse synodum Tridentinam, quod ego in primo meo detexi libello, quem ad praesidentes ipsi concilio (quorum alter Dei gratia summus est pontifex Iulius III.) & ad ipsam sacrosanctam synodum destinavi, eos alloquens his plane verbis: addo, quod saepius protestati sint ambo praesidentes & specialiter in hac controversia, tum in conventu patrum; tum vero in congregatione theologorum & ambos audivimus contestantes, non videri sibi quaestionem hanc satis discussam ad decisionem. Imo ipsamet S. S. synodus bis declaravit, hujus rei definitionem tunc omittendam esse & in aliud tempus servandam, sicut in actis possit adparere. Denique ipse titulus noni capitis hoc manifestat abunde, qui sic habet: contra inanem haereticorum fiduciam.* Cornel. Bisontinus in cap. VIII. Rom. *Qui in Christo Iesu sunt, nihil habent, unde timere debeant, siquidem securi sunt de salute.* Rivius libr. III. de superstit. pag. 234. *Iacobus Sadoletus scribit: Sine firma spe atque fiducia in summum Deum fides vera non est.* Idem: *Quanquam fidei fundamentum sit credere, tamen spes ipsa continet in se fidem, & absque spe fides inanis tota est.* Rursus, *Nos* inquit, *qui scripturarum more loquimur, fidem Christi cum pronunciamus in uno hoc fidei verbo, totum id intelligimus, quod est credere Deo & Christo illique confidere. Non enim fides nostra simplex est credulitas; (quanquam fides & fundamentum fidei credere est) sed fides in Deum plena atque integra est ita credere, ut confidamus.* Bellarminus libr. III. de justif. cap. 2. *Aliqui catholici docent quidem eam certitudinem, quae nullam habeat de sua salute formidinem.* Pererius comment. in Rom. VIII. num. 27. *Quidam catholici certitudinem eam docent, cui non possit subesse falsum.* Vega libr. III. de incert. gratiæ cap. 36. *Quidam catholicus tanto affectu fidem conjecturalem oppugnabat, ut eam Lutherana opinione detestabiliorem diceret, quia inquit, cum Lutherani multum fidei tribuant, haec opinio derogat.* Ibidem: *Guillandus certitudinem gratiae defendit prorsus ut Lutherani* Cap. 7. *Et talem certitudinem consequentem fidem multi catholici ante decretum concilii Tridentini probabilem esse censebant, & eam compluribus argumentis suadere conabantur.* Martinus Eysengreinius perquam prolixo scripto hanc materiam tractavit; in quo non tantum dubitationis portentum improbat, sed & constanter negat, unquam a Pontificiis hanc opinionem fuisse traditam. Negat etiam canonis Trident. hanc esse sententiam, quod videlicet vere credentibus sit dubitandum de gratia Dei. Et ut ab hac opinione liberet Pontificios, contendit hanc fuisse patrum, qui in synodo Tridentina congregati fuerunt, sententiam, quod videlicet *hypocritae, Epicurei, haeretici, destituti vera fide; perseverantes in atrocibus delictis contra conscientiam & similes, non debeant certo statuere, quod sint in gratia.* Bellarminus libr. III. de justif. cap. 1. *Incertitudinem justitiae & gratiae non solum contra haereticos*, (quos ita vocat) *sed etiam contra catholicos quosdam probandam esse* scribit. Evidentia dictorum antiquitatis ipsi haec extorsit libr. III. de justif. cap. 10. *Fatemur, apud omnes pios vigere spei robur & fidei firmitatem, & animam de Deo semper esse securam.* Et paulo post: *Non negamus*, inquit, *oportere fidem certissimam, quae dubitationem prorsus excludat, haberi de divinis promissionibus & spem etiam talem ac tantam, quae desiderium moriendi pariat. Denique divinae promissioni etiam in particulari fides habenda est, quoniam pertinet ad veritatem promittentis.*

Hypotheses cum dubitationis dogmate pugnantes.

§. XCV. Excutiamus hypotheses, quibus dogma dubitationis repugnat: 1.) Catechismus Tridentinus in primum articulum symboli: *Credendi vox, ut docent sacrae literae, certissimae adsensionis vim habet, quamobrem is credit, cui aliquid sine ulla haesitatione certum & perspicuum est.* Costerus in enchiridio cap. 4. f. 171. *In illo non est vera fides, qui dubitat.* Bellarminus libr. III. de justificatione cap. 11. in resp. ad 3. arg. *Fides certissima est. Neque ullus unquam catholicus dixit fidem non esse certam, aut posse dubitari vel cum formidine adsentiri in iis, quae ad fidem pertinent.* Subsumimus, aut ergo nulla erit fides de remissione peccatorum & gratia Dei, aut certa esse debet & absque dubitatione. 2.) Pontificii docent, *legem ab homine renato in hac vita impleri posse.* Atqui omnis, qui perfecte potest implere legem Dei, potest etiam de salute esse certus. Gal. III. 12. *qui fecerit ea homo, vivet in eis.* 3.) Docent, *peccatum originis per baptismum non tantum esse remissum, sed penitus exstirpatum.* Atqui ubi nullum peccatum, ibi perfecta justitia, cur ergo dubitant de gratia Dei. 4.) Johannes a Daventria contra Augustanam confessionem scribens, disputat ex Scholasticis, praesertim Biele libr. II. sent. dist. 27. quaest. 4. *Deum homini facienti, quod in se est, dare gratiam necessario, nempe necessitate immutabilitatis.* Cur ergo dubitant de illa gratia? 5.) Docent Scholastici, (praesertim vero Thomas 1. 2. quaest. 114. artic. 7.) *omnem actum caritatis, seu quodlibet opus bonum ex caritate promanans, absolute mereri vitam aeternam.* At cum tot actus & opera caritatis faciant, quibus singulis vitam aeternam merentur, cur de ea dubitant? 6.) Docent, *monachos habere opera quaedam supererogationis, quae aliis communicare queant in meritum vitae aeternae.* Quomodo ergo dubitant monachi de salute propria, cum aliis in meritum salutis sua opera queant communicare? 7.) *Ingressionem religionis*, id est, monasticae susceptionem, *tam* docent *hominem ab omnibus peccatis purum reddere, quam est infans baptismi aqua recens tinctus.* Cur ergo in tanta puritate dubitant de salute? 8.) Sacrificuli & monachi, cum eis datur quippiam, aut testamento legatur, solent *oppignorare animas suas pro salute eorum, a quibus accipiunt beneficia.* Quod si de eorum salute non sunt certi, quomodo audent animas suas oppignorare? 9.) Romanus pontifex missis per omnia regna literis ac diplomatibus, certo pollicetur *remissionem peccatorum omnibus, qui Romam excurrunt, & papales indulgentias emunt.* Atqui is hac in parte non potest fallere, nec pro certa pecunia incertas indulgentias dare dicendus est. Nec claves possunt errare, ut quod ille in terra solverit, non sit solutum in coelis, hoc enim dicerent pugnare cum promissione Petro & successoribus data. 10.) Romani pontifices, (ut patet ex bulla Clementis VI.) angelis praecipere consueverunt, *ut viatorum Romam indulgentiarum gratia peregrinantium, si illos in itinere mori contingat, animas protinus exceptas in coelum recta aeportent.* Utique ergo de illorum salute certi sunt, quibus tam magnifice cavent. Cur ergo non ipsimet etiam certi essent, cum pontifex errare non possit? 11.) Papa nonnunquam *canonizat sanctos*, & in hac canonizatione non errat. Certus igitur est de illorum salute, sed cur non & de sua certus est? Si de propria salute certus non est, quomodo infallibilem certitudinem de aliorum salute habere potest? 12.) Jesuitae vocant se *Jesu socios*: at nemo dubitat, an socio suo carus sit, & an a patre filius ametur? 13.) Incertitudo gratiae & simul tranquillitas conscientiae orta ex *absolutione* post editam confessionem se mutuo tollunt, tranquillus enim animus excludit dubitationem illam. Si confessionarius vere absolvit peccatorem, & hic absolutionem istam censere debet ratam ac firmam, quomodo dubitare potest, num peccata sibi sint remissa? 14.) Ad Deum clamant: *Pater noster, qui es in coelis*, ac preces suas claudunt vocula *amen*, quae denotat certam de exauditione precum fiduciam, quomodo ergo de favore ac gratia Dei interim dubitant & dubitandum esse docent? Catechismus Rom. parte IV. de orat. cap. 7. q. 3. *Fides est, quae preces fundit,*

fundit, preces faciunt, ut dubitatione omni sublata, stabilis ac firma sit fides: & paulo post, *sperare & magnopere confidere debemus, nobis omnia, quae per Christum rite petierimus, concessurum Deum.* (at petimus remissionem peccatorum.)

Argumenta pro stabilienda incertitudine gratiae.1) Prov. XX. Quis potest dicere, mundum est cor meum.

§. XCVI. Videamus, quibus argumentis incertitudinem gratiæ & justitiæ confirmare conentur. Bellarminus libr. III. de justif. cap. 4. profert ex Salomone tria testimonia: 1.) Prov. XX. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* ubi notat Bellarminus, *Salomonem non dixisse, neminem esse mundum corde & purum a peccato, posse igitur homines per Dei gratiam cor mundum habere, sed illos ipsos, qui mundi sunt, hoc non posse certo scire.* Resp. 1.) Argumentum est a quæstione alienum. Loquitur Salomon de justitia & munditie inhærente, ac negat quenquam de ea coram Dei judicio vere gloriari posse, cum sanctissimi quique agnoscant, *omnes suas justitias esse coram Deo velut pannum mulieris menstruatae;* Esai. LXIV. 6. ac proinde *remissionem peccatorum quotidie petant;* Psalm. XXXII. 6. & cum propheta regio *amplius lavari* quotidie cupiant; Psalm. LI. 4. quin etiam cum ab inhærentibus sordibus perfecte in hac vita non purgentur, *ex corpore mortis hujus liberari* cum apostolo ingemiscunt, Rom. VII. 24. Nos autem hoc loco agimus de justitia ac munditie imputata, cum enim *Christus factus nobis sit a Deo justitia & sanctificatio;* 1 Cor. I. 30. ideo *fide* in ipsum *purificantur corda nostra*, Act. XV. 9. Cum hac imputata per fidem Christi justitia & munditie conjuncta est inhærens justitia, de qua loquitur David Psalm. LI. 12. *Cor mundum crea in me Deus*, & Psalm. CXIX. 1. *Beati immaculati in via;* ea vero in hac vita non est numeris ac gradibus omnibus perfecta, ac proinde non potest immotam & certam gratiæ divinæ fiduciam ex sese parere. 2.) Regerit Bellarminus in *scripturis quosdam vocari mundos & immaculatos* Psalm. CXIX. Matth. V. Eph. I. & V. Tit. II. *ac proinde esse eos vere mundos, nec indigere justitia Christi imputata.* Resp. dicta illa scripturæ non de sola inhærente, sed cumprimis de imputata munditie & justitia loquuntur, ut alibi ex immotis fundamentis ostendimus. Cum enim in carne renatorum adhuc habitet peccatum, cum quotidianis infirmitatibus renati adhuc obnoxii sint, cum quotidie petant peccatorum remissionem, cum judicium Dei deprecentur, quomodo inhærens mundities in ipsis potest esse perfecta? Indigent igitur alia munditie & justitia, qua coram sanctissimis & mundissimis Dei oculis subsistere possint. Quinimo cum ipse Bellarminus concedat, venialia quædam peccata renatis adhuc adhærere, quomodo perfectionem inhærentis munditiei obtinere poterit? 3.) *At*, inquit Bellarminus, *Lutheranos non juvat haec responsio tum quia non distinguunt peccatum mortale a veniali, tum quia non est probabile, de solis venialibus Salomonem loqui, cum sola venialia non impediant, quo minus homines justi & immaculati dicantur.* Resp. ad *prius*, quamvis non eo modo peccata venialia & mortalia distinguamus, quo Bellarminus & alii Pontificii, vere tamen ea in renatis distinguimus, ut suo loco in tractatu de peccatis actualibus late dictum fuit: ad *posterius* dicimus, quamvis peccata venialia non impediant, quo minus renati dicantur mundi & immaculati; impediunt tamen, quo minus propriam & inhærentem suam justitiam coram Dei judicio stabilire possint, ut in sequentibus manifeste demonstrabitur.

2.) Eccles. IX. Nescit homo, an amore vel odio dignus sit.

§. XCVII. 1.) Eccles. IX. 1. *Sunt justi ac sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Ergo justi non possunt scire, utrum amentur a Deo, an non.* Resp. 1.) Ipse Salmeron in comm. 1 Corinth. XII. disput. 14 §. *sed objiciunt*, agnoscit vitiose hunc locum adduci contra certitudinem gratiæ. *Hic locus*, inquit, *nequaquam probat, quod aliqui inde accipiunt, hominem nescire amorem Dei erga se, quia sequitur in textu:* nescit an amore vel

odio dignus sit. *At impii propter maxima sua scelera norunt se maxime dignos esse odio Dei.* Recte igitur Mercerus professor Paris. in comm. h. l. *Cavendum est, lector, ne cum vulgato interprete aut erres, vel cum sophistis occasionem errandi sumas, qui docent, non debere nos esse certos in conscientia de amore Dei, hoc est, aperte contra scripturas & fidei nostrae caput de remissione peccatorum.* 2.) Ne ipse quidem Bellarminus salvis suis hypothesibus hunc locum eo torquere potest, quod absolute & simpliciter sciri non possit, an quis sit in gratia? Ipse enim non solum quandam opinionem, sed etiam *conjecturalem*, uti vocat, certitudinem de gratia divina justis concedit, jam vero Salomon simpliciter pronunciat: *Nescit homo.* 3.) Fidei analogia non concedit, ut absolute & simpliciter hic locus accipiatur. Neque enim solum dicitur, *hominem nescire, an sit amore dignus*, sed etiam additur, *nescire hominem, an odio dignus sit;* quid vero? num dubium est, an Sodomitica & alia gravissima scelera sint odio digna? an qui in illis vivunt, dubitare debent, an sint odio digni? absit hoc! cum certissimo & infallibili non solum legis sed & conscientiæ testimonio scelerati convincantur, se non solum odio Dei dignos, sed etiam iræ ejus actu obnoxios esse. 4.) Ipse Salomon paulo post addit v. 7. *Vade, comede in gaudio panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quia opera tua placent Deo;* quomodo ergo vellet, absolute & simpliciter sciri non posse, an homo Deo placeat & sit in gratia? 5.) Quis ergo verus hujus loci sensus? Resp. Eum non nostris, sed Cajetani verbis exprimemus. *Significat Salomon, ex rebus externis nos non posse discernere bonum aut malum.* Pineda in cap. XXI. Jobi. *Significat Salomon his verbis:* omnia in futurum sunt, *magnam rerum humanarum confusionem, cum bona malis & mala bonis permisceantur.* Sensus igitur est, non posse nec debere homines ex eventibus externis in hac vita statuere, utrum Deo placeant, cum omnia omnibus similiter eveniant, hoc est, cum & prospera & adversa tam piis quam impiis in hac vita sint communia. Quinimo pii quandoque majoribus calamitatibus subjecti sunt, quam reliqui, & impii majore prosperitate exterius fruuntur, quam ceteri. Hunc esse verum & genuinum hujus loci sensum ex fonte hebræo & ex integra serie contextus manifeste adparet. Hebræa sic habent:

גַּם-אַהֲבָה גַּם-שִׂנְאָה
אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לְפָנֵיהֶם׃

Pagninus: *Etiam amorem, etiam odium nescit homo, omnia ante eos sunt.* Bened. Arias: *Etiam amorem, etiam odium non sciens homo; omnia ad facies eorum.* Postea additur v. 2. *Omnia sic eveniunt, tanquam esset unus omnibus eventus, justo & impio; bono & mundo & immundo & sacrificanti, & ei qui non sacrificat.* v. 3. *Hoc malum est inter omnia, quae fiunt sub sole, quod eventus unus omnibus;* ex quibus omnibus fluit ille sensus, quod ex fortuna externa non possit judicari, an placeamus, an vero displiceamus Deo, cum universa æque eveniant justo & injusto. 6.) Qua vero consequentiæ specie inde infertur: ex eventibus externis non potest cognosci, an homo sit in gratia vel odio Dei; ergo simpliciter hoc sciri nequit, & per consequens fides etiam ex verbo Dei debet esse incerta? Hæc vero est fallacia a dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter.* 7.) Salomon in eodem libro disputat, ex illis, quæ externus accidunt, non posse cognosci, utrum differat hominis anima a pecude, cum idem sit utriusque interitus. Ergone ex eo inferemus, absolute & simpliciter non posse hoc sciri? 8.) Recte ergo Bernhardus serm. V. in dedicat. *Quis scit, si est dignus amore vel odio? hic jam plane fidem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per Spiritum ipsius reveletur.* 9.) Ut interim prætermittamus, quod Hebræi quidam doctissimi amorem & odium per *metonymiam* de re amata & exosa interpretentur hoc sensu. Id quod diligit homo, & id quod odio habet, in manu Dei est, qui vel illud tribuat, vel avertat; & homo ipse sensu id percipere nequit, cum hoc sit ante ipsum, hoc est, cum illud adhuc expectet, vel cum longe ante singula decreta sint sive bona sive mala quæcunque sunt even-

eventura, sicut & versu præced. dicitur: *Opera eorum sunt in manu Dei*, id est, consilio & providentia Dei reguntur: quæ interpretatio nec cum textu nec cum fidei analogia pugnat. Rabbi Salomon sic exponit: *Nisi homines sint justi & sapientes, non advertunt, num diligantur, aut odio habeantur, omnia igitur sunt ante eos, hoc est, justi omnia haec considerant.* Sed præferimus nos priorem explicationem, quod ex eventibus externis non possit, nec debeat judicari, utrum aliquis a Deo ametur nec ne? Quid contra hanc explicationem Bellarminus? 10.) Regerit, *Salomonem non loqui nisi de justis, ut adpareat ex verbis praecedentibus. Sunt justi ac sapientes, & opera eorum in manu Dei, ut ex comm. Hieronymi.* Resp. Non de solis justis loquitur Salomon, sed in genere pronunciat: *Nescit homo*, quam adpellationem *universalem* esse patet ex sequentibus: *Omnia sic eveniunt, tanquam esset unus omnibus eventus, justo & impio, bono & immundo &c.* ubi ipse Salomon terminum indefinitum exponit *universaliter*, eundemque in justos & impios dispescit: proinde non de solis justis loquitur, quod nesciant, an sint odio vel amore digni, sed universaliter pronunciat, neminem hoc scire, nimirum ex eventibus externis, cum justo & injusto eadem in hac vita eveniant. 11.) Rationem illam additam, *eo quod universa aeque eveniant justo & impio*, Bellarminus *non de eventis pio & impio communibus, sed de beneficiis Dei accipiendam esse*, argutatur, hoc sensu: *Si posset homo justus certo cognoscere, utrum diligatur a Deo, maxime id cognosceret ex beneficiis Dei, at beneficia Dei communia sunt justis & impiis.* Resp. de eventis pio & impio communibus Salomonem loqui, & ex illis certitudinem odii vel amoris colligi posse negare, ex textu manifestissimum est, sic enim habent verba: *Etiam amorem, etiam odium non sciens homo, omnia ante facies eorum.* v. 2. *Omnia eveniunt, ac si esset omnibus eventus unus justo & impio &c.* v. 3. *Hoc malum sub sole, quod eventus unus omnibus;* ita enim vocem מִקְרֶה & Pagninus & Arias & Vatablus reddiderunt. Acceptamus autem, quod Bellarminus dicit, Salomonem hoc velle, quod ex beneficiis Dei non possit certo colligi, utrum quis diligatur a Deo, an vero secus; sed addimus, beneficia Dei esse duplicis generis, quædam *corporalia*, quædam *spiritualia*. Ex *corporalibus* beneficiis, utpote sanitate, pulcritudine, divitiis, numerosa prole &c. non potest colligi, sitne homo apud Deum in gratia, cum beneficia illa etiam mundanis & impiis contingant. *Spiritualia* beneficia iterum sunt duplicia; *quaedam* solis piis & Deo dilectis competunt, ut reconciliatio, remissio peccatorum, justitia, fides salvifica, donatio Spiritus sancti &c. ex illis omnino de gratia Dei colligi certum quid potest: *Justificati* enim *fide pacem habemus apud Deum.* Rom. V. 1. *quaedam* vero sunt charismata in usum ecclesiæ quibusdam data, quæ itidem nondum probant hominem esse apud Deum in gratia, talia sunt, donum miraculorum, donum linguarum, & reliqua. 1 Cor. XII. atque alibi enumerata. (Bellarminus diceret, alias esse *gratias gratis datas*, aliam vero *gratiam gratum facientem.*) 12.) *At*, inquit Bellarminus, *non est necesse, ut ratio aeque lateat atque ipsa conclusio, quae ratione probanda est; Salomon igitur recte probat, non posse homines justos certo cognoscere, utrum diligantur a Deo, quia si id possent cognoscere, ex beneficiis maxime id cognoscerent, interim ex eo non sequitur, quod tantummodo ex eventibus externis, non autem simpliciter gratiae certitudinem haberi posse neget.* Resp. Imo vero conclusio nunquam est latior præmissis, sed vel angustior vel æque late patens cum illis, ut omnes Logici docent & evidens ratio convincit, Conclusio enim est effectus præmissarum, jam vero nihil est, nec esse potest in effectu, quod non sit vel fuerit in causa vel *formaliter* vel *virtualiter & eminenter.* Quare cum ex eventibus pio & impio communibus incertitudinem gratiæ Salomon probet, non potest inde universalis & absoluta conclusio inferri, quod simpliciter & nulla ratione homo scire possit, se in gratia esse. 13.) Regerit Bellarminus, *falsam esse illam interpretationem:* nesciunt an odio vel amore digni sunt, *id est, nesciunt id non absolute, sed ex praesenti rerum eventu perspicuum est, ex illis verbis proxime*

sequentibus : sed omnia in futurum servantur incerta. *Si enim sciremus, nunc esse justos & amore dignos, non esset verum omnia in futurum incerta servari.* Resp. agnoscat vero vel tandem Bellarminus, vulgatam translationem discedere a fonte hebræo, quod tamen tam strenue negat. Hebræa habent: *Etiam amorem, etiam odium nescit homo.* Vulgata legit: *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit;* at in Hebræo nulla fit dignitatis mentio. Hebræa habent: *Omnia ante facies eorum,* (ut Arias) vel *omnia ante eos sunt.* (ut Pagninus & Münsterus verterunt) Vulgata legit: *Omnia in futurum servantur incerta*, at in Hebræo nulla fit mentio futuræ incertitudinis. *Omnia ante eos sunt*, hoc est, coram adspectu externo & judicio rationis omnia æqualiter eveniunt omnibus, sive pii sint sive impii, ita enim in versu proxime sequente id exponitur. Quæ de Catharini & Calvini responsionibus Bellarminus addit, judicari possunt ex præcedentibus.

3.) *Syrac. V. de propitiato peccato noli esse sine metu.*

§. XCVIII. III.) Syrac. V. 5. 6. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Hic locus* (inquit Bellarminus) *mirifice pungit haereticos hujus temporis, ipsi enim proprie illi sunt, qui, ubi fide sibi visi sunt justitiam Christi adprehendisse, nullo deinceps metu tanguntur, & quamvis adjiciant peccatum supra peccatum, putant sibi salutem perire non posse, quia miseratio Domini magna est & credentibus non imputat multitudinem peccatorum.* Resp. 1.) Bellarminus contra conscientiæ suæ testimonium tam libere conviciatur, novit enim, & aliis in locis diserte hoc de nobis testatur, quod statuamus, fidem justificantem non posse a bonis operibus separari, renatis in vero timore Dei vivendum, non esse adjicienda peccata peccatis, per peccata contra conscientiam fidem & Spiritum sanctum excuti, qui indulgent carni, eos gratia Dei & salute excidere. Hæc omnia a nobis doceri & inculcari tam novit Bellarminus quam suos digiros, cur igitur tam audacter calumniatur? 2.) Dicimus cum Chemnitio, locum illum in vulgata versione non recte esse redditum, cum in Græco legatur: *περὶ τῦ ἐξιλασμῦ μὴ ἄφοβον γίνε ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις. De propitiatione ne sine timore sis in abundantia ad addendum peccata peccatis.* Vel ut Vatablus reddidit: *De venia ne sis nimium securus, ut peccata peccatis cumules.* Concionatur itaque contra carnalem securitatem, ne quis cumulet peccata sine pœnitentia, ideo quia proposita sit propitiatio. 3.) Hanc interpretationem contextus manifeste probat. v. 4. *Ne dixeris, peccavi, & quid factum est mihi triste? Nam Dominus est patiens, non te dimittet.* v. 5. *De propitiatione ne sis sine timore &c.* v. 6. *Ne dicas miseratio ejus multa, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* v. 7. *Misericordia enim & ira apud ipsum properabit & in peccatores requiesset ira illius.* v. 8. *Ne tardes converti ad Dominum.* 4.) Agnoscunt veritatem hujus interpretationis ipsimet Pontificii. Jansenius episcopus Gandavensis: *Graece legitur, de propitiatione noli esse sine metu, & intelligitur de obtinenda remissione peccati perpetrati, contra praesumtionem, non de propitiato pro perpetrato, ut vulgata habet, cui textus repugnat.* Sacroboscus (*) part. III. defens. Bellarm. cap. 6. §. Rursus: *Jansenius intelligit hunc locum de peccatis praeteritis, Bellarminus de futuris, sed Jansenii expositio est probabilior;* (nisi veritatis evidentia id Sacroboscо extorsisset, Bellarminum, cujus patronum ex professo in illo libro agit, non deseruisset, addit autem) *intelligitur hic locus de propitiatione futura, tum quia Graeca ad verbum expressa ita se habent, de propitiatione noli esse sine metu, ut adjicias peccata peccatis, tum quia sequitur, ne dicas Deus peccatorum meorum miserebitur.* 5.) Quid ad hanc lucem Bellarminus? regerit, *Syracidem hic loqui de propitiatione praeterita, ac de futura*

(*) Christoph. a Sacrobosco, Jesuita Hibernus, edidit *defensionem concilii Tridentini & Bellarmini de vulgata versione*, quæ Antverpiæ *MDCIV. 8.* prodiit.

tura adjungere, quae sequuntur, ne dicas, miseratio Domini magna est. &c. Similem locum esse dicit Eccles. XXI. 1. *Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut iterum tibi dimittantur*, ubi duplex solicitudo injungatur, una pro futuris, altera pro praeteritis. *Resp.* ipse sonus verborum & series contextus luce meridiana clarius ostendit, non de praeterita sed de futura propitiatione Syracidem loqui. Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἀφοβῶς γίνῃ ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας, *de propitiatione non sis ita sine timore, ut addas peccata &c.* Cum in verbis praecedentibus dixisset: *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit?* tum subjungit *de propitiatione*, quam ex non punito peccato etiam in futurum sibi promittunt homines securi, *ne sis adeo* ἀφοβῶς ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας, *ut peccata adjicias*, quae ἔκθεσις & προσδιορισμὸς manifeste ostendit, quatenus de propitiatione ἄφοβον quempiam esse nolit. Cap. XXI. 1. itidem a carnali securitate dehortatur, & pro praeteritorum remissione potius humiliter precandum, quam in peccatis secure pergendum esse docet. Quae vero hinc consequentia? debemus pro peccatis prioribus deprecari, ergo de remissione eorum non possumus esse certi, contrarium potiùs inde infertur, quia preces pro peccatorum remissione nituntur immota & infallibili Dei veracis promissione, ideo de ea certi esse possumus. 6.) *At*, inquit Bellarminus, *si daremus loqui Ecclesiasticum de propitiatione futura, adhuc error adversariorum non difficulter everteretur. Nam ideo de propitiatione futura non possumus esse securi, quia nescimus, an habebimus spatium poenitentiae: proinde requiritur ad obtinendam indulgentiam ex parte nostra seria conversio & poenitentia. Quis autem potest esse certus, praesertim ex fide divina, se veram habere conversionem & poenitentiam?* Resp. imo vero quando ex *lege* peccata agnoscimus, serio de illis dolemus, eadem detestamur ac fugimus: deinde ex *evangelio* fiduciam divinae misericordiae in Christo mediatore propositae concipimus, de vera & seria conversione certi sumus, quae in & consequentes fructus postea demonstrant. De tota hac re alibi plura.

§. XCIX. Cap. 5 producit Bellarminus testimonia & exempla Jobi, Davidis & Pauli. I.) Job. IX. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Item: v. 20. 21. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit, etiamsi-simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et infra v. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcis omni delinquenti.* Cap. XXXI. 14. *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Dominus, & cum quaesierit, quid respondebo illi?* Ergo Jobus non ausus fuit certitudinem propriae justitiae & gratiae sibi arrogare. *Resp.* 1.) Loquitur Jobus de operum suorum justitia, quod eam non audeat judicio Dei opponere. Quamvis enim fuerit *perfectus, rectus, timens Deum & recedens a malo*; Job. I. 1, tamen agnovit imperfectionem & immunditiem operum justitiae adhaerentem, propter quam coram Dei tribunali eidem confidere nec potuit, neque etiam debuit. 2.) Alia vero quaestio est de promissione gratiae in evangelio oblata, an firma cordis fiducia eam Jobus fuerit amplexus, ac certo statuerit, propter Christum promissum mediatorem se Deo placere, in gratia apud ipsum esse & ex omnibus adversis adeoque ex ipsa morte erutum ad vitam olim resuscitandum esse, ibi certe Jobus non dubitanter, sed plena fidei πληροφορίᾳ pronunciat cap XIX. 25. *Scio, quod redemtor meus vivit, & in novissimo die ex pulvere me suscitabit.* v. 26. *& in carne mea videbo Dominum.* 3.) Ex his facile adparet, quid in specie ad singula Jobi dicta respondendum sit. Cap. IX. 2. *Vere novi* (inquit) *quod ita sit, & quod non justificetur homo coram Domino* (quod nemo coram severo judicii divini examine sit mundus & justus propria scilicet operum suorum justitia.) v. 3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum ex mille.* (ex mille delictorum accusatione ne ad unam quidem respondere poterit) v. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* (Hebraeum sic habet:

Exempla Jobi, Davidis & Pauli. 1.) Job. IX. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.

Ecce

Ecce transibit super me, & non videbo: praeteribit, & non intelligam eum, id est, in judiciis & consiliis suis tam celer est & mirus, tamque subito actiones suas immutat, ut nemo illius rationes agendi deprehendere aut investigare possit) v. 20. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* (si me justum esse affirmare voluero, extorquebit mihi nihilominus culpæ confessionem, cum non ausim dicere, me esse innocentem & absque peccatis.) *Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* (ipsa innocentia mea coram severo Dei judicio aliquid pravitatis admixtum habere deprehenditur.) v. 21. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* (Hebræum sic habet: *perfectus ego, & non noscam animam meam*; id est, tantis me terroribus conscientiæ opprimet, meque ita perturbabit, ut nec ea, quæ pro defensione justitiæ meæ adferri possent, in mentem veniant.) v. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parcis omni delinquenti.* (Hebræum sic habet: *timui omnes dolores meos, sciens, quod non facies me innocentem*, hoc est, quod me non tractes ut hominem innocentem.) Cap. XXXI. 13. *Num contemsi subire judicium cum servo meo &c.* v. 14. *Quid enim faciam, cum surrexit Deus ad judicandum, & cum quaesierit, quid responderem illi?* (hoc est, si adulteriis, injustitiæ & aliis peccatis indulsissem, quid facerem, si Deus aliquando consurgeret ad judicandum, & quid responderem, si visitaret, ut redderet unicuique juxta opera sua? Hæc omnia fiduciam justitiæ propriæ coram Dei judicio subsistere valentis potentissime evertunt, sed certitudinem gratiæ in Christo nobis propositæ non labefactant.

Ps. XIX. Delicta quis intelligit? ab alienis parce servo tuo.

§. C. II.) David Psalm. XIX. 13. *Delicta quis intelligit?* inquit, *& ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Ergo David incertus fuit de justitia & gratia.* Resp. 1.) David non solum incertus fuit de perfectione justitiæ propriæ, sed etiam expresse negavit, se per eam coram Dei judicio subsistere posse. Psalm. XXXII. 6. *Pro peccatorum remissione rogabit ad te omnis sanctus.* Psalm. CXXX. 3. *Si peccata imputare volueris, quis sustinebit?* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Agnovit igitur peccata occulta, defectus adhærentes, absconditam naturæ corruptionem, ideoque peccatorum remissionem humiliter petiit. 2.) At de gratia divina propter Messiam credentibus promissa & remissione peccatorum interim non dubitavit, ita enim magna fiducia pronunciat Psalm. XXXII. 1. *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* (num vero in generali illo adsensu subsistit, quod in ecclesia vigeat donum remissionis, interim vero de speciali adplicatione dubitat? minime vero, sed addit) v. 5. *Dixi, confitebor Domino praevaricationes meas, & tu remisisti*, sive abstulisti, *iniquitatem peccati mei.* Ex hac certitudine de remissione peccatorum efflorescit postea robur illud fidei, quod in Davide adparet Psalm XXIII. 4. *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psalm. XXVII. 1. *Dominus lux mea & salus mea, a quo timebo? Dominus fortitudo vitae meae, a quo trepidabo?* v. 13. *Credo autem me videre bona Domini in terra viventium.* Psalm. XXXI. 1. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Psalm. CXXV. 1. *Qui confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion, non commovebuntur in aeternum.*

1 Cor. IV. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.

§. CI. III.) 1 Cor. IV. 4. dicit apostolus: *nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus, id est, non ideo justus sum, quia bonam conscientiam habeo, fortasse enim Deus videt in conscientia mea id, quod ego ibi non video. Ergo incertus fuit de justitia & gratia.* Resp. 1.) Paulus non tantum dubitat, an sua novitate & suis operibus sit coram Deo justificatus, sed diserte dicit: *In hoc non sum justificatus*, & rationem addit: *qui me judicat, Dominus est*, hoc est, licet conscientia mea me non reprehendat & coram hominibus sim irreprehensibilis: tamen coram Dei judicio non potest illa justitia consistere. Aliam

igitur

igitur apostolus quærit justitiam in obedientia & merito Christi, Phil. III. 9. quam scilicet opponere possit judicio & iræ Dei, ut reconcilietur, adoptetur & acceptetur ad vitam æternam, & de illa justificatione non dubitative pronunciat, sed Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus.* v. 2. *Fide accessum habemus ad gratiam, in qua stamus & gloriamur.* Rom. VIII. 34. *Quis accusabit? quis condemnabit? Deus est, qui justificat.* Non ergo veræ fidei in Christum admit fiduciam & certitudinem suæ justificationis, sed suis operibus non dubitative, sed simpliciter adimit justificationem, non tantum, quæ fecit ante conversionem, sed cum renovatus per Spiritum in novitate eo usque progressus esset, ut dicere posset, *nihil mihi conscius sum*, addit tamen, *in hoc non sum justificatus, quia, qui me judicat, Dominus est*, cujus judicium requirit talem perfectionem, ut qui in uno delinquit, reus sit omnium. Hæc totidem verbis Chemnitius satis nervose & perspicue p. I. exam. pag. 312. Ad hunc locum apostolicum alludit Augustinus lib. III. contra Cresc. c. 3. sic scribens: *Ad existimationem humanam magna testium, qui me noverunt, suppetit copia: ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam cum contra vestras criminationes intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo, magisque ab eo effluentem misericordiae largitatem, quam judicii summum examen exspecto, cogitans quod scriptum est, cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur se casum habere cor, aut mundum esse a peccatis?* 2.) Quid contra Bellarminus? regerit, *hanc expositionem absurditatis convinci ex illis verbis:* Nihil mihi conscius sum: *nam vel significant illa verba: non agnosco in me ulla peccata quasi revera in me existentia & inhaerentia; vel significant: video mea peccata per misericordiam Dei tecta, & ideo existimo, non esse amplius mea, quamvis in me sint & vivant. Si primum, falsum erit, apostolum non fuisse justum coram Deo ex ulla virtute & qualitate. Quomodo enim non est justus ex interiori puritate & virtute, si revera nullum in eo peccatum inhaeret? Si secundum; falsum erit illud:* non in hoc justificatus sum. *Nam si Paulus nihil sibi conscius erat, quia peccata non imputari sibi, & per non-imputationem tecta esse credebat, certe per hoc ipsum justificabatur ex sententia Lutheranorum.* Resp. neuter horum sensuum textui congruit, quando enim apostolus dicit: *nihil mihi conscius sum;* nequaquam ab omni peccato revera inhærente se [illegible]unem esse gloriatur, cum contrarium disertissimis verbis testetur: Rom. VII. 17. *Habitat in me peccatum.* v. 23. *Video aliam legem* (peccati) *in membris meis repugnantem legi mentis meae;* sed a peccatis mortalibus conscientiam vastantibus se immunem esse adserit, perinde ut 2 Cor. I. 12. ad conscientiæ testimonium provocat: *Haec* (inquit) *est gloriatio nostra testimonium conscientiae nostrae.* Nec simpliciter negat se esse justificatum, cum de se & aliis credentibus disertissime pronunciet Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus;* sed *in hoc* se justificatum esse negat, id est, justitiam illam bonæ conscientiæ coram severo judicii divini examine consistere posse negat, cum nondum sit ab omni labe peccati libera. 3.) Pergit Bellarminus, *expositionem nostram repugnare scopo, sive proposito apostoli. Cupiebat deterrere Corinthios a judicio temerario, ad hoc animi propositum nihil pertinet illa ratio. Non justificor ex virtutibus aut qualitatibus meis, sed ex Dei misericordia, non imputante peccata.* Resp. imo vero quid efficacius est ad compescendam temerarii de aliis judicii petulantiam, quam hæc consideratio, quod sint occulta quædam in nobis delicta purissimis Dei oculis obvia, propter quæ non possimus coram ipso consistere, si in judicium nobiscum voluerit intrare, proinde abstinendum esse a temeritate alios judicandi & condemnandi, ne & nos propter nostra peccata judicemur & condemnemur. Luc. VI. 37. 4.) Denique, *expositionem nostram*, dicit, *repugnare expositioni patrum, qui ex hoc loco colligant incertitudinem gratiae,* ubi allegat *Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum & Bernhardum.* Resp. examinentur illæ veterum expositiones in hunc locum, & adparebit, quod non de incertitudine gratiæ, sed de humilitate apostoli textum in-

terpretentur, quod propriis suis operibus & inhærenti justitiæ laudem justificationis coram Deo tribuere noluerit, cum scriptum noviſſet: *delicta quis intelligit?* de fidei justitia & gratia Dei in Christo nobis exhibita, non dubitanter, sed magna παῤῥησία pronunciat apostolus Rom. VIII. 16. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei.* v. 24. *Spe salvi facti sumus.* v. 33. *Deus est, qui justificat.* v. 34. *Quis est, qui condemnet?* v. 38. *Certus sum, quod neque mors, neque vita &c. separare nos possit a dilectione Dei, quae est in Christo Jesu.* 5.) Tiletanus in refut. confess. Antverp. *Particulam:* in hoc, *non ad proxime praecedens, nihil mihi conscius sum, sed ad id, quod longe ante praecesserat, non dijudico me ipsum referendum esse disputat;* nimirum ut effugiat vim argumenti nostri, quod ex hoc loco contra justitiam operum deducimus. *Resp.* Pronomen *hoc* omnium grammaticorum testimonio ad id, quod proxime præcedit, referri solet, ideoque veteres omnes unanimi consensu, quin & Gagnæus (*), theologus Parisiensis, ac Bellarminus ad proxime præcedens referunt. Adde, quod in judicio de se non possit esse magna justitia, at in eo, quod aliquis nihil sibi conscius est, omnino quædam non parva justitia esse videtur, hanc ipsam tamen negat apostolus coram Deo justificare.

Quædam dicta requirunt ex parte nostra varias conditiones, ut justificemur.

§. CII. Cap. 6. incertitudinem gratiæ ex variis prophetarum & apostolorum dictis probare conatur Bellarminus, ubi I.) producit ea testimonia, *quae requirunt ex ex parte nostra varias conditiones, ut justificemur.* Deut. IV. 29. *Cum quaesieris Dominum, invenies eum, si tamen in toto corde eum quaesieris, & in tota tribulatione animae tuae.* 2 Paral. VI. 38 39. *Si conversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu exaudies de cælo.* Esa. I. 16. 17. 18. *Quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite justitiam, &c. si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur, &c.* Ezech. XVII. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet.* Joh. XV. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quae praecipio vobis.* Luc. XIII. 3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Act. VIII. 37. *Si credis in toto corde, licet.* *Haec,* inquit, *& similia testimonia manifeste significant, requiri aliquid in nobis, ut justificemur. Neque adversarii hoc negant, qui, tametsi dicant, remissionem non pendere a conditione operum, neque pœnitentiam aut fidem aut ullum actum nostrum esse causam aut meritum justificationis, tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam seriam, & sine his neminem justificari. At nemo certus esse potest praesertim certitudine fidei, se toto corde conversum esse ad Deum, & fidem ac pœnitentiam habere, qualis requiritur, cum in nulla scriptura ejusmodi testimonium inveniatur de fide & pœnitentia nostra, in particulari igitur nemo certus esse potest certitudine fidei sibi remissa esse peccata.* Resp. de hoc argumento quædam diximus in tract. de pœn. §. 83. & plura de eo dicenda erunt inferius, quando de proprio & adæquato fidei justificantis objecto differemus; hac vice breviter respondemus, falsum esse, quod nemo de seria pœnitentia & fide vera possit esse certus. Cum enim & pœnitentiæ & fidei regula in verbo Dei sit præscripta, utique noverunt vere pii, & quidem certitudine fidei, se vere & serio ad Deum converti, si & pœnitentiam & fidem suam ad hanc regulam conforment, accedit internum Spiritus sancti testimonium, quod ipsos Dei filios esse atteſtatur, jam vero υἱοθεσία sine vera pœnitentia & fide locum habere nequit. Accedunt insuper fructus conversionis, bona scilicet opera, quæ itidem de veritate fidei testimonium perhibent, sicut fructus boni de arboris bonitate. Quamvis vero hæc omnia in infirmitate perficiantur, & cum imperfectione non mediocri sint conjuncta, norunt tamen vere pii, quod *Deus linum fumigans exstinguere & calamum conquassatum confringere* nolit; Esai XLII. 3. Quod imperfecta contritio etiam sit contritio, modo sit seria, quod languida fides itidem sit fides, modo

(*) Jo. Gagnæus edidit *scholia in omnes epistolas Pauli*, Parisiis MDLXIV. 8.

modo ſit vera ac ſincera, quod labem peccati in carne adhuc reliquam propter Chriſti meritum tegere & imperfectioni contritionis, fidei, & novæ obedientiæ benigniſſime propter Chriſtum ignoſcere velit, ideo cum Anshelmo dicunt in libro de miſeria hominis: *Verum eſt, conſcientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem, ſed certum eſt, quod miſericordia tua ſuperet omnem offenſionem*; cum patre lunatici orant Marc. IX. 24. *Credimus Domine, ſuccurre incredulitati noſtrae*; cum diſcipulis ingemiſcunt Luc. XVII. 5. *Domine adauge nobis fidem.* Peccata ſua agnoſcunt, eadem ſerio deplorant, & ex animo deteſtantur, fide in Chriſtum ſeſe erigunt, bonis operibus ſtudent, & quicquid imperfectionis hiſce omnibus adhæret, id propter Chriſtum mediatorem, ſibi condonari & humiliter petunt, & veraciter ſciunt.

Quædam dicta indicant, incertum eſſe, an, qui agit pœnitentiam, conſequatur remiſſionem.

§. CIII. *Secundo* loco producit Bellarminus illa dicta, quæ indicare videntur, *incertum eſſe, an, qui agit pœnitentiam, conſequatur remiſſionem*, ubi cumulat hæc teſtimonia: Dan. IV. 24. *Forſan ignoſcet Deus delictis tuis.* Joel II. 13. 14. *Convertimini ad me toto in corde veſtro &c. Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus?* Jon. III. 9. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus?* Act. VIII. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua & roga Deum, ſi forte remittatur tibi. Haec* (inquit) *& ſimilia, quae ſignificant incertitudinem remiſſionis, non faciunt dubias promiſſiones Dei, quibus promiſit vere pœnitentibus indulgentiam, illae enim certiſſimae ſunt, ſed reſpiciunt incertitudinem noſtrae diſpoſitionis.* Reſp. 1.) Hæc dicta proprie non agunt de peccati remiſſione, ſed de pœnæ temporalis plenaria relaxatione. 2.) Particula *forſan*, non ſemper eſt nota dubitantis, ſed excitantis, animantis ac confirmantis. 3.) Ex qua reſponſione generali facile adparet, quid ad ſingula in ſpecie ſit dicendum. *a.*) Dan. IV. 24. poſita quidem in græca & latina verſione particula dubitandi ἴσως *forſitan*, ſed in textu chaldæo eſt manifeſta adſeveratio הֵן *ecce erit prolongatio paci tuae*, ut vertit Benedictus Arias: *id enim erit ſanitas pro errore tuo*, ut vertit Münſterus. Pagninus vertit, *ſi forte*, ſed nullus in ſcripturis, quantum quidem mihi conſtat, invenitur locus, ubi pro dubitationis nota particula הֵן accipiatur, quin potius prophetæ eam uſurpant de rebus eximiis & certis dicturi, ut auditores reddant attentos, Schindlerus in lexico pentagl. in voce הנן. *b.*) Joel. II. 14. diſerte agitur de pœna temporali. *Quis ſcit, ſi convertatur Dominus & pœniteat eum?* v. 15. *& relinquat poſt ſe benedictionem.* Quamvis enim vere pœnitentibus & culpæ & pœnæ æternæ remiſſio certiſſima ſit vi promiſſionis divinæ, quæ eſt infallibilis & immotæ veritatis; Deus tamen certo conſilio vere pœnitentes quandoque ſubjicit temporalibus calamitatibus, non ſolum communibus illis, ſed etiam ſpecialibus, cujus conſilii rationes expoſitas dedimus ſuo loco. Adparet id cumprimis ex Davidis exemplo 2 Sam. XII. Adde, quod phraſis illa: מִי יוֹדֵעַ, *quis ſciens* non tam dubitantis ſit, quam bene ſperantis & opem Dei deſiderantis, ut adparet ex dictis, in quibus hæc phraſis uſurpatur. 2 Sam XII. 22. Joel. II. 14. Jon. III. 9. qualis idiotiſmus in germanica etiam lingua obſervari poteſt. *c.*) Idem judicium de loco, Jon. III. 9. expreſſe enim additur: *Quis ſcit, ſi convertatur Deus & ignoſcat, & avertatur a furore, ut non pereamus.* *d.*) Act. VIII. 22. uſurpatur particula εἰ ἄρα, quam eſſe quandoque particulam *adſeverantis*, patet ex aliis locis, ſicut & Hebræum אולי, ac Latinum *forſitan* & *forte* de rebus certis & indubitatis ſæpius uſurpantur. 2 Reg. XIX. 4. *Si forte audiat Jehovah Deus tuus omnia verba Rabſaces.* Prov. XXIV. 18. *Ne forte videat Jehovah & diſpliceat in oculis ejus.* Eccles. V. 5 *Ne forte iratus Deus diſſipet.* Joh. V. 46. *Si crederetis Moſi, crederitis forſitan & mihi.* Joh. VIII. 19. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Rom. XI. 21. *Ne forte nec tibi parcat &c.* ſic & hoc loco εἰ ἄρα, id eſt, ὅπως δὴ ut ſane dimittatur tibi, non ἀπορηματικῶς, ſed συλλογιστικῶς. Quidquid ſit, ſi vel maxime concedatur

datur, particulam ἄρα in verbis Petri esse notam *dubitationis*, addendum tamen, quod respiciat pœnam vel temporalem, vel æternam. Si *temporalem*, significatur fieri posse, ut hæc ipsi sive vere sive ficte pœnitentiam agenti condonetur, quandoque enim Deus etiam hypocritis parcit, ut testatur exemplum Achabi. Si *æternam* pœnam respicit, significatur, non ex parte Dei incertam esse pœnitentibus ac credentibus peccatorum remissionem & pœnæ æternæ relaxationem, sed ex parte Simonis Magi de certitudine veræ pœnitentiæ ipsius a Petro dubitatum fuisse. Quid Ambrosius Novatianis hunc ipsum locum urgentibus responderit, vidimus superius.

Quædam dicta admonent, ne simus securi, quasi certissimus de justificatione adepta.

§. CIV. III.) *Tertio* loco producit Bellarminus illa testimonia, quæ admonent, *ut non simus nimium securi, quasi certi simus de justitia jam adepta.* Prov. XXVIII. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* 2 Cor. X. 18. *Non qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Phil. II. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* 1 Petr. I. 17. *In timore incolatus vestri conversamini.* 2 Petr. I. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Si certitudo justificationis pendet ex operibus, utique non erit homo de ea certus mox, atque justificatus est, nec ex sola fide, sed etiam ex operibus certitudo ista pendebit, ac proinde erit tantummodo conjecturalis.* Resp. dicta hæc non sunt ejusdem generis. 1.) Prov. XXVIII. 14. agitur de timore *filiali*, ac præcipitur, ut sit in nobis timor, agnoscens judicium & iram Dei adversus peccata, ut & pia solicitudo in cavendis lapsibus contra conscientiam: prohibentur contra duo peccata valde communia in genere humano, videlicet securitas contemnens iram Dei adversus peccata, & superbia ruens extra metas vocationis, quem esse genuinum hujus dicti sensum, patet ex antithesi addita: *Indurans autem cor suum cadet in exitium;* ille igitur timor Dei commendatur, qui securitati carnali & obdurationi cordis Deum contemnentis opponitur. Aliud vero est timor filialis, aliud dubitatio: neque enim hæ & similes sententiæ, quæ Deum timere jubent, hoc fine proponuntur, ut credentes in dubitationem de gratia Dei conjiciant, sed ut ob oculos sibi ponentes infirmitatem carnis suæ toti a divina misericordia pendeant, nec fiducia donorum insolescant, vel ex securitate carnali in peccata contra conscientiam ruant. 2.) 2 Cor. X. 18. proponitur admonitio contra superbiam, ne quis se ipsum commendet, hoc est, in se ipso glorietur, ut in versu præcedente exponitur, quid vero hoc ad certitudinem fidei infringendam facit? aliud est gloriari in se ac suis operibus, aliud gloriari in Deo & cruce Christi. 3.) Phil. II. 12. non præcipitur dubitatio de gratia Dei præsente, sed pia solicitudo de eadem conservanda & serium studium vitandi lapsus contra conscientiam, quibus & gratia Dei & salute iterum excidimus. Præcipitur diffidentia non de Deo & promissionibus ipsius, sed de nobis ac viribus nostris: prohibetur non fiduciæ certitudo, sed carnalis securitas, hinc idem apostolus, qui cum timore & tremore Philippenses salutem operari jubet, eosdem *in Domino semper gaudere* præcipit, Phil. IV. 4. sibique certo persuasum esse dicit, quod *qui cæpit in eis opus bonum, idem etiam illud sit perfecturus usque in diem Jesu Christi*, utique ergo timor filialis & fidei πληροφορία invicem non pugnant, quin imo tantum abest, ut timor filialis certitudinem gratiæ evertat, ut eandem potius præsupponat. Qui enim timet, ne thesaurum amittat, is de ejus possessione certus est, alias frustra de eo amittendo timeret, cujus possessio nunquam obtigit. Justinus in quæst. & resp. ad orthod. q. XCVIII. p. 351. *Quo est id, quod fidem auctoritatemque apud nos obtinet, præstabilius, eo diligitur magis, quo diligitur magis, eo, qui diligit, ne illo excidat, vehementius timet, tantisper dum est in certamine pro eo, quod diligit, suscepto. Porro certamine soluto una cum illo timor quoque eo, quod carissimum habemus, decidendi solvitur, quo circa ad id usque tempus timor Dei est necessarius, non enim, sicut odium abolet caritatem, impossibile enim est eundem & amare, & odisse, sic etiam*

etiam timor: licet enim eundem & amare & metuere. Φόβος proinde ac τρόμος non notant dubitationem de gratia præsente & Dei dilectione, sed studium pie vivendi & vitandi peccata, quod respectu Dei est filialis reverentia, qua præcepta illius servamus: respectu diaboli est vigilantia, securitati carnali oppositæ: respectu carnis ac mundi est prudentia spiritus & fidelis constantia. 4.) Idem sibi vult Petrus, quando in timore nos versari præcipit; 1 epist. I. 17. nimirum excludit carnalem securitatem & confidentiam in nostris viribus, nequaquam vero certam divinæ gratiæ fiduciam, immediate enim subjungit: v. 18. *Scientes, quod non corruptilibus auro vel argento redemti estis;* v. 19. *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* 5.) Quando 2 Petr. I. 10. jubemur vocationem & electionem nostram certam facere, nequaquam a conditione operum certitudo salutis suspenditur, cum in Græco non addatur per opera vestra, sed jubemur fide intueri promissiones divinas, & ex fide bonis operibus studere, ut & nobis & aliis fidei illius, per quam electi & justificati sumus, veritas manifestetur. Promissio gratiæ est mere gratuita, ac proinde firma, Rom. IV. 16. nec pendet a conditione operum nostrorum; interim tamen fides adprehendens promissionem exserit se per bona opera, quæ de veritate fidei certum postea testimonium ferunt. Opera nostra in se & ex se non sunt tantæ dignitatis, ut fiducia obtinendæ salutis illis possit niti: fidei tamen persuasio ex illis potest argumentum sumere ad spem confirmandam, & sic ratiocinari: Deus ex mera liberalitate dedit gratiam regenerationis & renovationis, idem ergo gratis etiam dabit gratiam glorificationis. Invertimus igitur argumentum ex hoc loco ductum: si fideles studere debent, ut firmam ac certam faciant vocationem & electionem suam; utique etiam possunt eam firmam facere, modo scilicet eo, qui jam est expositus. Hæc omnia clariora erunt ex sequentibus, ubi nos fide sine operibus justificari demonstratum fuerit.

Dicta patrum. §. CV. Cap. 7. profert Bellarminus testimonia patrum, sed pleraque illorum non attingunt statum quæstionis. 1.) Quædam enim oppositæ sunt carnali securitati, & eam solummodo certitudinem excludunt, quæ hominem facit carnaliter securum & negligentem in observatione mandatorum Dei, quamque sibi fingunt abutentes gratia Dei ad peccandum. Jam vero longe aliæ causæ sunt *securitatis* & falsæ persuasionis, quam *fiduciæ* Deo placentis. Causa efficiens *securitatis* est diabolus, qui eam cordibus peccatorum inspirat, deinde natura corrupta, quæ in *defectu* & *excessu* peccat; in *defectu*, quando diffidit promissionibus divinis, ubi tamen certum & expressum verbum habet; in *excessu*, quando secura est sine verbo s. contra verbum, ut adparet in Epicuræis. Est & causa efficiens carnalis securitatis ignorantia verbi & voluntatis divinæ juxta verbum revelatum, ex ea enim oritur incerta quædam opinio de bonitate Dei, quod Deus propitius sit illis, qui non agunt pœnitentiam, vivunt sine timore Dei & fide, &c. Item prosperitas externa, donec enim omnia ex animi sententia succedunt, judicat ratio hominis, se carum esse Deo; denique opinio propriæ justitiæ, qui enim operibus se justificari & vitam æternam promereri statuunt, in securitatem & vanam persuasionem prolabuntur: sed in vera fiducia omnia se habent modo contrario, tantum igitur a carnali securitate distat certitudo fidei de gratia Dei in Christo propositæ, quantum summum cœlum ab infima terra. 2.) Quædam dicta adstruunt, etiam sanctissimos a hac vita non esse sine peccatis, præsertim occultis. Idem & nos dicimus, sed ex eo certitudo gratiæ, quæ non ex nostra dignitate nostrisve meritis, sed ex fide in Christum oritur, haudquaquam evertitur. 3.) Quædam distinguunt inter judicium divinum & mundanum, quod coram oculis & judicio Dei sordidum deprehendatur etiam illud, quod oculis nostris mundum videtur, ex quo perfectio inhærentis justitiæ, nequaquam vero certitudo gratiæ refellitur. 4.) Quædam dicta negant perseverantiæ certitudinem: *absolutam* scilicet illam, quasi non possint renati iterum excidere gratia, si vel maxime sine timore Dei in peccata ruant; interim tamen

tamen gratiæ incertitudinem istæc non introducunt. 5.) Quædam loquuntur de judicio, non quod ex verbo seu promissionibus Dei, sed quod ex præsentibus rebus prosperis vel adversis & ex statu externo sumitur. 6.) Quædam dominant carnalem præsumtionem & propriarum virium confidentiam, quæ sine vera pœnitentia ac fide opinionem ac persuasionem gratiæ divinæ carnales homines induunt. Sed hæc & similia complura nequaquam certitudinem gratiæ in vere credentibus labefactant.

Rationes contra certitudinem gratiæ. 1.) In verbo Dei non continetur illa particularis propositio: Talis vel talis vere est justificatus.

§. CVI. Cap. 8. producit Bellarminus varias rationes, quas vocat egregias. I.) *Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediate contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur; fides enim non est, nisi verbi divini auctoritate nitatur. At in verbo Dei non continetur immediate particularis ista propositio: talis vel talis vere justificatus est exceptis paucissimis. Ergo nemo potest in particulari certus esse de justitia.* Resp. de toto hoc argumento late agetur inferius: ubi de *objecto* proprio & adæquato fidei justificantis disputabitur, hac vice monemus, Bellarminum sibi ipsi contradicere, dum dicit, *non posse aliquid esse certum fidei certitudine, nisi immediate in verbo Dei contineatur, aut per evidentem consequentiam ex eo deducatur.* Si enim hoc verum est, ut est verissimum, ubi locum habent traditiones? quas *tamen pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo suscipiendas esse*, concilium Tridentinum præcipit. Deinde observamus, quod in adsumtione Bellarminus unicum tantummodo membrum removeat, cum tamen utrumque fuisset removendum. Dicendum enim erat, particularem vel potius singularem illam propositionem: quod *hic*, vel *ille*, vel *iste vere sit justificatus*, nec immediate in verbo Dei contineri, nec per bonam consequentiam ex eo posse deduci. Atqui territæ conscientiæ debent hoc modo inferre: Deus veracissimus promisit, juramento confirmavit, & sacramentorum institutione obsignavit, quod omnibus vere pœnitentibus & ad Christum mediatorem fide confugientibus velit peccata remittere, & in gratiam eos recipere. Ego veram pœnitentiam ago, & fide ad Christum confugio. Ergo certus sum, Deum mihi propitium esse. Unde vero probat Bellarminus, neminem de sua pœnitentia & fide certum esse posse? *primo*, inquit, *quia pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud* Jer. XVII. 19. Resp. Hebræa sic habent: *supplantativum* עָקֹב *& anxium, sive perversum est cor hominis, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor & probans renes;* ubi agitur de naturali cordis humani pravitate per lapsum primorum parentum introducta, nequaquam vero de spirituali ejusdem per Spiritum sanctum emendatione. Agnoscunt renati multa esse peccata occulta, adeoque connatam cordis sui pravitatem esse imperscrutabilem, proinde omnem propriarum virium fiduciam abjiciunt; interim tamen luce fidei per Spiritum sanctum in cordibus accensa agnoscunt, pravitatem illam in vera & seria ad Deum conversione emendari cœptam, ac confidunt divinæ misericordiæ in Christo mediatore omnibus vere pœnitentibus paratæ. Adde, quod renati, quamvis ne ipsi quidem horribilem naturæ corruptionem per lapsum protoplastorum introductam satis agnoscere ac deplorare possint; tamen ex verbo tantam habeant connatæ pravitatis cognitionem, quanta ipsis ad veram pœnitentiam sufficit. *Deinde videmus*, inquit Bellarminus, *re ipsa multos falli, qui se putant habere, quod non habent;* ubi adducit exempla *Petri* dicentis: *Paratus sum in carcerem & in mortem tecum ire; Pauli* persequentis ecclesias ex caritate Dei, ut arbitrabatur, vere tamen contra Deum ex ignorantia sævientis, ac *martyrum* inter hæreticos. Resp. *Petrus* non ex fide promissionibus divinis innitente, sed ex temeraria virium suarum præsumtione loquebatur; quemadmodum autem præsumtio peccat in excessu, ita dubitatio in defectu, præsumtio respicit sufficientiam nostrarum virium, nostrarum dispositionum, nostrorum operum, sed vera fiducia respicit Dei misericordiam ac Christi meritum. *Paulus*, contra christianos sæviens, infidelis adhuc

huc erat, a verbo Dei aberrabat & Christum repudiabat, quid ergo mirum, quod opinione sua fuerit deceptus? Idem judicium de illis, qui pro perfidia sua mortem oppetunt; nos autem talem propugnamus fiduciam, quæ sit vere fidelium, hoc est, eorum, qui verbum Dei amant, illud amplectuntur, ex lege peccata sua agnoscunt & deplorant, & in evangelio promissionem gratiæ de Christo adprehendunt, sibique adplicant, atque in posterum ex animo novæ obedientiæ student, quicquid imperfectionis adhæret, id per Christum sibi remitti & humiliter petentes & certo statuentes. Rivius I. de superstit. p. 103. *Si primam illam credis symboli apostolici partem, non est, cur de ultima, hoc est, de resurrectione hujus carnis & vita aeterna venire in dubium possis.*

2.) *Ejusmodi articulus in nullo symbolo habetur.*

§. CVII. II.) *Nemo tenetur certo credere certitudine fidei, sibi remissa esse peccata, cum ejusmodi articulus in nullo symbolo fidei contineatur.* Resp. imo vero in symbolo apostolico habetur hic articulus: *Credo remissionem peccatorum. At*, inquit Bellarminus, *hoc tantum significat, in ecclesia dari baptismum in remissionem peccatorum.* Resp. hoc & ipsi diaboli credunt, nec tamen fidem justificantem habent: accedat igitur oportet specialis adplicatio fiducialis, scilicet adplicatio Christi & in Christo divinæ gratiæ, qua remittuntur peccata. De tota hac re, uti & de eo, an fides cum peccatis contra conscientiam subsistat? suo loco dicetur, quantum sufficit. Instat Bellarminus: *Si ejusmodi fidei articulum haberemus, quo quivis teneretur credere sibi remissa esse peccata; sequeretur, omnem hominem, qui peccat quocunque genere peccati mortalis, continuo fieri haereticum, quia qui voluntarie peccat, non potest credere, se justum esse, nisi falsum dedita opera credere velit.* Resp. articulus de remissione peccatorum juxta scripturæ interpretationem credendus est, ea vero ostendit, in specie nemini peccata remitti, nisi seriam agat pœnitentiam, & fide vera Christum amplectatur, ideo etiam præcedit in symbolo: *Credo in Jesum Christum Dei Filium, &c. passum ac mortuum &c.* jam vero voluntarie peccantes non agunt seriam pœnitentiam, nec fide vera Christum amplectuntur, ergo non debent remissionem peccatorum sibi promittere: infideles igitur & impii, non autem hæretici sunt dicendi: hæreticus enim is est, qui non credit, quod debet credere: at voluntarie peccans non debet credere sibi, quatenus talis est & manet, peccata remitti.

3.) *Non expedit, ut homines habeant certitudinem gratiæ.*

§. CVIII. III.) *Non expedit, ut homines habeant ordinarie certitudinem de sua gratia, quia haec certitudo superbiam, ignoratio vero humilitatem gignit & conservat*, quo refert illud, quod Luc. XVIII. 9. seqq. in parabola ostenditur, *illos, qui confidunt se esse justos, facile se ceteris anteponere.* Resp. 1.) si certitudo gratiæ superbiam gigneret, Deus aliquibus speciali revelatione eam non manifestaret. Sed posterius adserit Bellarminus, neget igitur prius. Non effugit, quando dicit, *Deum praevidere, eos, quibus specialiter id revelat, in caritate & humilitate ita radicatos esse, ut non sit ullum ab elatione periculum;* etenim si certitudo gratiæ ex se gigneret superbiam, semper eam gigneret, adde, quod illis, qui majoribus donis præditi, majores paratæ sint a diabolo insidiæ, unde apostolus de se testatur: 2 Cor. XII. 7. *Ne magnitudo revelationum me extolleret, datus est mihi stimulus carni, angelus satanae, ut me colaphizaret, ne extollerer;* proinde certitudo gratiæ magis in illis, qui præ reliquis potioribus donis prædita, superbiam gigneret. 2.) Distinguimus autem inter justitiam *legalem* & *evangelicam;* illa est *inhaerens* & habitualis, hæc vero *imputata.* Persuasio justitiæ *inhaerentis* extollit hominem, ut adparet in exemplo Pharisæi; sed justitia *imputativa*, cum sit mere gratuita, in Deo quidem nos confidentes, at in nobis humiles & demissos efficit, nec ulla ratione vel adversus Deum superbiendi, vel supra alios sese extollendi materiam præbet. 3.) Quo pertinent egregia illa dicta Augustini in Psalm. LXXXV. *Si dixeris te esse sanctum ex te, superbus es, rursus*

rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Itaque ut nec superbus sis, nec ingratus, dic Deo tuo: sanctus sum, quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui. Serm. XXVIII. de verb. Domini. *Omnia peccata tua tibi dimissa sunt, ideo praesume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim estis salvati, inquit apostolus: non ergo hic arrogantia est: praedicare, quod acceperis, non est superbia, sed devotio.* 4.) Hæc ergo duo probe consistere possunt, ut credas certo tibi remissa esse peccata, quod est fidei; & nihilominus agnoscas, quod tam liberali gratia indignus sis, quod est humilitatis. Potes adoptari a divite in hæreditatem & datis codicillis esse certissimus; interim vero humiliter agnoscere, te hæreditatem illam non esse promeritum. 5.) Hosius in lib. de auctorit. scripturæ fol. 218. Bellarmini propositionem, quod certitudo gratiæ superbiam gignat, tali similitudine declarat: *Si quis persuasum habet, apud regem aut principem se esse in gratia, quamlibet animi sui adfectionibus imperare sciat, effugere tamen vix potest, quin animus efferatur. Estne verisimile, quod quivis de vulgo, si certe scire queat, se esse in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine sibi cavere possit?* At inverti potest hæc similitudo: cum enim rex vel princeps quispiam certam promittit gratiam alicui ex ministris, & id non nudis tantum verbis, sed diplomate & sigillis confirmatam; non vult, ministrum de promissa gratia dubitare, sibique diffidere, nec vult promissionem suam in dubium vocari ac fallacem reputari. Distinguendum igitur est inter *abusum* & *usum* gratiæ. Princeps non vult de gratia sua dubitari, ejusdem tamen abusum ad insolentiam, ad oppressionem aliorum, &c. serio detestatur. 5.) Aliud est insolentia *pharisaica*, aliud *filialis* & *christiana* fiducia. Pharisæi, & qui ipsis similes, superbiunt in dignitate operum suorum, insolescunt & intumescunt opinione propriæ justitiæ & meritorum suorum. Vere pii exsultant non in suis operibus, nec in propria justitia, sed in operibus alienis & in justitia Christi, quod ad sua opera attinet, humilimi sunt, agnoscentes suas sordes & nævos. 6.) Quare cum Bellarminus nullam aliam, quam *inhaerentem* & operum justitiam agnoscat, recte facit, quod de gratia Dei dubitandum esse docet; rectius faceret, si de propria justitia non solum dubitandum, sed etiam plane desperandum esse doceret, ut hoc ipso excitarentur ac compellerentur vere contriti ad quærendam aliam justitiam, quæ in evangelio adfertur, & fide in Christum ad remissionem peccatorum imputatur, quæ sola coram Dei judicio subsistit. 7.) Denique non ignoratio vel dubitatio de gratia Dei, sed timor filialis in vera humilitate pios conservat, jam vero cum fiducia illa certa, quam propugnamus, timorem filialem conjunctum esse docemus.

§. CIX. IV.) *Re ipsa fidelibus ejusmodi certitudo non adest; primo quia quibusdam singulari beneficio revelatam esse constat, ipsis remissa fuisse peccata, videlicet Antonio, Gallae & Francisco, at revelatio haec inanis esset & nulla praerogativa, si fidelibus omnibus haec notitia esset communis: deinde quia constat, alios quosdam aliosque in perfectissimos in obitu suo propter hoc incertum non mediocriter trepidasse, exempli gratia, Hilarionem, referente Hieronymo, & alios patres sanctissimos, referente Iohanne Climaco: denique idem comprobat experientia haereticorum hujus temporis, qui cum omnes hanc certitudinem jactent, ipsorum tamen sententia plurimi falluntur.* Resp. 1.) Deus certis quibusdam hominibus, quorum mentionem facit scriptura sacra, (de reliquis enim non adeo sumus soliciti,) gratiam suam confirmavit, non quod reliquos vere credentes de ea dubitare vellet, sed ut tum illi in tentationibus, quas præ reliquis sustinuerunt graviores, de ea certiores redderentur, tum vero ut ipsorum exemplo & alii in fide erigerentur. *Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt:* Rom. XV. 4. & ad Petrum dicitur: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, tu autem conversus confirma fratres tuos.* Luc. XXII.

4.) Fidelibus non adest ejusmodi certitudo.

XVII. 32. Paulus sibi misericordiam contigisse scribit πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν. 1 Tim. I. 16. Idem etiam exemplum Abrahæ, qui *contra spem in spem credidit, & non haesitavit diffidentia*, imitandum nobis proponit. Rom. IV. 18. Auctor epistolæ ad Hebræos c. VI. 12. vult *nos imitatores esse eorum, qui fide & patientia haereditarunt promissiones.* Ut paralytico & mulieri peccatrici dictum: *remissa tibi sunt peccata tua;* ita cuivis vere pœnitenti in evangelio dicitur: confide, remissa tibi sunt peccata tua, quod & Spiritus sanctus in cordibus piorum suo testimonio confirmat. Est igitur in argumento fallacia *finis.* 2.) Quod sanctissimi quidam, in agone præsertim, trepidant, nequaquam probat de gratia dubitandum esse, sed fidei infirmitatem & luctam carnis adversus spiritum arguit, in qua lucta spiritus tandem vincit, ut adparet in exemplis Jacobi patriarchæ: Gen. XLIX. 18. *Domine exspectio salutare tuum,* Simeonis: Luc. II. 29. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Pauli apostoli 2 Tim. IV. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. &c.* Ambrosii apud Paulinum in ipsius vita: *Non mori timeo, quia bonum habemus Dominum*; adeoque ipsius Hilarionis, qui, referente Hieronymo in ipsius vita, morti adpropinquans dixit: *Egredere anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? septuaginta prope annos servisti Christo, & mortem times?* Martini episcopi, qui, referente Sulpitio in ipsius vita, diabolo sibi adstanti magna fiducia dixit: *Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies, Abrahae sinus me excipiet:* est igitur in argumento fallacia *causae.* 3.) Hæreticos certitudinem fiduciæ jactantes falli, eo quod errores in fundamentum fidei impingentes defendunt. Regerit quidem Bellarminus, *errores illos tantum esse in fide historica, & non in fide justificante;* sed ex eo non evertitur nostra responsio, est enim una tantum fides justificans, quæ & notitia & adsensus & fiducia est; ratione *notitiae & adsensus* objecti loco habet totum Dei verbum & omnes fidei articulos; ratione *fiduciae* objecti loco habet promissionem gratiæ. Fieri ergo non potest, ut veram justificantem fidem habeat, qui ipsum justificantis fidei fundamentum evertit, & in aliquo articulo fidei proprie & κυρίως sic dicto pervicaciter erret; quomodo enim potest Christi justitiam vera fide sibi adplicare, qui Christum in verbo suo mendacii arguit? Est igitur in argumento fallacia *consequentis.* Fiducia gratiæ apud hæreticos vana est & noxia. Ergo etiam apud pios & vere christianos. Ex particulari non potest inferri universale: hæreticorum fiducia est vana. Ergo omnis fiducia etiam vere piorum est vana. Distinguenda sunt *subjecta* fiduciæ, alia enim est hæreticorum, alia piorum fiducia. *Haeretici* impias & blasphemas opiniones semel conceptas pertinaciter propugnant, ac simul vanissimam illam persuasionem retinent, se æternam vitam consecuturos: *Epicuraei* itidem talem certitudinem sibi fingunt, quamvis sceleratissime sine ulla pœnitentia vivant, se tamen esse in gratia apud Deum, & fore hæredes vitæ æternæ. Sed longe alia est *piorum* fiducia, illi nec docent nec amplectuntur impias & blasphemas opiniones, sed aversantur eas tanquam pestem animæ præsentissimam, amplectuntur autem solam Christi unici pastoris sui vocem in propheticis & apostolicis scriptis sonantem: deinde agunt pœnitentiam, agnoscunt & deplorant peccata, eademque serio detestantur, fide etiam statuunt, sibi propter Christum peccata condonari, & in hac fide inchoant novam obedientiam, talium fiducia non est vana. Vide plura de hoc argumento apud Siegfrid. Saccum in libr. de dubitatione cap. 6. argum. 1. ubi excutitur ambiguitas, quam in vocabulo *haereticorum* Pontificii occultant.

SECTIO II.

DE VARIIS FIDEI DIVISIONIBUS.

Divisiones fidei.

§. CX. Atque hæc in genere de fidei justificantis definitione dicta sint, quod sit non solum notitia & adsensus, sed etiam fiducia, vel quod idem est, ex agnita divini verbi veritate, eademque adsensu comprobata, divinæ gratiæ in verbo

verbo evangelii propter Christum mediatorem promissæ fiducialis adprehensio. Antequam vero causam efficientem, objectum sive materiam circa quam, formam & effectum fidei justificantis exponamus, præmittendæ erunt variæ *divisiones* fidei. I.) Fidem dicimus aliam *historicam*, aliam *miraculorum*, aliam *justificantem*. Fides *historica* est, qua credimus vera esse, quæ in verbo Dei revelata sunt. Fides *miraculorum* a quibusdam statuitur duplex: *activa & passiva*. *Activa* est peculiare donum Dei, per quam fiducia potentiæ divinæ miracula operantur, qui ea sunt instructi. 1 Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam*, &c. *Passiva* est confidentia illa, qua statuit quis, se participem fore beneficiorum, quæ per miracula contingunt. Act. XIV. 9. *quidam Lystrensis fidem habet, se a Paulo sanatum iri.* Fides *justificans* est fiducialis adprehensio divinæ misericordiæ propter Christum promissæ. Bellarminus libr. I. de justific. cap. 4. hanc divisionem improbat, ac *eandem historicam, miraculorum & promissionum unam & eandem esse docet*, cui opponimus hoc argumentum: Quorum unum ab altero abesse potest, ea non sunt *essentialiter* unum. Atqui a fide historica & a fide miraculorum abesse potest fides justificans. Ergo ea non sunt *essentialiter* unum. *Minoris* veritas est manifesta quoad utramque partem: quamvis enim fides justificans prærequirat notitiam & adsensum sive fidem historicam, ac proinde a fide justificante non possit abesse fides historica, tamen a fide historica abesse potest fides justificans, ut patet exemplo hypocritarum, qui norunt & profitentur evangelii veritatem, nec tamen fiducialiter adprehendunt Christum. Sic a fide justificante potest abesse fides miraculorum, multi enim vere in Christum credentes dono miraculorum non sunt instructi; & vicissim a fide miraculorum potest abesse fides justificans, ut constat ex dicto Christi Matth. VII. 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* v. 23. *& tunc confitebor illis: non novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Itemque ex pronunciato apostolico 1 Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.* Certe fidei historicæ ac fidei miraculorum non possunt tribui insignes illi effectus, quos supra recensuimus, §. 71. membro 8. Ergo fides justificans, cui disertis verbis tribuuntur, non erit eadem cum fide historica & fide miraculorum: quorum enim natura, definitio, proprietates & effecta differunt, ea non possunt *essentialiter* esse eadem. Caritatem a fide miraculorum abesse posse, docet Bellarminus libr. I. de grat. & lib. arbitr. cap. 10. Disputat etiam Bellarminus d. l. *fidem historicam commodius vocari dogmaticam*, juxta Cyrillum catech. V. & Chrysostomum hom. XXIX. in 1 Cor. XII. sed res eodem redit; dicitur enim fides *historica*, non quasi res gestæ in scripturis propositæ tantum propter ipsius historici auctoritatem credantur, (quod adpellatione ea denotari frustra suspicatur Bellarminus) sed quia in *objecto* fidei continentur non solum dogmata, sed & historiæ; *dogmatica* fides dicitur, quia in objecto ejus continentur non solum historiæ, sed & dogmata, articuli fidei vulgo dicta; de qua re postea distinctius agetur.

1.) *In historicam, miraculorum & justificantem.*

An fides historica, miraculorum & promissionum sit unum quid?

§. CXI. II.) Apostolus 1 Tim. I. 5. mentionem facit *verae fidei* πίστεως ἀνυποκρίτου, innuit igitur, aliam esse fidem fictam sive *hypocriticam*. Fides *vera* est fiducialis adprehensio Christi, *quae per caritatem efficax est*; Gal. V. 6. a qua tam non possunt separari bona opera, quam a sole lux, ab aqua humiditas; *hypocritica* igitur & ficta fides erit, quæ ab omni pietate remota sola professione & jactantia definitur, quam a nobis prædicari Tridentini patres contra conscientiæ suæ testimonium adserunt. Augustinus in libr sententiarum, sent. 8. eam sic describit. *Fides sine caritate est, cum quis dicit: Credo vera esse, quae dicis de Deo & ipsius verbo, & ea possem adsequi, si vellem, sed*

2.) *In veram & hypocriticam.*

sed nolo. Fides sine spe est, cum quis dicit, ea vera esse credo, quae dicis de Deo ejusque verbo, & volo ea adsequi, sed non possum. Fides sine utraque est, cum quis dicit: Credo vera esse, quae dicis de Deo ejusque verbo, sed ego ea capere neque volo neque possum. Vera autem & justificans fides spem & caritatem perpetuos habet comites, ac per dilectionem operatur. III.) Adfinis est huic distinctioni inter fidem veram & hypocriticam Iacobi apostoli distinctio inter fidem *vivam* & *mortuam*. Fides *viva*, cum Christum vitæ auctorem amplectatur, per opera spiritualis vitæ exterius sese exserit; sed *fides, quae non habet opera, mortua est in semet ipsa*, Iac. II. 17. Bernhardus serm. II. de resurrect. col. 133. *Fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est: opera, quae dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me. Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam adserit in semet ipsa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis anima est, per quam movetur & sentit, vita vero fidei caritas est, quia per illam operatur, unde & refrigescente caritate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum & fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitae illius argumenta.*

3.) *In vivam & mortuam.*

§. CXII. IV.) Ratione graduum fides alia dicitur *parva* & modica, quæ cum dubitatione non mediocri adhuc conjuncta, qualis tribuitur discipulis Christi, Matth. VIII. 26. XVI. 8. qui in marina tempestate animis fluctuabant, nec plena cordis fiducia sese ac salutem suam Christo credebant, quique, panum ex incuria obliti, de sui cibatione angebantur ac soliciti erant. Talis ὀλιγοπιστία tribuitur etiam illis, qui ex solicitudine dicunt, *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Matth. VI. 31. Item Petro, qui in mari ambulans & exorto vento valido mergi incipiens clamabat: *Domine salvum me fac* Matth. XIV. 31. Dicuntur autem ὀλιγόπιστοι vel quorum fides est exigua, infirma & languida, vel qui Deo non multum, nec multa, nec magna, sed parum, pauca & exigua vix concredere & fidere possunt. Est igitur duplex fidei *infirmitas:* una respectu *graduum*, (de qua hoc loco agimus) quando scimus, quæ credenda sint, fide tamen non ita firma ac robusta illis adhæremus: altera respectu *objectorum*, quando firmiter adhæremus his, quæ scimus & credimus; interim adhuc alia supersunt credenda, quæ nondum percepimus, hoc pacto, qui adhuc servabant ciborum delectum & alias ceremonias legales una cum evangelio, dicuntur ab apostolo *infirmi in fide*, Rom. XIV. 1. Huic infirmæ & languidæ fidei opponitur fides *magna*, quæ cum insigni fiducia est conjuncta, unde in tentationibus subsistit & victoriam gloriosam reportat, talis erat mulieris Cananeæ, Matth. XV. 28. quæ in gravissima lucta variarum tentationum victrix erat; item centurionis Capernaitici, qui ad Christum dicebat: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic verbum unum, & sanabitur puer meus*, Matth. VIII. 8. de quo Christus hoc elogium profert: *non inveni τοσαύτην πίστιν, tantam fidem, in Israel.* v. 10. Huc pertinet, quod Petrus nos *fortes* esse *in fide* jubet; 1 epist. V. 9. Paulus meminit *fidei supercrescentis*; 2 Thess. I. 3. & apostoli precantur: *Domine adauge nobis fidem,* Luc. XVII. 5. V.) Ex parabola Christi de semine in quadruplicem terram projecto, Matth. XIII. Marc. IV. Luc. VIII. colligi potest, quod quædam fides sit πρόσκαιρος *temporaria*, quædam vero *stabilis* & perseverans, inde apostolus hanc præscribit regulam 1 Tim. I. 19. *Milita bonam militiam, habens* sive retinens *fidem & bonam conscientiam.* Et Filius Dei graviter monet: Apoc. III. 11. κράτει, ὃ ἔχεις, *fortiter tene, quod habes.*

4.) *In parvam & magnam,*

5.) *In temporariam & perseverantem.*

VI.) Dicitur etiam fides alia *perfecta*, alia vero *imperfecta*. Perfectio tribuitur fidei vel ratione *generis*, videlicet perfectæ notiæ,

6.) *In perfectam & imperfectam.*

tiæ, pleniſſimi adſenſus, firmæ & omnem dubitationem excludentis fiduciæ, vel ratione *objecti*, videlicet eorum, quæ credenda proponuntur. Illam vocant *intenſivam* perfectionem, ad quam in hac vita adſpirare non poſſumus, hanc vero *extenſivam*.

§. CXIII. VII.) In ſcriptis Lutheri occurrit illa diſtinctio, quod fides alia ſit *concreta*, alia *abſtracta*. Tom. IV. Lat. fol. 86. *Diſtinguere ſolemus fidem hoc modo, quod fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Ut enim artifex varie de ſua materia & hortulanus de arbore vel nuda vel geſtante fructus loquitur, ita & Spiritus ſanctus in ſcriptura varie de fide loquitur, jam de fide, ut ſic dicam, abſtracta ſeu abſoluta: jam de fide concreta, compoſita ſeu incarnata. Fides abſoluta ſeu abſtracta eſt, quando ſcriptura abſolute loquitur de juſtificatione ſeu de juſtificatis, ut cernere eſt in epiſtolis ad Romanos & Galatas. Quando vero ſcriptura loquitur de praemiis & operibus, tunc de fide compoſita, concreta ſeu incarnata loquitur*, ut: hoc fac & vives. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Declina a malo & fac bonum*, Tom. I. fol. 151. *Dicta, quae de tota vita chriſtiana ſeu de fide incarnata loquuntur, non debent trahi contra partem, id eſt, contra fidem ſolam juſtificantem.* Neander in theol. cap. de fide pag. 546. *Omnia dicta ſcripturae, quae operibus aliquid tribuere videntur, de fide compoſita, concreta ſeu incarnata intelligenda ſunt, ubi quod ſolius fidei eſt, operibus tamen tribuitur propter fidem in concreto*, &c. *& cuncta dicta ſcripturae, quae videntur aliquid tribuere operibus, praeſupponunt fidem, ita ut ejus virginitas & divinitas illibata maneat, & integra & Deo ſoli univerſa detur gloria, & qui gloriatur, in ſolo Domino glorietur.* Hæc Lutherus, quæ petita ſunt ex regula theologica: *fides ſola juſtificat, quamvis nunquam ſit ſola;* hoc eſt, a bonis operibus ſeparata, cujus diſtinctionis & regulæ uſus in diſputatione de juſtitia fidei & meritis operum ſuo loco adparebit.

7.) *In concretam & abſtractam.*

§. CXIV. At cum tot exſtent fidei diviſiones, quomodo conſtabit pronunciatum apoſtolicum Eph. IV. 5. *Una eſt fides?* Diſputat hac de re Auguſtinus libr. XIII de Trin. cap. 2. *Fides* (inquit) *communis eſt, non ſicut aliqua corporis forma communis eſt ad videndum omnium oculis, quibus praeſto eſt, ſed ſicut dici poteſt omnibus hominibus eſſe facies humana communis; nam hoc ita dicitur, ut tamen ſinguli ſuas habeant. Ex una ſane doctrina impreſſam fidem credentium cordibus ſingulorum, qui hoc idem credunt, veriſſime dicimus, ſed aliud ſunt ea, quae creduntur, aliud fides, qua creduntur; illa quippe in rebus ſunt, quae eſſe vel fuiſſe vel futura eſſe dicuntur, haec autem in animo credentis eſt, ei tantum conſpicua, cujus eſt, quamvis ſit & in aliis, non ipſa, ſed ſimilis: non enim numero una eſt, ſed genere, propter ſimilitudinem tamen & nullam diverſitatem magis unam dicimus eſſe, quam multas. Nam & duos homines ſimillimos cum videmus, unam faciem dicimus, & miramur amborum. Facilius itaque dicitur, multas animas fuiſſe ſingulas utique ſingulorum, de quibus legimus in actibus apoſtolorum, quod eis fuerit anima una, quam ubi dixit apoſtolus, una fides, tot eas audet quisquam dicere, quot fideles, & tamen, qui dicit: O mulier magna eſt fides tua; & alteri, modicae fidei, quare dubitaſti? ſuam cuique fidem eſſe ſignificat. Sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una, cum & in ipſis, qui hoc idem volunt, ſua voluntas ſit cuique conſpicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit.* Hæc Auguſtinus. Dicimus igitur fidem eſſe unam: 1.) ratione *objecti*, quia doctrina fidei eſt una atque eadem omnibus ad credendum propoſita. Thomas 2. 2. quæſt. 5. artic. 5. *Formale objectum fidei eſt ſimplex & unum, ſcilicet prima veritas, ſecundum hoc fides eſt una.* 2.) Ratione *generis*, tenuis & infirma fides non minus cum adſenſu & fiducia conjuncta eſt, quam firma & robuſta fides. Petrus II. epiſt. I. 1. Omnes fideles *fidem ἰσότιμον aeque pretioſam habere* pronunciat, nimi-

Quomodo fides ſit una?

nimirum ratione generis & objecti. Infirma enim fides itidem adprehendit Christum, ut fortis, licet non eodem gradu. Non est una fides 1.) ratione *subjectorum*, quia alia fides est in Petro, alia in Paulo. 2.) Nec ratione *numeri*, quia tot sunt fidei dona, quot credentes. 3.) Nec ratione *graduum*, quia alia est fides fortis, alia vero languida & imbecillis. Quamvis igitur fides ipsa in renatis sit una atque eadem, Eph. IV. 5. tamen fidei mensura non est eadem, sed *unicuique divisit Deus mensuram fidei;* Rom. XII. 3. aliis datur major, aliis minor, unde nec in illis, quæ ex fide oriuntur, pares sunt fideles, utpote in cognitione, dilectione, ac timore Dei, in spe, dilectione proximi, patientia ac studio pietatis, &c.

§. CXV. Præter has fidei divi-

Divisiones fidei ex Scholasticis. 1.) In implicitam & explicitam.

siones ex scripturis petitas alias proferunt Scholastici. *Primo* enim aliam fidem dicunt esse *implicitam*, aliam vero *explicitam*. Gabr. Biel III. sent. dist. 25. quæst. 11. *Fides* explicita *est actualis adsensus catholicae veritatis sive universalis, sive particularis, ut adsensus illius: canon bibliae est verus. Christus cibavit quinque millia quinque panibus. Fides implicita est fides habitualis, aut actualis adsensus alicujus propositionis generalis multas particulares veritates in se includentis, ut: omne contentum in scriptura sacra est verum.* Et postea: *Fides implicita, qua fidelis credit, quicquid ecclesia credit utilissima est fideli, nam si fuerit in corde, defendit ab omni haeretica pravitate, ut dicit Occamus tract. de sacramento cap. 1.*(*). Quæ vero sunt illa particularia, quæ omnes, etiam minores, ut loquuntur, *explicite* credere tenentur? Respondent Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. & Gabr. Biel l. d. *tria esse, videlicet, quod Deus sit, quod remunerator sit, quod redemtor sit.* Cum vero articulus incarnationis præsupponat articulum Trinitatis, siquidem in mysterio incarnationis continetur, quod Filius adsumserit carnem & conceptus sit a Spiritu sancto, ideo addunt *articulum Trinitatis non minus explicite credendum*, quod in deitate sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & hi tres unus Deus; addunt tamen, *sufficiens esse, si credatur hoc confuse seu generaliter, non autem distincte.* Porro quod minores non teneantur ea omnia explicite credere, ad quæ particulariter credenda tenentur majores, ita probat Biel: *Qui habet officium in ecclesia, tantum scire tenetur, quantum pertinet ad suum officium, doctrina autem sine particulari expressione articulorum fieri non potest, ergo qui habet officium, tenetur articulos fidei particulariter & explicite credere. Deinde simplices non habent nisi se ipsos regulare. Ergo sufficit eis illos articulos explicite credere, per quos possunt propriam intentionem dirigere in ultimum finem. Denique ad*

(*) Circumfertur vox hæretici Apellis: *Sat esse credere in crucifixum, neque oportere omnino fidei discuti rationem.* Eusebius libr. V. cap. 13. ex Rodone. (†). GERHARDUS.

(†) Scilicet, hæc verba, quæ EUSEBIUS *loc. cit.* refert, RHODON ex ipso APELLE audivit in colloquio cum ipso instituto. Fuit vero APELLES iste unus ex discipulis atque adsecla MARCIONIS, notissimi hæretici, qui seculo secundo pravis suis ac perversis sententiis christianorum cœtus perturbavit. Si integra verba EUSEBII (quorum nonnulla tantum hoc recitavit GERHARDUS noster) inspiciamus, statuit APELLES, *non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare debere. Eos, qui in crucifixum spem suam collocassent, servandos esse, dummodo in bonis operibus aeprehenderentur.* Cæterum adsecla huius APELLIS adpellari alias solent *Apelliani, Apellitæ*. itemque *Apelleiani*, adnotante COTELERIO *tom. I. monumentor. eccles. Græcæ p.* 772. Sunt vero præter errorem modo narratum alii quoque, quos *Apelliani* disseminarunt. Legi de iis merentur ex recentioribus THOM. ITTIGIUS in *dissert. de haresiarchis ævi apost. sect. II. cap. VIII. §. 2.* IO. ALB. FABRICIUS in *notis ad Philastrium p.* 57. SEBAST. NANUS TILLEMONTIUS in *memoires pour servir à l'histoire eccles. ast. tom. II. part. II. p.* 209. ISAAC DE BEAUSOBRE in *histoire de Manichée p.* 498. & cum primis ven. WALCHIUS, theologus hodie Gœttingensis, in *dem Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien, part. I. pag.* 530. *seqq.*

impossibile nemo obligatur, sed rudes saepe non sciunt, quid persona, quid natura. Gregorius de Valentia tom. III. disp. 1. quæst. 2. fidem *implicitam* definit: *cum adsensum alicujus veritatis non habemus secundum se ipsam, sed habemus illum quasi implicitum in alio actu nostro, qui habet aliud immediatum objectum. Explicatam de aliqua veritate habere dicimur, cum elicimus adsensum immediate circa ipsam.* Alii brevius describunt fidem implicitam, quod credat ea, quæ credit ecclesia, puta Romana, & ejus caput pontifex Romanus, inde Gregorius de Valentia in analysi de eccles. p. 205. commendat Mercatorem Placentinum ita ratiocinantem: *Mecum sic statuo, velle me pontificiam potius quam Lutheranam religionem amplecti, ob id inprimis, quia illic compendio quodam discere possum veritatem, videlicet si ajo, quod ait pontifex; nego, quod negat pontifex: rursum ait ille, annuo & ego. Hic vero si Lutheranus fieri vellem, catechismus mihi discendus & scriptura scrutanda esset, quod equidem facere non possum, cum potius Italicae naves mihi observandae & transmarinae merces investigandae sint;* & addit Valentia pag. 207. *Deum nihil omnino habiturum, quod in tremendo illo judicio opponere possit* (*). Resp. Quamvis sint gradus cognitionis, non solum in diversis credentibus, (siquidem a docentibus major & exactior divinorum mysteriorum notitia & scripturæ intelligentia requiritur, quam ab auditoribus) sed etiam in uno eodemque credente, siquidem in cognitione verbi pium quemlibet oportet quotidie crescere; absit tamen, ut fidem illam implicitam ac illicitam, quæ est mera articulorum fidei ignorantia, commendare velimus, cum Spiritus sanctus fidem desiniat per spiritualem σύνεσιν Matth. XIII. 19. per ἐπίγνωσιν, Col. I. 9. Tit. I. 1. *ac velit, quosvis semper paratos esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est, spe:* 1 Petr. III. 15. Cum commendentur Beroenses, quod non solum *susceperint verbum μετὰ πάσης προθυμίας, sed etiam scrutati fuerint scripturas quotidie, num haec ita se haberent.* Act. XVII. 11. Cum *beati* pronuncientur, *qui in lege Domini meditantur die ac nocte,* Psalm. I. 2. Cum *omnes* jubeantur *cavere pseudoprophetas,* Matth. VII. 15. *probare spiritus,* 1 Joh. IV. 1. *& Christi vocem ab aliena discernere.* Joh. X. 5. Cum hoc nomine apostolus *gratias D. agat,* quod Corinthii *in omnibus divites facti in Christo in omni verbo & in omni scientia,* 1 Cor. I. 5. Cum *omni collato studio adjicienda sit fidei nostrae virtus, virtuti vero γνῶσις* 2 Petr. I. 5. Denique cum *verbum Christi in omnibus vere piis habitare debeat abundanter in omni sapientia* juxta *praeceptum apostoli.* Col. III. 16.

§. CXVI.

(*) Collegium Anglo Rom. annot. in Luc. XII. 11. num. 3. *Idiota catholicus cum pro tribunali steterit de causa fidei examinandus, etsi tantum responderit, se esse virum catholicum, & ecclesiam ipsam, quam profiteretur, posse fidei rationem reddere, nec quicquam praeterea aliud responderit, satis viri catholici muneri faciet.* Hæc est fides illa *carbonarii,* cujus exemplum laicis præsertim & mulierculis ad imitandum proponitur, qui interrogatus, quid crederet, respondit, *se credere, quod credit ecclesia, & ecclesiam itidem credere, quod ipse crederet* (†), atque ita hoc circulo totam fidei suæ confessionem concluſit, de qua vide Espencæum comm. in 2 Tim. III. ubi testes hujus historiæ citat, Erasmum libr. de præparat. ad mort. Piggium libr. I. hierarch. eccles. cap. 5. Hosium de auctor. script. libr. III. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 7. *Maxima pars fidelium vix quicquam animo concipit praeter sonum verborum, & tamen inter fideles merito numeratur, cum fatetur se credere Deum esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum juxta sensum ecclesiae.* Libr. VI. de grat. & lib. arbitr. cap. 3. *Catholici fidem habent omnino certam & infallibilem, quoniam credunt id, quod credunt, quia Deus revelavit. Deum autem revelasse credunt, quoniam ecclesiam ita dicentem vel declarantem audiunt, quam errare non posse non temere credunt.* GERHARDUS.

(†) Licet multi ex ecclesiæ Romanæ sectatoribus hanc de fide *implicita* & *carbonaria* amplexi sint opinionem, plerosque tamen commenti adeo absurdi hodie pudet. Quin nonnulli dissertis verbis fatentur, adsensum aliqualem rerum credendarum cognitionem supponere. Legenda, quæ hanc in rem differunt fratres WALLENBURCHII *oper. tom. II. tract. II. cap. LXIV. p. 46. & tract. VII. cap. LXXIV. p. 471.*

§. CXVI. *Deinde* distinguunt inter fidem *infusam* & *acquisitam*. Scotus III. sent. dist. 23. introduxit hanc divisionem (*), quam hoc modo declarat Gabr. Biel: *Fides acquisita est habitus naturaliter acquisitus ex actibus credendi frequentatis. Fides infusa est habitus a Deo supernaturaliter & immediate in animo creatus. Fidem infusam poni praeter acquisitam, expressum est per scripturam* Hebr. XI. *Impossibile est Deo placere sine fide, sed multi placuerunt Deo sine fide acquisita, ut infantes baptizati. Item: justus ex fide vivit,* Rom. I. *& per fidem justificamur* Rom. III. *haec non possunt intelligi de fide acquisita, quae est etiam in daemonibus.* Vide uberiorem hujus divisionis declarationem apud Bielem III. sent. dist. 23. q. 2. art. 2. Lutherus sæpius eam exagitat, tom. I. Lat. Jen. fol. 523. in Gen. XXII. tom. II. fol. 204. & alibi passim, neque id immerito: præterquam enim quod nec *infusam*, nec *acquisitam* fidem per fiducialem Christi adprehensionem definiunt, sicque animam (ut ita loquar) fidei tollunt; accedit insuper hoc, quod fidem acquisitam vocant habitum naturaliter acquisitum, cum tamen non in infantibus solum, sed etiam in adultis fides sit donum Dei. Adde quod hypothesis hujus distinctionis sit erronea. *Sicut salvandis omnibus* (ait Biel III. sent. dist. 25. q. 11. art. 2.) *necessaria fuit infusa fides pro quolibet statu ecclesiae, ita & actus fidei adultis utentibus ratione. Vt enim anima non placet Deo, nisi perficiatur caritate quoad voluntatem, ita etiam non placet, nisi perficiatur fide quoad intellectum; patet alterum, quia habentibus usum rationis non sufficit meritum Christi, sed necesse est etiam addere meritum proprium, meritum autem perfici non potest sine fide actuali.* Et postea: *Licet eadem fides infusa in nobis & in vet. test. patribus; non tamen eadem acquisita, nec idem fidei actus; diversarum enim veritatum seu propositionum specie distinctarum diversi sunt actus adsentiendi, sed propositiones creditae a patribus specie distinguuntur a creditis a nobis, nam illae propositiones: Christus est venturus, & Christus venit, distinguuntur specie, quia non simul verae.* (Huic recte se opponit Thomas 2. 2. q. 4. art. 6. & concludit, *ratione objecti unam esse fidem; differentiam praeteriti & futuri non contingere ex aliqua diversitate rei creditae, sed ex diversa habitudine credentium ad unam rem creditam*) *At cum infantibus detur fides per sacramentum baptismi, adultis per auditum & meditationem verbi, possitne illa dici infusa, haec vero acquisita?* Resp. utrumque est Spiritus sancti opus, tam quod per auditum & meditationem verbi in adultis fides accenditur, quam quod per baptismum tanquam ordinarium medium fides infantibus confertur. Ergo si per *infusionem* intelligitur Spiritus sancti efficax operatio, dicimus & infantum & adultorum fidem esse infusam; scriptura tamen hoc loquendi genere non utitur, sed fidem dicit esse donum Dei, opus Dei, &c. Fatemur interim, *infantes baptizatos non habere talem, hoc est, tam explicatam & sensibilem fidem, qualem habent adulti, in quibus Spiritus sanctus est efficax per aeternum evangelii auditum*, ut loquitur Brentius in apol. conf. Wirt. p. 439. Adfinis est huic distinctioni inter fidem infusam ac acquisitam illa altera, qua distinguitur fides in *habitualem & actualem*. Thomas 1. 2. q. 55. art. 1. *Fides quandoque dicitur id, quod creditur, quandoque ipsum credere, quandoque habitus, quo creditur.* Bellarminus libr. I. de baptis. c. 11. col. 332. *Infantes non*

2.) *In fidem infusam & acquisitam.*

3.) *In habitualem & actualem.*

(*) Scoti verba libr. III. dist. 23. quæst. 1. sunt: *Certum est, quod in nobis est fides revelatorum credibilium acquisita.* Et postea. *Propter credulitatem articulorum revelatorum, ut homo firmiter credat omnibus articulis revelatis, & determinetur ad alteram partem sine oppositi formidine, non oportet ponere fidem infusam, nec necessitas ejus potest ex hoc concludi.* Ibid. *Fides acquisita ex puris naturalibus potest homo adsentiri omnibus a Deo revelatis.* Et mox. *Hoc igitur tenendum est, tanquam certum, quod revelatorum in scriptura est nobis acquisita fides, generata ex auditu & ex actionibus nostris, qua eis firmiter adhaeremus.* GERHARDUS.

non habent actualem fidem, nec habent ullos motus & inclinationes similes actibus fidei & dilectionis; interim tamen non justificantur sine ulla fide, quia infunditur eis in baptismo habitus fidei, spei & caritatis. Salmeronius tom. III. comm. tract. 10. p. 91. *Infantes habent fidei habitum, qui in eis absque actu satis est ad salutem, habent denique & actum non proprium, sed ecclesiae pro eis credentis,* qua de re quid sentiendum sit, in tractatu de baptismo exponitur.

4.) *In informem & formatam.*

§. CXVII. *Denique* fidem aliam statuunt *informem*, aliam vero *formatam*, sc. per caritatem. Lombardus III. sent. dist. 23. lit. C. *Fides, qua creditur, si cum caritate sit, virtus est, quia caritas mater est omnium virtutum, quae omnes informat, sine qua nulla vera virtus est.* lit. E. *Si quaeritur, utrum informis illa qualitas, qua malus christianus universa credit, quae bonus christianus, accedente caritate, remaneat & fiat virtus, an ipsa eliminetur, & alia qualitas succedat, quae virtus sit? utrumlibet sine periculo dici potest, mihi tamen videtur, quod illa qualitas, quae prius erat, remaneat, & accessu caritatis virtus fiat.* Thomas 2. 2. q. 4. art. 3. *Actus voluntarii speciem recipiunt a fine, id autem, quo aliquid speciem sortitur, habet se ad modum formae. Actus fidei ordinatur ad objectum voluntatis, quod est bonum, sicut ad finem: hoc autem bonum, quod est finis fidei, scilicet bonum divinum, est proprium objectum caritatis, ideo caritas est forma fidei, in quantum per caritatem actus fidei perficitur.* Art. 4. recitat diversas opiniones de fide informi & formata. *Quidam dixerunt adveniente fide formata tolli informem, alii putarunt in eodem homine simul manere utramque illam fidem informem & formatam.* Thomas utrosque improbat, ac statuit, quod *idem sit habitus fidei formatae & informis, quia habitus diversificatur secundum id, quod per se ad eum pertinet. Fides perfectio est intellectus, distinctio autem fidei formatae & informis est secundum id, quod pertinet ad voluntatem.* q. 6. art. 2. *Fides informis est donum Dei, quia informitas non pertinet ad rationem speciei ipsius fidei.* q. 23. art. 8. *Caritas est forma virtutum, non exemplariter, nec essentialiter, sed magis effective, in quantum actibus dat ordinem ad finem.* Biel III. sent. dist. 23. q. 2. art. 3. dub. 5. *Habitus fidei informis nihil aliud est, quam cui in eodem subjecto adsistit caritas: non fides formata est, cui in eodem subjecto adsistit caritas, unde habitus fidei non mutatur propter adventum caritatis, sicut nec corpus per vestimentum.* Amplectuntur hoc recentiores Pontificii, sic enim Censura Colonienſis p. 114. *Quod justus ex fide vivit, illud non habet ex solo Christo, sed ex operationibus suis, imo quod fides justificat, illam formam seu vim non habet ex Christo, quem adprehendit & possidet, sed a caritate nostra.* Bellarminus libr. II. de justif. c. 4. *Caritas est forma fidei, & fides non justificat formaliter, nisi ab ipsa caritate formata.* Item: *Fides agitur, movetur, formatur & quasi animatur per dilectionem. Dilectio est forma fidei non intrinseca, sed extrinseca, quae dat illi, non ut sit, sed ut moveatur.* Pistorius in hodeg. pag. 184. *fides composita seu mixta spei & caritati*, pag. 209. *fides per caritatem operosa redditur.*

Caritas est effectus, non forma fidei.

§. CXVIII. Nos caritatem fidei justificantis ἐνέργειαν atque effectum esse dicimus, perpetuo & indissolubili fœdere cum ea conjunctum, formam autem fidei esse pernegamus. Propria enim & specifica fidei justificantis forma est fiducialis adprehensio Christi mediatoris ac beneficiorum ejus, quæ in verbo evangelii nobis offeruntur. Improbamus igitur distinctionem illam inter fidem *informem* & *formatam.*

Repudianda igitur distinctio inter fidem informem & formatam.

1.) *Quia destituitur auctoritate scripturæ.*

I.) Quia destituitur scripturæ auctoritate, quippe quæ unam solummodo novit fidem justificantem, quam sic describit, quod Christum mediatorem amplectatur, & beneficia illius sibi adplicet. Fatemur sane, in quibusdam scripturæ locis fidem justificantem describi a suis effectis, quod sit per caritatem efficax, & bonos

bonos proferat fructus; interim hæc ἐνέργεια fidei, qua sese in studio bonorum operum exserit, accurate distinguenda est ab ipsius *forma*, quæ est fiducialis Christi adprehensio; dicitur enim fides justificare non productione bonorum operum, (quæ justificatum sequuntur, ut habet celebre Augustini dictum lib. de fide & operib. c. 14.) sed fiduciali adprehensione Christi. Pulchre Brentius in apol. conf. Wirt. p. 319. *Fides, ut ita explicandi gratia dicam, duplices habet manus. Unam, quam extendit sursum, & adprehendit Christum una cum omnibus beneficiis suis, & hac parte dicimus nos justificari per fidem: alteram, quam protendit deorsum ad exercenda opera caritatis ac reliquarum virtutum; & hac parte testificamur quidem veritatem fidei, non autem justificamur.* Hæc ergo non sunt confundenda, unde Lutherus in cap. 3. epist. ad Gal. tom. IV. lat. Jen. f. 87. sic scribit: *Sophistae finxerunt glossam inter fidem formatam & informem, qua vim faciunt prophetae verbis: Iustus ex fide vivit. Si fidem formatam vocarent veram & theologicam, vel ut Paulus, ἀνυπόκριτον, quam Deus fidem vocat, nihil me offenderet haec illorum glossa: tunc enim fides non distingueretur contra caritatem, sed contra vanam opinionem fidei, quo modo & nos distinguimus inter fidem veram & fictam. Ficta est, quae audit de Deo, Christo & omnibus mysteriis incarnationis & redemtionis, & adprehendit illas res auditas, & pulcerrime de eis loqui novit, & tamen mera opinio & inanis auditus manet &c. non renovat nec immutat cor, non generat novum hominem, sed relinquit eum in priori sua opinione & conversatione. Si formatam fidem distinguerent contra falsam seu fictam fidem, nihil me offenderet ista illorum distinctio; sed ipsi duplicem faciunt fidem, informem & formatam, hanc pestilentissimam & satanicam glossam non possum non vehementer detestari. Quamvis* (inquiunt) *adsit fides infusa, quae donum Spiritus sancti est, & adquisita, quam nobis ipsi parimus multis actionibus credendi, tamen utraque est informis, & formatur caritate. Sic fides sine caritate, ut ipsi somniant, est quasi pictura & res speciosa in tenebris, quae tum primum adparet, cum lux, id est, caritas accesserit, atque hoc modo caritas est forma fidei, & fides pura materia caritatis, hoc est, praeferre caritatem fidei, & tribuere justitiam non fidei, sed caritati, quia propter quod unum quodque est tale, illud magis tale, itaque cum non tribuunt fidei justitiam, nisi propter caritatem, fidei nihil tribuunt &c. Si caritas est forma fidei, statim cogor sentire, ipsam caritatem esse maximam partem christianae religionis, & sic amittō Christum, sanguinem, vulnera & omnia beneficia ejus, & inhaereo caritati, & venio in facere morale. At Spiritus sanctus, qui dat omnibus os & linguam, novit etiam loqui. Bene potuisset dicere: Iustus ex fide formata vivit; sed consulto omisit hoc, & simpliciter dixit: Iustus ex fide vivit.* vide ibidem plura ἀξιομνημόνευτα. Quæ pro formata fide ex scriptura adferuntur, postea discutientur.

§. CXIX. II.) Distinctio illa non solum a scripturis sacris est diversa, sed eidem etiam adversa, cum formata illa fides evangelium in legem, & fidem in opera transformet. Quæcunque sibi invicem opponuntur, eorum unum non potest esse forma alterius. Jam vero lex & evangelium, opera & fides in articulo justificationis sibi invicem opponuntur, ut patet ex tractatione apostolica. Ergo lex non est forma evangelii, nec opera fidei. Jam vero *summa legis est dilectio;* Matth. XXII. 40. Rom. XIII. 8, 9. & summa operum in lege præceptorum est caritas. Ergo caritas non potest esse forma fidei. Hoc argumentum ab aliis formatur hoc modo: justificatio est ex evangelio, *& non ex lege:* Gal. III. 18. Fides justificans est ex evangelio, *non ex lege*, ad quam pertinet caritas. Ergo justificatio non est ex fide per caritatem formata. Excipit Bellarminus libr. II. de justif. c. 4. *tolerari haudquaquam posse, donum caritatis, quod est ipse nucleus evangelii, ad legem transferri, & fidei opponi; si caritas ad legem pertinet, quia lex caritatem praecipit, cur non etiam fides relegatur ad legem, cum sint in lege*

2.) *Quia adversatur scripturae.*

tam multa de fide praecepta? Praeceptum igitur caritatis, ut etiam fidei, ad legem pertinet, spiritus autem caritatis & fidei ad evangelium. Resp. utrumque est Christi & evangelii beneficium, remissio peccatorum & renovatio, sicut haec duo conjunguntur. Jer. XXXI. 33. *Hoc est foedus meum, quod faciam cum domo Israel, dabo legem meam in cordibus ipsorum*, v. 34. *& peccatorum eorum non recordabor amplius.* Cum fide datur simul Spiritus sanctus, qui naturam incipit renovare; interim tamen in articulo justificationis haec duo accurate sunt discernenda. Justificatio enim non consistit in renovatione, sed in remissione peccatorum, & imputatione justitiae Christi: renovatio est justificationis consequens. Quamvis igitur spiritus caritatis & fidei, hoc est, & remissio peccatorum per fidem & interior renovatio per Spiritum sanctum sit evangelii beneficium, docente apostolo Gal. III. 2. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* interim tamen haec distincta beneficia non sunt confundenda, sed cuique quod suum est, adsignandum: fides per Spiritum sanctum accensa justificat, non quatenus conjunctam habet caritatem, sed quatenus Christum in verbo evangelii oblatum adprehendit; caritas per Spiritum sanctum donata est fructus justificantis fidei, sed non justificat, cum in hac vita nunquam sit perfecta, cum a lege jamdum requisita, cum peccatorum fuligine in cordibus nostris non mediocriter obfuscetur. Fides audit Deum promittentem: dilectio audit Deum praecipientem; fides versatur circa opera Dei, dilectio circa opera nostra. Fides recipit Christi beneficia, dilectio reddit mutuam benevolentiam. Fides habet virtutem *adprehensivam*, dilectio *egressivam*. Fides est quasi mendica, dilectio vero liberalis. Fides efficit Dei filios, caritas factos esse probat. Fidei objectum est Christus in evangelio cum omnibus suis beneficiis oblatus: caritatis Deus & proximus. Porro nucleus evangelii non est caritas, quam & Christus & apostoli verbis tam disertis summam legis esse docent; sed solus Christus mediator, quem fides amplectitur & tenet, est evangelii nucleus. Fidem a lege praecipi, ambigue dicitur. Lex jubet credere omni verbo Dei; interim tamen evangelium monstrat proprium fidei justificantis objectum, videlicet Christum mediatorem, ideo non legis, sed evangelii vox est: *Crede in Christum, & salvaberis*: Act. XVI. 31. in lege nemo justificatur, *quia justus ex fide vivit*; Gal. III. 11. *lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis*. v. 12. Ac perpetua in disputatione apostolica est oppositio inter legem & evangelium, opera & fidem, inter τὸ ὁperari & credere, quantum attinet justificationis articulum. Si fides est legis, & justificamur ex fide, sequetur nos justificari ex lege, quod adversatur apostolo. Repetenda hoc loco ea, quae de discrimine legis & evangelii superius disputata sunt.

§. CXX. III.) Si caritas est forma fidei, & fides inde atque ideo justificat, quia est caritate formata, consequens erit, caritatem in articulo justificationis fide praestantiorem esse, ac magis justificare, quam ipsam fidem. Posterius est absurdum; ergo & prius. Bellarminus *connexionem* non negat, sed nervum ejus fortius constringit, sic enim scribit: *Si caritas est forma fidei, & fides non justificat formaliter, nisi ab ipsa caritate formata, certe multo magis caritas ipsa justificat.* Minorem vero negat, atque ex 1 Cor. XIII. 13. fide caritatem praestantiorem esse, ex dicto Christi Joh. XIII. 34. 35. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, in caritate summam christianae religionis consistere, probare nititur. *Resp.* non quaeritur absolute de praestantia fidei & caritatis, sed respectu habito ad articulum de justificatione. In justificatione dicimus regnare solam fidem, non autem nostram caritatem, soli quippe fidei competit adprehendere Christum, & in eo Dei gratiam, remissionem peccatorum & vitam aeternam; fatemur interim, caritatem in exercitiis christianae pietatis, quae spectantur in justificatis, fide majorem esse, (Christus pronunciat, *beatius esse dare, quam accipere*, Act. XX. 35. Jam vero fides se exercet accipiendo,

3.) *Quia caritas magis justificaret, quam fides.*

do, caritas dando. Ergo hoc respectu caritas est major fide) non quod fidem formet, vel justificationis actum ingrediatur, vel magis justificet; sed *primo* propter objecti latitudinem, fides enim intuetur solum Christum, ideo fidei cum solo Deo res est; caritas autem refertur ad Deum & proximum: *deinde* propter perpetuam durationem, quia in vita æterna fidei succedit visio, spei fruitio, caritas autem durabit, & plene perficietur, quo potissimum spectat apostolus fidei caritatem præferens, 1 Cor. XIII. 13. Inde facile adparet, quid ad vulgatum illud respondendum sit: *Maxima virtus maxime justificat. Dilectio est maxima virtus. Ergo maxime justificat.* Resp. *Major* nec *legaliter* nec *evangelice* vera est. In lege non una virtus sive maxima sive mediocris, sed universalis & perfecta totius legis impletio justificat: in evangelio non opera, sed fides in Christum justificat. Nec adversatur nobis, caritatem dici quodammodo summam christianismi, si de vita hominis christiani quæstio est, quippe qui ex caritate omnia debet agere. *Non est fructus bonus, qui de radice caritatis non surgit*; dicit Augustinus de Spiritu & lit. c. 14. Interim tamen in articulo justificationis dominatur sola fides, cujus fructus est caritas, absque qua nec ipsa caritas Deo placet: ὡδὲν ὄφελος ἀγάπης χωρὶς πίστεως, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἂν γένοιτο ἀγαπη ἑτέρως, docente Chrysostomo in cap. VI. Eph. Porro, quomodo per doctrinam de justificatione operum obscuretur gloria Christi, quod Bellarminus hic fortiter negat, de eo suus erit disserendi locus.

4.) *Quia vera fides non destituitur sua debita forma.*

§. CXXI. IV.) Informe est, quod caret debita forma. Fides justificans non caret debita forma, quæ est fiducialis adprehensio Christi; ergo fides non est dicenda informis. Vicissim: nulla virtus intellectus potest informari a virtute voluntatis, cum sint potentiæ realiter distinctæ. *Fieri non potest*, ait Bellarminus libr. I. de justif. c. 16. *ut una virtus sit in duabus potentiis genere distinctis*; pari ratione dicere possumus: ἀδύνατον est, virtutem, quæ est in una animæ potentia, informari ab alia virtute, quæ est in potentia, genere a priore distincta. Atqui fides & caritas sunt distinctæ virtutes, & ex hypothesi Scholasticorum fides est tantum in intellectu, caritas in voluntate, quæ sunt potentiæ genere distinctæ. Ergo caritas non est forma fidei. Excipit Bellarminus, *caritatem esse formam fidei non intrinsecam, sed extrinsecam, quippe quae det illi, non ut sit, sed ut moveatur, fidem a caritate agi & moveri, quomodo a spiritu movetur & agitur corpus*, quod ex cap. II. Jac. & cap. V. Gal. probari posse existimat. *Resp.* de scripturæ testimoniis disseremus postea, hoc loco sic procedimus: 1.) per spiritum in verbis Jacobi apostolic. II. 26. aut intelligitur anima aut respiratio, tertium non datur; neque enim arbitror Bellarminum de spiritu adsistente cogitare, qui corpus inanime exterius movet, sicuti philosophi disputant de intelligentiis motricibus orbium, ac theologi de angelis in forma corporea adparentibus; hæc de forma adsistente cogitatio Jacobo non venit in mentem, expresse enim dicit, *corpus sine spiritu esse mortuum*, atqui sine adsistente spiritu corpus non est mortuum, sed manet vivum, ut adparet exemplo Eliæ, quem spiritus ex uno loco in alium transferebat. 1 Reg. XVIII. 12. manet igitur immediata oppositio. Per spiritum in verbis Jacobi aut intelligendam esse animam aut respirationem. Si posterius, caritas, quam τῷ πνεύματι apostolus confert, erit effectus & signum fidei, sicut respiratio vitæ, nequaquam vero forma, quis enim unquam respirationem formam corporis dixit? Si prius, caritas erit forma intrinseca & essentialis fidei, sicut anima est intrinseca corporis vivi animati forma, nequaquam vero extrinseca, non enim solum movet & agit, sed etiam informat corpus, unde a philosopho definitur, quod sit ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικῦ ὀργανικῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. II. de anim. c. 1. text. 6. Nisi forte errorem Averrois errare velimus, qui in comm. 3. de anima animam rationalem adsistentem hominis formam facit, perinde ut nauta adsistit navi, quem diligenter refutat Zabarella libr. de mente humana cap. 4. & seqq. Eligat igitur Bellarminus, quicquid velit, ex Jacobi

verbis nunquam elicere poterit, caritatem esse formam fidei extrinsecam. 2.) Recognoscat etiam Bellarminus sua verba ex libr. II. de justif. cap. 7. col. 1058. *Tametsi aliquando denominatio fiat a forma extrinseca, quo modo dicitur res cognita per cognitionem, quae est in mente, & paries dicitur visus per visionem, quae est in oculo: tamen cum in aliquo duae sunt formae contrariae, una inhaerens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inhaerente potius forma, quam ab extrinseca. Si quis enim aethiopem candida veste indueret, non recte diceret: hic aethiops est albus; sed contra recte diceret: hic aethiops est niger, quoniam magis pertinet ad eum propria & inhaerens nigredo, quam ille adscititius color externus.* Hactenus Bellarminus, ex cujus verbis hoc axioma deducimus. Formatum proprie dicitur a forma intrinseca, quæ rem constituit, & per quam res est, quod est, & ab aliis distinguitur, non autem a forma extrinseca. Subsumo: fides justificans per suam formam, videlicet Christi in evangelio adprehensionem, est, quod est, & ab aliis omnibus distinguitur; ergo non debet dici informis. Caritas est forma solum extrinseca, sicut vestis; (qua comparatione utitur Gabr. Biel) ergo per eam non debet dici formata. 3.) Formæ proprium est informare; movere & agere ad efficientem proprie pertinet, at num fides est informe quoddam cadaver, cui animam & vitam inspiret caritas? Si dicas: *formae intrinsecae proprium est informare, extrinsecae vero movere & agere;* resp. fides non est torpida & otiosa quædam qualitas, quæ per caritatem prius excitanda, movenda & animanda sit, sed res viva & efficax; *vincit* enim *mundum:* 1 Joh. V. 4. *exserit se per dilectionem:* Gal. V. 6. spargit radios *bonorum operum.* Matth. V. 16. Lutherus in cap. XII Gen. tom. II. sec. 10. *Sophistae, cum nos de fide docere audiunt, putant de re levicula contentionem esse, non enim norunt, fidem esse mutationem, & renovationem totius naturae, ut aures, oculi, cor ipsum prorsus diversum audiant, videant, sentiant ab omnibus aliis hominibus. Est enim fides res vivax, & potens, non est otiosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aquae, sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida, sed calida & prorsus alia aqua est: ita fides Spiritus sancti opus aliam mentem & sensus alios fingit, ac prorsus novum facit hominem, est igitur fides operosa, difficilis & potens res &c.* In cap. XXII. Gen. f. 195. *Fides non est otiosa qualitas, sed virtus ejus est mortem occidere, infernum damnare, esse peccato peccatum, diabolo diabolum, adeo, ut mors non sit mors, etiamsi omnium sensus tefletur adesse mortem.* Hæc Lutherus: caritas igitur non movet & agit fidem, sed contra fides vera & viva exserit se per caritatem. 1 Tim. I. 5. *Finis praecepti est caritas de corde puro, conscientia bona & fide non ficta.* Ergo caritatis rivulus ex fonte fidei profluit. Nec fides est quædam nuda & informis qualitas, ut caritate vestiri ac cooperiri indigeat, quin potius fide recipimus Christum, cujus justitia per fidem nobis imputata est summa & Deo placens pulcritudo, qua nuditas & deformitas naturæ nostræ tegitur. Gal. III. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo.* v. 27. *Quotquot enim in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Apoc. III. 18. *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias; & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae.* Basilius in cap. IX. Esa. tom. III. p. 448. *Sane Christianorum vestimentum obnubens peccati turpitudinem fides est, qua in Christum credimus.* Adde, si caritas est forma extrinseca fidei, ut vestimentum corporis (disputante Biele) non poterit fides agi & moveri per caritatem, quis enim unquam vidit vestimentum agere & movere corpus? Denique caritas sine fide in Christum Deo non placet. Hebr. XI. 6. *Impossibile est Deo placere sine fide.* Rom. XIV. 23. *Quod non fit ex fide, peccatum est.* Augustinus l. XIX. de civ. Dei. c. 25. *Nulla virtus vera apud Deum sine fide.* Nazianzenus orat. XIII. p. 347. *Absque fide nulla actio fructuosa esse potest;* ergo dicendum potius foret, fidem esse formam caritatis, quam caritatem formam fidei. Exstant apud ethnicos scriptores exempla eorum, qui tanta caritate sese mutuo prosecuti sunt, ut non dubitaverit alter

ter pro altero mortem subire, & tamen quia haec caritas fuit absque fide, quid aliud fuit coram Deo, quam mortuum cadaver?

s.) Quia justus ex fide vivere dicitur.

§. CXXII. V.) Habac. II. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Hebr. X. 38. *Justus ex fide vivit*, ex quo loco hic argumentor. Per quod vita spiritualis nobis confertur, illud vitam suam non aliunde sortitur. Per fidem veram & justificantem spiritualis vita nobis confertur. (Thomas 2. 2. q. 12. art. 1. *Fides est vita animae. Sicut sublata vita corporali omnia membra & partes hominis a debita dispositione recedunt: ita sublata vita justitiae, quae est per fidem, adparet inordinatio in omnibus actibus.*) Ergo fides non aliunde demum, videlicet ex cari ate, vitam suam sortitur. Excipit Bellarminus, *prophetam non loqui de vita justitiae, sed de vita spei, quae justum patienter exspectare facit: vel commendari id, unde initium ducit vita justorum.* Costerus in ench. p. 197. *Justum ex fide vivere nihil aliud esse videtur, quam justum ad fidei normam totam vitam dirigere ac formare, quemadmodum dicere consuevimus, quempiam medice vivere, nempe ex medicinae praescripto.* Resp. 1.) interpretationes illae secum non consentiunt. 2.) Apostolus Rom. I. 17. Gal. III. 11. ex professo disputans de justificatione fidei, propheticum enunciatum eo adcommodat, in faciem igitur apostolo contradicit Bellarminus, quando de vita justitiae locum illum intelligendum esse negat. 3.) Sane ex fide justificante etiam spes oritur, per quam in periculis vivimus, hoc est, de praesentia & auxilio Dei certi patienter exspectamus, quo sensu de vita spei dictum propheticum quodammodo intelligi potest; sed ex eo non est inferendum, quod per fidem non contingat nobis vita spiritualis, quin potius contrarium ex eo sequitur, nisi enim fide certi essemus, nos Deo reconciliatos ac vitae spiritualis participes factos esse per Christum, nunquam in periculis animo quieto ac pacato essemus; ex fide igitur in mediis syrtibus malorum & periculorum vivimus, hoc est, vitam & veram consolationem in corde sentimus, quae consolatio est initium vitae aeternae (*). 4.) Nec in *futuro* solum dici potest: *Justus ex fide vivet;* sed etiam in *praesenti: Justus ex fide vivit*, (ut vulgatus interpres vertit, Gal. III. 11. & ut legit Augustinus l. IV. de civit. Dei c. 20. *Maximum*, inquit, *apud nos locum habet*

(*) Particulam ב, quae proprie significat *in*, Graeci rectissime vertunt quandoque per ἐκ vel ἐξ, Deut. VI. 5. Marc. XII. 30. Luc. X. 27. Confer cum loco prophetae versionem apostoli; Rom. I. 17. Gal. III. 11. Hebr. X. 38. saepe per διὰ cum *genitivo*, seu *per*; Deut. XXXII. 21. Psalm. LXXVIII. 2. Joh. I. 4. Act. XVII. 28. Phil. IV. 13. saepe simpliciter per *ablativum*, quando notat instrumentum; Buxtorfius thesaur. l. II. c. 13. p. 444. & c. 20. p. 514. unde colligere licet, ἀσθενοῦμενοι esse apud Paulum in hoc articulo ἐν πίστει, διὰ πίστεως, πίστει. Rom. III. 22. 26. 28. Dicti occasio specialis esse potest & dictum generale. Sententia prophetae est generalis, ostendens, qua in re vere pii in mediis tentationum & calamitatum quarumlibet procellis tuto conquiescere, & in ipsis mortis angustiis pacate vivere possint, id quod fieri dicit unica in Messiam fide, qua, cum sciant se esse justificatos, & apud Deum in gratia constitutos, omnia mala magno contemnant animo. Finis est, ut proinde in his praesentibus quoque malis per Chaldaeos inferendis confidant piae Israelitarum reliquiae. Rectissime igitur quod in *genere* dictum erat a propheta, apostolus ad praecipuum fidei officium in *specie* adplicat, ostendens, quod nemo vivere queat in summis spiritualibus angustiis & mortis aeternae faucibus, quam peccatis suis se homo promeritum videt legis minis perterritus, nisi justus, & quod nemo justus sit apud Deum, nisi fide in Christum, quae ex evangelii promissionibus accenditur. Agnoscit ipse Ribera in cap. II. Habac. num. 16. apostolum hic agere de vita gratiae, quae nulli contingit, nisi fide in Christum. Vide omnino locum Hebr. X. 38. Apostolus non citat prophetae dictum ad justitiam fidei stabiliendam, ut Rom. I. 17. Gal. III. 11. factum; sed tantum verbis prophetae vitam aeternam Hebraeis promittit ex fide, si eam retinuerint & probaverint in malis. GERHARDUS.

bet fides, qui scimus, quid sit: Justus ex fide vivit,) (*) quia fidei adprehendit Christum & in Christo vitam, siquidem Christus est *vita*; Joh. XI. 25. XIV. 6. unde concludit apostolus 1 Joh. V. 11. *Vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita in Filio ejus est.* v. 12. *Qui habet Filium Dei, habet vitam aeternam*; quod deductum ex Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Cum quo confero pronunciata apostolica: Gal. II. 20. *Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit me & tradidit se ipsum pro me.* Eph. III. 17. *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.* Phil. I. 21. ἐμοὶ τὸ ζῆν Χριστὸς. Col. III. 3. 4. *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, cum autem adparuerit Christus vita nostra, tunc & vos cum eo adparebitis in gloria.* Quae omnia falsitatis convincunt posteriorem Bellarmini interpretationem, qua statuitur, vitam spiritualem tantum initium ducere a fide, perfici autem caritate; imo vero justus ex fide vivit, hoc est, credendo in Christum habet vitam aeternam, quamvis adhuc absconditam: caritas non perficit spiritualem illam vitam, sed de ea testimonium fert exterius, atque ex ea oritur, quemadmodum per motum vita naturalis manifestatur. Augustinus in Psalm. XCIII. *Non est alia justitia hominis in hac vita, nisi ex fide vivere.* Lutherus in cap. XLVIII. Gen. tom. IV. fol. 192. *Tanta vis est fidei, quae nos vivos facit ex mortuis, ac sane ea ipsa hora, qua incipimus credere & verbum adprehendere, etiam vivere incipimus vita aeterna, quia verbum Domini manet in aeternum, & Deus, qui loquitur nobiscum, aeternus est, & perpetuo nobiscum erit.* 5.) Cosseri interpretatio contraria est scopo apostoli, qui ex hoc prophetico testimonio docet, justificari hominem fide absque operibus legis, fidem cum operibus confundit, ac normam fidei perperam accipit de norma bonorum operum in decalogo proposita (**). Ac res ipsa testatur, magnam esse differentiam inter haec duo, vivere *ex fide* & vivere *medice*. Medicina praescribit certam diaetam ac certam vivendi rationem, qua sanitas vel conservetur vel recuperetur; sed fides non praescribit opera, per quae vitam mereamur aeternam, cum in lege haec jamdum requisita sint, cumque propter corruptionem naturae non possimus operibus vitam mereri, sed proponit Christum mediatorem, in quem *credendo vitam habeamus aeternam in nomine ejus.* Joh. XX. 31. 1 Joh. V. 13. Sed nec haec sunt synonyma: vivere *ex fide* & vivere *digne evangelio*; nam prior locutio exponit justificationem hominis coram Deo: posterior exponit conversationem hominis jam justificati: quia veram fidem tanquam fructus sequuntur opera christiana professione digna. 6.) Regerit Bellarminus: *Sicut per prophetam Spiritus sanctus vitam justorum tribuit fidei, quoniam inde inchoatur: sic per apostolum eandem vitam tribuit caritati, quoniam inde perficitur: translati sumus, ait* Johannes 1 epist. III. 14. *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, & qui non diligit, manet in morte.* Resp. (***) Sophistice Bellarminus omittit, quae in textu apostolico adduntur. *Sci-*

(*) *Ex Hebraeorum idiotismo futurum in generali sententia pro praesenti continuo usurpatur, significaturque non quod futurum tantum est sed quod semper fuit, est & erit, perpetuoque fieri debet.* Buxtorfius in thes. gramm. lib. I. cap. 12. pag. 95. GERHARDUS.

(**) Distinguendum est inter fidem *scripturae*, *quae* creditur, & fidem *cordis*, *qui* creditur. Deinde similitudo non quadrat: a.) est diversa ratio *loquendi*, cum propheta non dicat, *justus fideliter vivit*, sed ex fide. Cosserus vero & vulgo sic loquimur: non sanus ex medicina vivit, sed medice, id est, ad medicinae praescriptum. Ergo b.) Est diversa ratio *vivendi*. Vitam *medicam* agendo vivimus, dum per opera quaedam ex medicinae praescripto recte peracta acquirimus & conservamus corporis sanitatem; vitam *justitiae* vivimus credendo, & non per opera nobis paramus aut conservamus animae salutem. GERHARDUS.

(***) Audiat Bellarminus Stapletonum, qui in promt. moral. dominica XII. post pentec. loc. 4. p. 303. dictum Johannis orthodoxe sic explicat: *Sicut vitae animalis argumentum est motus mem-*

Scimus, ait apostolus, *quod de morte translati sumus in vitam, quia fratres diligimus.* Argumentatur igitur Johannes ex *effectu* ad *causam*, & ex dilectione arguit, factam esse translationem ad vitam per Christum fide adprehensum. Certe dilectio fratrum non potest esse causa vivificationis, cum per peccatum simus mortui, quomodo vero spiritualiter mortuus posset diligere, & per dilectionem ex morte in vitam sese revocare? Id competit soli Christo, per quem *vivificati*, Eph. II. 5. *versamur in operibus bonis*; v. 10. & per ipsum ex morte ad *vitam translati fratres diligimus*: 1 Joh. III. 14. quæ dilectio nec causa, nec initium, nec complementum, sed effectus, signum & consequens est nostræ vivificationis, unde *fructus Spiritus* dicitur. Gal. V. 22. Augustinus tract. VI. in ep. Joh. *Nos scimus, quia scimus? quia transivimus de morte ad vitam. Unde scitis? quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transit ad vitam a morte.*

6.) *Effectus* §. CXXIII. VI.) Effectus non est forma suæ causæ, quia res per

non est forma suae causae.

suam formam est, antequam agat; nihil enim agit, nisi sit actu, est autem quodlibet actu per suam formam. Jam vero caritas est effectus fidei, siquidem vera *fides est efficax per dilectionem.* Gal. V. 6. Ergo non potest esse forma fidei. Huc referenda dicta veterum, in quibus fidem vocant matrem, genitricem, fontem, radicem bonorum operum, adeoque ipsius caritatis. Augustinus in Psalm. LXVII. *Per fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari;* quod adlegat Lombardus II. sent. dist. 26, F. & 3. sent. dist. 23. Gregorius hom. XIX. in Ezech. *Fides est vestibulum, per quod ad bona opera pervenitur.* Bellarminus ipse I. de justif. c. 13. *Fides est principium & radix reliquarum virtutum.* c. 15. *Fides gignit caritatem dispositive.* Si excipere velint, *caritatem esse formam extrinsecam fidei, quia movet atque agit fidem;* resp. caritas non agit vel movet fidem, sed fides agit ac movet se per dilectionem; effectus non solum non informat, sed agit nec perficit suam causam, sed est quasi fructus & consequens illius actus & perfecte exsistentis (*).

§. CXXIV.

memborum: sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum & opera caritatis in illum. Hinc Johannes 1 epist. III, 14. *translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres, id est, hoc argumento evidenter adjaret, nos vita gratiæ vivere. Contra sicut mortis aut desperatæ valetudinis argumentum est stupor membrorum & cessatio motus; sic exstinctæ gratiæ clarum indicium est non adfici erga proximum, & ab ejus dilectione cessare, unde iterum* Johannes: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Hactenus Stapletonus rectissime. GERHARDUS.

(*) Denique nota: 1.) Omnis habitus constat forma sua propria & contra. Nullus habitus constat duabus formis. Omnis fides est habitus; E. constat forma sua propria. Quomodo igitur quædam est informis, si habet formam? Ergo etiam nulla fides constat duabus formis. 2.) Quæ de se non possunt prædicari, illorum unum non potest informare alterum. Habitus disparati de se non possunt prædicari. E. illorum alter non potest alterum informare. Quomodo igitur fides informabit caritatem, cum sit habitus disparatus, quia fides & caritas habent diversas formas specificas. 3.) Quod per aliud informatur, est materia. Fides non est materia, quia formatus per se habitus, & agit seu operatur, non patitur. Ergo. Lutherus argumentum illud sic proponit: si caritas est forma fidei, fides erit pura materia caritatis, erit quoddam informe chaos, misera virtus, nullius operis, efficaciæ & vitæ, sed tantum passiva materia. 4.) Quæcunque toto genere differunt, ideoque in scripturis sibi invicem opponuntur, illa non possunt sese mutuo constituere, vel essentialiter informare. Sed fides justificans & caritas toto genere differunt, *summa enim legis est dilectio.* Matth XXII. 40. Rom. XIII. 8. Fides vero justificans est ex evangelio, non ex lege; Gal. III. 18. unde in articulo justificationis sibi invicem opponuntur. Rom. III. 20. Eph. II. 8. &c. GERHARDUS.

Argumenta, quibus probare cupiunt fidem formari per caritatem. 1.) Iacobus distinguit inter fidem vivam & mortuam.

§. CXXIV. Quibus vero argumentis informem illam distinctionem probant? Bellarminus libr. II. de justif. cap. 4. duo scripturæ testimonia adducit. I.) *Distinctio*, inquit, *inter fidem formatam & informem ab apostolis Christi, Paulo & Iacobo, manifestissime traditur: Nam quid quaeso interest, si dicamus, fidem vivam & mortuam, vel formatam & informem? certe enim res viva per aliquam formam vivit, & res mortua propter absentiam alicujus formae mortua est. Fidem autem vivam & mortuam Iacobus adpellat in* epistola sua cap. II. *ubi addit fidem a caritate agi & moveri, quomodo a spiritu agitur & movetur corpus, ac per hoc dilectionem non esse signum viventis fidei, sed etiam ipsam vitam fidei & fidem sine dilectione esse similem corpori sine spiritu.* Resp. integram & solidam hujus loci expositionem proponemus postea, hac vice monemus: 1.) fidem, id est, nudam fidei promissionem operibus bonis destitutam vocari ab apostolo mortuam, non quasi opera sint fidei veræ & justificantis vita atque anima; sed quia illa fidei jactantia & professio, quæ non habet bonorum operum testimonium, est simulacrum seu cadaver quoddam sine omni vita, perinde ac si quis statuam lignean vestibus elegantissimis indutam pro homine venditare velit, cum sit revera mortuum simulacrum, ac hominis figuram tantum mentiatur. 2.) Vocem πνεύματος, v. 26. non accipi pro *anima*, sed quemadmodum etiam vetus interpres reddidit, pro *spiritu*, hoc est, respiratione, ac sensum esse: sicut corpus sine spiritu, hoc est, quod non respirat, mortuum est: (negato enim proprio, immediato ac necessario vitæ effectu, ipsa quoque vita negatur:) ita fides, hoc est, externa illa fidei professio absque operibus professioni illi consentaneis est mortua in semet ipsa; ut enim generosa arbor ex suis fructibus, ipsa vita ex vitalibus actionibus, ita vera & viva fides agnoscitur & æstimatur ex bonis operibus, quæ si absint, fides censetur mortua, hoc est, vana, ficta, inanis & nulla. Patet id ipsum ex natura fidei. Fides justificans & vera *per dilectionem operatur;* Gal. V. 6. at fides, quæ non exserit se per opera, non est *justificans.* Jac. II. 14. Si non est vera & justificans fides, utique nulla, quia *una* tantum *fides:* Eph. IV. 5. quod agnoscit etiam Bellarminus libr. I. de justif. cap. 5. Idem perspicitur ex simili, quod Jacobus adducit: v. 16. *Quemadmodum non est caritas, si quis dicat tantum egenis: Ite in pace, calefacimini & saturamini, nec simul dederit eis necessaria;* hoc est, quæ nudis verbis se officiosam simulat absque beneficentia: ita fides nulla est, quæ professione nuda sese jactitat, nec per bona opera demonstrat. 3.) Repeto igitur argumentum superius productum. Per τὸ πνεῦμα accipit Bellarminus aut animam aut respirationem. Prius dicere nequit, alias concedere cogeretur, caritatem esse formam fidei intrinsecam; posterius igitur agnoscat, ac bona opera fidei signa & effecta esse nobiscum statuat: de adsistente quodam spiritu exterius movente non datur hic somniandi locus, ut ostendimus superius. 4.) Res ipsa etiam ostendit, per τὸ πνεῦμα non posse intelligi animam, quia opera non sunt fidei anima, sed ejus effecta ac proinde ordine naturæ posteriora, quomodo igitur erunt ejus forma? 5.) Bellarminus statuit, fidem formari a caritate, sed Jacobus non meminit solius caritatis, sed operum in genere. Ergo dictum Jacobi est a scopo Bellarmini alienum, aut concedendum erit, non solum caritatem, sed bona opera in genere esse formam fidei.

2.) Paulus docet, fidem operari, hoc est, formari per caritatem Gal. V.

§. CXXV. II.) *Alterum* fundamentum Bellarminus petit ex Gal. V. *Apostolus Paulus* (inquit) *non solum docet, fidem caritate formari, sed etiam explicat, dilectionem formam fidei esse extrinsecam, non intrinsecam, & quae det illi, non ut sit, sed ut moveatur, sic enim dicit:* fides per dilectionem operatur: *ubi illud* operatur *passive accipiendum est, non active, est enim in graeco* ἐνεργουμένη, *id est, mota atque acta.* Resp. 1.) puridus solœcismus Prisciani ferula dignus, quis enim unquam *operari* in sensu *passivo*

passivo dixit, nisi architecti operis operati? Ipse Bellarminus fatetur *contra regulam grammaticae operari passive accipi.* libr. II. de sacram. effectu cap. 1. 2.) Bellarminus fulmen concilii Tridentini incurret deserendo vulgatam translationem. 3.) Latinus interpres voce *operari* nunquam usus est *passive*, sed semper *active*, exempla ubivis sunt obvia. 4.) Lombardus sensu *activo* adlegat apostoli dictum, sic enim scribit III. sent. dist 23. D. *Per fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.* Erasmus in annot. ad Gal. V. p. 408. reddendum censet, *fides per dilectionem agens.* Stapletonus in præf. promt. moral. dictum adlegat hoc modo, *fides per dilectionem operans.* Ipsum concilium Trident. sess. VI. ita loquitur ex apostolo: *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quae caritatem operatur.* Ab his omnibus turpiter Bellarminus discedit, *passivam* significationem urgens. 5.) Prætermitto veteres, quorum nullus *passive* textum apostolicum reddit. 6.) Quinimo Bellarminus *passivae* suæ interpretationis statim obliviscitur, quia cap. 5. immediate sequente contra Osiandrum disputans *active* vertit: *Si fides per dilectionem operans est illa justitia, per quam justificamur, certe non justificamur per justitiam Dei essentialem.* Ibidem cap. 20. *Fides per caritatem operans.* lib. I. de clericis cap. 1. *Fides, quae per dilectionem operatur.* 7.) Verbum græcum ἐνεργούμενη octies exstat apud Paulum, Rom. VII. 5. 2 Cor. I. 6. & IV. 12. Gal. V. 6. Eph. III. 20. Col. I. 29. 1 Thess. II. 13. 2 Thess. II. 7. ac semel apud Jacobum V. 16. nusquam vero *passive* usurpatur, sed semper *active* in διαθέσει media. 8.) Constructio græca *passivam* explicationem hoc loco non admittit, dicendum enim fuisset ἡ πίστις παρ' ἀγάπης ἐνεργουμένη. 9.) Πεῖσασις loci repugnat expositioni *passivae.* Describit apostolus totam vitam hominis christiani, in qua vult lucere fidem & caritatem &c. & opponitur hoc dictum tum operosis justitiariis, tum ignavis hypocritis. Hoc enim vult apostolus, quod in Christo nec circumcisio, nec præputium, quicquam valeant, sed tantum fides, quippe cui soli competit beneficia Christi in evangelio oblata adprehendere; & tamen illa fides non est otiosa & torpida, sed exserere se per dilectionem tanquam immediatum consequens & effectum. 10.) Repetenda sunt hoc loco argumenta superius contra hanc distinctionem prolata, videlicet quod vera & propria dicta forma sit *essentialis*, intrinseca & inseparabilis; quod talis forma fidei sit fiducialis adprehensio Christi, non autem caritas; quod nihil dicatur informe propter absentiam formæ extrinsecæ; quod causa movens rem extrinsece non sit ejus forma, sed efficiens; quod caritas sit effectus fidei, ac proinde non possit esse principium movendæ fidei; quod caritas potius a fide foveatur, ac sano sensu formetur, cum non placeat Deo, nisi proficiscatur ex fide; quod fides non sit otiosa & torpida qualitas per caritatem animanda & excitanda, sed res viva, operosa & efficax, cui tribuitur a Spiritu sancto *robur & victoria:* Rom. IV. 20. 1 Joh. V. 4. quæ omnia Bellarmini interpretationem de caritate fidem agente, movente & formante evertunt. 11.) Objiciunt quidam textum syriacum, in quo vox ἐνεργουμένη *passive* sit reddita, sic enim legitur הֵימָנוּתָא דְּמִתְגַּמְּרָא בְּחוּבָּא, quod Tremellius vertit: *Fides, quae caritate perficitur*, sed respondemus, græcum textum in novo testamento esse authenticum. Tradunt quidem Syri, a quibus versio illa ad nos pervenit, eam a Marco, Petri discipulo, profectam esse, quod nos in medio relinquimus; nec tamen patiemur ejus auctoritatem textui græco (in quo constat nov. test. ab evangelistis & apostolis conscriptum esse,) exæquari, multo minus præferri. Tremellius in præfatione versionis syriacæ fatetur, quod auctorem ac tempus syriacæ paraphraseos invenire nondum potuerit. Adde, quod non sit a textu syriaco hujus loci aliena significatio *activa*: sic enim scribit Andreas Masius in grammatica syriaca de hithpaël: *Postrema formula erat hithpaël, quam patiendi verbis peculiariter esse dicatam dicebamus: sunt tamen in ea etiam, quae actionem significant, sed fere qualem apud se quis agat*, ut אִשְׁתְּאַל *recusavit*; Luc. XIV. Act. XX. 1 Tim. IV. & V. talia exempla in syriaco textu nov. test. occurrunt

runt quamplurima; cumprimis observandus locus 2 Cor. IV. 12. *Itaque mors in nobis est efficax, in vobis vero vita;* vertente ipso Tremellio, ubi verbum benoni in hithpaël מתחנש *active* reddendum esse, συνάφεια textus manifeste comprobat.

SECTIO III.

DE CAUSA EFFICIENTE FIDEI JUSTIFICANTIS.

Causa efficiens principalis fidei.

§. CXXVI. Expositis variis illis fidei divisionibus, restat, ut fidei justificantis causas & proprietates investigemus. Causa *efficiens principalis* fidei justificantis est Deus, vel quod idem est, Spiritus sanctus, cui cum regenerationis ac renovationis opus adscribitur, ab eo Pater & Filius neutiquam sequestrantur. Inde fides dicitur *opus Dei;* Joh. VI. 29. non solum, quia fides ipsi grata ac accepta est, sed etiam quia eandem in cordibus operatur. 2 Cor. IV. 13. *Habentes eundem Spiritum fidei;* ubi Spiritum ponit pro dono Spiritus. Phil. I. 29. Ἐχαρίσθη ὑμῖν, *ex gratia vobis datum pro Christo, ut non solum in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Phil. II. 13. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Col. II. 12. vocatur *fides* τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ *operationis Dei;* id est, quam Deus operatur. Hebr. XII. 2. Christus est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως, *ideo non omnium est fides;* 2 Thess. III. 2. sed est vere θεόδοτον ἀγαθὸν, ideo apostolus *pacem & caritatem cum fide precatur fratribus a Deo Patre & Domino Iesu Christo;* Eph. VI. 23. Huc pertinet dictum Christi Matth. XVI. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælo.* Nimirum per peccatum ita fumus corrupti ac depravati, ut non solum indigeamus redemtione, peccatorum remissione, salutis ac vitæ æternæ dono; sed etiam, ut ne fidem quidem ex nobis & de nostro adferre possimus, per quam divinæ gratiæ ac bonorum cœlestium participes reddamur. Misertus igitur nostri Deus perinde facit, ut fidelis medicus, qui non solum medicinam adfert ægroto, unde sanetur; sed etiam, si opus sit, & hoc efficere ægrotus nequeat, id agit, ut, quam adfert, capere possit medicinam. Hanc sententiam in locis quamplurimis contra Pelagianos, gratiæ inimicos, Augustinus ex scripturis comprobat. Lombardus II. sent. dist. 27. lit. B. *De gratia fidei Ephesiis scribens apostolus fidem non ex homine, sed ex Deo tantum esse adserit, inquiens:* Gratia salvati estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: *quod a sanctis exponitur, haec scilicet fides non est vi naturae nostrae, quia donum Dei pure est.* Ecce & hic aperte traditur, quod fides non est ex libertate arbitrii, sive ex arbitrio voluntatis. Dist. 26. præced. lit. G. ex Augustino de prædest. sanct. cap. 2. *Attendant, & verba ista* (Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis) *perpendant, qui putant, ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Commendans enim istam gratiam, quae non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, inquit: non quod sufficientes simus cogitare aliquid boni, scilicet ex nobis. Quis autem non videat prius esse cogitare, quam credere? nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Si ergo cogitare bonum non est ex nobis, ut hic apostolus tradit, nec credere, quanquam & ipsum credere nihil est aliud, quam cum adsensu mentis cogitare.* Thomas 2. 2. q. 6. artic. 1. *Ad fidem duo requiruntur, primo ut homini credibilia proponantur: secundo adsensus credentis ad ea, quae proponuntur. Quantum ad primum; necesse est, quod fides sit a Deo, quia, quae sunt fidei, excedunt rationem humanam, revelatio autem illa fit vel immediate, ut apostolis & prophetis, vel mediate. Quantum ad secundum; potest considerari duplex causa: una exterius inducens, ut miraculum vel persuasio hominis, sed neutrum est causa sufficiens, quia unus audientium & videntium miraculo convertitur, alter vero non: igitur oportet ponere causam interiorem, quae movet hominem interius. Cum vero homo adsentiendo his, quae sunt fidei, elevetur supra naturam suam,*

suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus. Hæc Thomas. Quomodo autem hujus doctrinæ integritas a corruptelis Pelagianis ac semi-Pelagianis vindicanda sit, ostendimus in tractatu de libero arbitrio (*).

Causa instrumentalis fidei.

§. CXXVII. Neque vero *immediate* vel per enthusiasticos raptus Spiritus sanctus vult operari fidem in cordibus hominum, sed *mediate* per verbi prædicationem, auditum, lectionem, meditationem. Ex luce verbi oritur lux fidei. Joh. XVII. 20. *Rogo pro illis, qui per verbum eorum in me credituri.* Rom. X. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum.* 1 Cor. I. 21. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis* (evangelii) *salvos facere credentes.* 1 Cor. III. 5. comparat apostolus ministros Christi plantatoribus ac rigatoribus, & addit: *Quis est Paulus? quis est Apollo? ministri sunt, per quos credidistis.* (credentes facti estis) Inde fides vocatur *fructus labiorum*, id est, sermonum Dei. Esa. LVII. 19. Quemadmodum in opere creationis lux corporalis oriebatur, ex verbo; *dixit enim Deus: fiat lux, & facta est lux:* Gen. I. 3. ita in opere ἀναπτίσεως sive regenerationis, quæ est veluti secunda creatio, lux spiritualis oritur ex verbo, 2 Cor. IV. 6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Jesu Christi.* Ergo causa *instrumentalis* fidei est prædicatio verbi. Spiritus sanctus non solum offert in verbo evangelii immensa beneficia Christi passione ac morte parta, sed etiam per verbum illud efficax est in cordibus hominum, accendit in eis fidem, qua oblata bona amplectantur, sibique adplicent. Quotquot igitur verbum Dei repudiant, persequuntur, blasphemant &c. in illis ordinarie Spiritus sanctus non vult operari fidem, cum tales *Spiritui sancto resistant*, Act. VII. 51. *ac se ipsos vita aeterna indignos judicent.* Act. XIII. 46. Ex quo adparet, causam, quod plurimi ad fidem & salutem non perveniant, haud quaquam in absoluto quodam Dei decreto quærendam esse; *ipse quippe vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* 1 Tim. II. 4. sed in ipsis hominibus, *qui magis amant tenebras, quam lucem,* Joh. III. 19. qui gloriam hominum gloriæ Dei præferunt, ideoque *credere non possunt*, Joh. V. 44. qui *claudunt oculos suos, ne videant*, Matth. XIII. 15. *quorum mentes deus seculi hujus excæcat, ne fulgeat illis illuminatio evangelii.* 2 Cor. IV. 4. qua de re in tractatu de electione & reprobatione uberius egimus.

SECTIO IV.

DE OBJECTO FIDEI.

Objectum fidei duplex.

§. CXXVIII. *Objectum* sive materiam *circa quam* fidei ratione notitiæ & adsensus diximus superius §. 69. esse omne solum Dei verbum in scripturis prophe-

(*) Photiniani negant, *fidem esse Spiritus sancti donum.* Ostorodus in disput. germ. opposita Tradelio part. II. cap. 12. p. 203. *Propterea quod ipsius judicio fides semper præcedat Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus per fidem accipiatur.* Resp. 1.) Si fides non est donum Spiritus sancti, & Spiritus sanctus secundum adversarios est virtus & efficacia Dei, sequitur necessario, quod fides non sit donum ipsius Dei. Si fides est donum Dei, ut revera est, siquidem Deus sua virtute & efficacia eam in hominibus operatur; 2 Thess. III. 2. Phil. II. 13. sequitur etiam, quod sit donum Spiritus sancti. 2.) Imo juxta adversarios fides non esset donum sanctificans, cum omnia dona sanctificantia a Spiritu sancto proficiscantur, atque Spiritus sanctus idcirco virtus Dei sanctificans adpelletur. 3.) Scriptura diserte testatur, quod Spiritu sancto illuminamur, sanctificamur, regeneramur, quæ omnia fidem includunt. 1 Cor. XII. 3. *Nemo potest Jesum dicere Dominum, nisi per Spiritum sanctum;* qui autem fidem habet, is potest dicere Jesum Dominum. 4.) Fidem non ita putamus donum Spiritus sancti, quasi temporis intervallo subsequatur Spiritus sanctus, sed quod Spiritus sanctus in ipsa hominis conversione fidem operatur, qua fide postea reliqua Spiritus sancti dona accipere, & pro augmento orare potest. Ergo hæc non sunt contraria, sed subalterna. GERHARDUS.

pheticis & apostolicis propositum, nequaquam vero traditiones humanas, vel rationis somnia. Porro Scholastici distinguunt inter objectum *materiale* & *formale*. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1. *Id, quod cognoscitur, est materiale objectum habitus cognoscitivi; id, quo cognoscitur, est formale. In fide formalis ratio objecti nihil aliud est, quam prima veritas, non enim fides, de qua loquimur, alicui adsentit, nisi quia est a Deo revelatum, ideo ipsi veritati divinae fides innititur tanquam medio. Si consideremus materialiter ea, quibus fides adsentit, tunc sunt multa alia praeter Deum, quae tamen habent aliquem ordinem ad Deum.* Art. 2. *Ex parte rei creditae objectum fidei est aliquid incomplexum, scilicet res ipsa, de qua fides habetur: ex parte credentis objectum fidei est aliquod complexum, per modum enunciabilis.* Quæst. 5. art. 4. *Formale objectum fidei est simplex & unum, scilicet prima veritas, secundum hoc fides una; ea vero, quae materialiter credenda proponuntur, sunt plura, & sic potest unus plura explicite credere, quam alius.* Ex hoc theoremate, quod formale objectum fidei sit prima veritas seu revelatio divina, recte deducit Gabr. Biel, quod non possit fieri additio fidei per novum artieulum ab ecclesia vel pontifice edendum: sic enim scribit III. sent. dist. 25. p. 11. dub. 3. *Sicut veritates catholicae absque omni adprobatione ecclesiae ex natura rei sunt immutabiles, & immutabiliter verae, ita sunt immutabiliter catholicae reputandae. Similiter sicut haereses absque omni reprobatione & damnatione sunt falsae, ita absque omni reprobatione sunt haereses reputandae, quod sic ostenditur: Aut veritas dicenda est catholica, quia est divinitus revelata; aut in scriptura divina contenta; aut quia ab ecclesia recepta; aut quia a summo pontifice adprobata; aut quia ex aliquo praedictorum sequitur in consequentia necessaria. Si primum aut secundum, quia revelatio divina non dependet a summo pontifice, nec ab ecclesia, ergo horum adprobatio nihil facit ad hoc, quod talis veritas sit catholica. Si tertium, quaeritur, quare ecclesia talem veritatem recepit? aut quia sibi divinitus est revelata, & tunc absque tali receptione est catholica; aut quia eam in scripturis invenit, & tunc iterum absque tali receptione est catholica; aut quia per experientiam aut naturalem rationem eam cognovit, sed rationi & experientiae ecclesia in recipiendo catholicam veritatem inniti non potest; tum quia quae sunt fidei, supra experientiam & rationem, tum quia sic omnem veritatem geometricam & naturalem posset facere catholicam; aut quia sibi placet, & sic fides esset in voluntate hominum. Si detur quartum, arguitur eodem modo. Si quintum, clarum est, quod sequeretur etiam sine adprobatione ecclesiae. Patet ergo, quod nulla veritas est catholica ex adprobatione ecclesiae vel papae, sed ecclesia vel papa per suam adprobationem aliquam veritatem fuisse aut esse catholicam agnoscit & definit.* Hactenus Gabr. Biel, quæ nunquam poterunt conciliari cum disputationibus hodiernis Pontificiorum. Piggius lib. I. hierarch. eccles. c. 2. *Ecclesia impertit canonicam auctoritatem quibusdam libris scripturae, quam ex se ipsis non habuerunt.* Stapletonus in relect. princ. fidei controv. 5. quæst. 2. artic. 4. pag. 514. *Si praesens ecclesia librum Hermae, pastoris nomine inscriptum, constitutiones apostolicas a Clemente editas & similes* (quos apocryphos libros esse manifeste constat) *in canonem sacrae scripturae referret, nulla ratio obstat, quin eos pro canonicis admittere debeamus.*, Bellarminus lib. II. de sacram. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate praesentis ecclesiae.* lib. IV. de not. ecclesiæ cap. 2. *Scripturae pendent ab ecclesia, non contra, ut saepe diximus.* Sacroboscus defens. Bellarm. part. I. cap. 6. *Verum est, multos sanctos viros quaedam mordicus tenuisse & propugnasse acerrime, quae contra Dei verbum fuerunt, nec tamen pro haereticis habitos, quoniam per auctoritatem ecclesiae tempore ipsorum contrarium non fuit definitum.* Atqui si Ecclesia librum quendam sua natura apocryphum in canonem potest referre, quomodo non potest accessio fidei per ecclesiæ decretum fieri? Si propugnantes id, quod verbo Dei contrarium, non sunt hæretici ante ecclesiæ decisionem; quomodo catholicæ veritates absque

que ecclesiæ auctoritate sunt immutabiles & immutabiliter veræ?

Quid proprie articulus fidei.

§. CXXIX. Porro cum ea, quæ in scripturis credenda proponuntur, non sint uniusmodi, sed quædam directe & per se ad fidem pertinent, quædam vero certo ordine & reductione, quales sunt historicæ descriptiones rerum a sanctis gestarum; ideo proprie & accurate loquendo non omnia, quæ in scriptura proponuntur, pro articulis fidei sunt habenda, sed tantum dogmata illa, quorum cognitio ad salutem necessaria est (*): & inter ipsos articulos fidei quoddam discrimen occurrit, quidam enim sunt *fundamentales* & *principales*, utpote mysterium Trinitatis & incarnationis, quædam vero *minus principales*, qui ad priores illos referuntur, iisque subordinantur. Thomas 2. 2. q. 1. art. 6. *Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides non secundum se, sed solum in ordine ad alia; quia vero fides principaliter est de his, quae videnda speramus in patria, ideo per se ad fidem pertinent, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam. Quaedam vero proponuntur in scriptura, ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad manifestationem divinae majestatis vel incarnationis.* Ibidem: *Articulus significat coaptationem aliquarum partium distinctarum, unde & credibilia fidei christianae dicuntur per articulos distingui, in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad se invicem.* Art. 8. *Illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, & per quae ducimur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis & mysterium humanitatis Christi, prioris visio nos beatos facit, per posterius in gloriam filiorum Dei accessum habemus.* Quæst. 2. art. 5. *Fidei objectum per se est id, per quod homo beatus efficitur, per accidens autem & secundario se habent ad objectum, quae in sacra scriptura continentur, ut quod David filius Isai. Quantum ergo ad credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, quantum ad alia credibilia, sufficit implicite credere, vel in praeparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid scriptura continet.* Hanc præceptoris sui doctrinam si in Ratisbonensi colloquio Jesuitæ observassent, nunquam erupissent in hanc vocem: *esse articulum fidei, quod canis Tobiae caudam moverit.*

Objectum fidei ratione fiduciæ esse promissiones evangelii.

§. CXXX. Ceterum cum fides sit non solum notitia & adsensus, sed etiam fiducia, ideo quærendum est proprium illud *objectum*, quod fidei, quatenus est fiducia, competit. Illud dicimus esse promissiones Dei gratuitas; est enim perpetua relatio inter verbum promissionis & fidem, quæ verbo illi innititur. Lutherus tom. II. Lat. Jen. fol. 280. *Deus non aliter cum hominibus unquam egit, aut agit, quam verbo promissionis: rursus nec nos cum Deo unquam agere aliquid possumus, quam fide in verbum promissionis ejus. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines & cum hominibus & nobis ipsis agimus. Indiget autem, ut verax in suis promissis a nobis habeatur, talisque longanimiter sustineatur, & sic fide, spe & caritate colatur. Quo fit, ut gloriam suam in nobis obtineat, dum non nobis currentibus, sed ipso miserente, promittente, donante, omnia bona accipimus & habemus.* Sed enim cum promissiones gratuitæ sint variæ, ideo dicimus, *fidei* justificantis proprium & adæquatum *objectum* esse *promissionem evangelicam* de Christo mediatore. Sane vera & justificans fides adprehendit etiam reliquas promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus, ut testantur exempla Hebr. XI. prolixe

(*) Objectum scilicet fidei ratione *adsensus* est vel *adæquatum*, nimirum omne & solum Dei verbum, vel *primarium*, quod sunt præcipua doctrinæ capita, quæ vocare solemus *articulos fidei*. Ratione *fiduciæ* objectum vel est *generale*, nimirum promissio gratiæ, vel *speciale*, quod est Christus redemtor. GERHARDUS.

lixe enumerata, sed eatenus non justificat; justificat autem, quatenus Christi meritum in verbo evangelii sibi oblatum adprehendit, id quod sequentibus confirmatum damus argumentis.

§. CXXXI. I.) Ubicunque in scripturis ex professo & velut in propria sede de fide justificante agitur, ibi proprium & adæquatum ejus objectum statuitur Christus cum suo merito, passio & mors Christi, misericordia Patris cœlestis in Christo nobis oblata, promissio evangelica de Christi satisfactione &c. quæ omnia eodem redeunt. Ergo illud ac non aliud fidei justificantis objectum est agnoscendum. *Antecedens* ex infinitis locis patet, considerentur modo sequentia. Rom. III. 24. *Justificamur gratis, per ipsius* (Dei) *gratiam, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu*, v. 25. *quem proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius.* Rom. IV. 24. *Non propter Abrahamum solum hoc scriptum, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Dominum nostrum a mortuis*, v. 25. *qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Rom. X. 4. *Christus est finis legis ad justitiam omni credenti.* v. 9. *Si credideris in corde tuo, quod Deus Iesum suscitaverit a mortuis &c.* Act. X. 43. *Christo omnes prophetae testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturi sint per nomen ejus, qui credunt in eum.* Quo pertinent emphatica illa: *credere in Christum, in nomen Christi, fide Christum recipere*, item *fides Iesu Christi &c.* II.) Illud, quo adprehenso coram Deo justificamur, & a peccatis absolvimur, illud, inquam, & nihil aliud est proprium & adæquatum fidei justificantis objectum. Atqui gratia Dei in Christo, vel quod idem est, Christus in officio mediatoris, sive obedientia & satisfactio Christi est illud ipsum & nihil aliud, quo adprehenso coram Deo justificamur. Ergo gratia Dei in Christo, vel quod idem est, Christus in officio mediatoris, sive obedientia & satisfactio Christi est proprium & adæquatum fidei justificantis objectum. *Minoris* veritas est satis evidens, dicitur enim Christus *nobis a Deo factus justitia & redemtio*, 1 Cor. I. 30. *in quem qui credit, habeat vitam æternam:* Joh. VI. 47. & additur exclusiva Act. IV. 12. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo possimus salvari, quam nomen Iesu;* quin imo hæc totius evangelii vox est perpetua, credendo in Christum nos justificari. III.) Quod peccata nostra arguit, adcusat & damnat, non potest esse proprium fidei justificantis objectum: siquidem fides quærit peccatorum remissionem & condonationem, quam nunquam inveniet in doctrina arguente, adcusante & damnante peccata. Atqui *ex lege est peccati agnitio:* Rom. III. 20. *Lex iram operatur:* Rom. IV. 15. *concludit omnes sub peccato:* Gal. III. 22. Ergo lex non potest esse proprium fidei justificantis objectum. IV.) Ex quo non est justificatio, illud non potest esse fidei justificantis objectum. *Ex* lege & *operibus legis non est justificatio:* Rom. III. 20. Gal. III. 10. *lex non est ex fide:* Gal. III. 12 *justitia Dei sine lege manifestata est:* Rom. III. 21. Ergo legis doctrina cum omnibus suis præceptis, promissionibus & operibus non potest esse justificantis fidei objectum; sed in evangelio solo illud quærendum erit, cujus summa est obedientia & satisfactio Christi. V.) Si passio & meritum Christi non est proprium fidei justificantis objectum; consequens erit, fidem, quatenus fertur in Christum, non aliter nec magis justificare, quam quatenus fertur in doctrinam de diabolis & inferno, cum & hæc in scripturis sit revelata. Item, qui credit, verum esse illud Mosaicum: *maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, habere fidem justificantem. At hæc omnia sunt absurda. Ergo & illud, ex quo talia consequuntur. VI.) Adfero huc typum ænei serpentis, cujus intuitu sanabantur Israelitæ ab inflictis venenatis vulneribus. Ut ergo Israelitarum intuitus directe in propositum serpentis typum, nec in aliud quicquam ferebatur; ita fides justificans est perspicacissimus intuitus, solum Christum in cruce exaltatum & maledictionem pro nobis factum respiciens. Joh. III. 15. VII.) Denique cujusvis vere pii & credentis conscientiam hic compello testem, quod in seriis pieta-

pietatis exercitiis contra infernales tentationes, nulla alia firma ac solida consolatio locum habeat, nisi quæ ex Dei misericordia, in Christo proposita, & ex Christi satisfactione abundantissima hauritur (*).

Testimonia patrum.

§. CXXXII. Hac de re ita loquuntur patres: Basilius in serm. de humil. *Qui gloriatur, in domino glorietur, quod Christus nobis factus sit a Deo justitia, sapientia, sanctificatio, redemtio. Haec est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis sese jactat, sed novit quidem se ipsum verae justitiae indigum esse, sola autem fide in Christum justificatum.* Ambrosius in 1 Cor. I. *Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Hilarius in cap. V. Matth. can. 8. *Regnum cælorum, quod prophetae nunciaverunt, Iohannes praedicavit, Dominus noster in se esse positum professus est, vult sine aliqua incertae voluntatis ambiguitate credi.* Chrysostomus in cap. X. Rom. *Si legis finis Christus est, sequitur, quod qui Christum non habet, etiamsi legis justitiam habere videatur, eam tamen non habeat; qui vero Christum habeat, etiamsi legem non praesliterit, totum tamen acceperit.* Augustinus serm. VIII. de verb. Dom. *Interrogo nunc, credisne o peccator Christo? dicis, credo. Quid credis? gratis universa tibi peccata per ipsum remitti posse? habes quod credidisti.* Maxentius in conf. fidei. *Quapropter ab Adam nullum huc usque per naturae vigorem credimus esse salvatum, nisi dono gratiae Spiritus sancti in fide nominis Iesu, quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, nisi in nomine Iesu.* Cyrillus libr. IV. in Joh. XXIV. *Vides, quomodo a peccatis & a prava iniquitatis via nos revocet, ut delictorum remissionem per fidem Christi consequi possimus; justificamur enim non ex operibus legis, sed gratia Christi, quae desursum nobis per misericordiam Dei concessa est.* Bernhardus, serm. I. de annunc. Mar. *Si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: dimissa sunt tibi peccata tua.* Serm. LXI. in cant. *Revera ubi tuta firmaque securitas, nisi in vulneribus salvatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado, fundatus enim sum supra petram firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia; sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus est propter iniquitates, quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur?* Remigius Antisiodorensis in Psalm. X. *In domino confido, hoc est, tota fides mea in Christo est, per illum solum credo me justificari & salvari, ille est mihi mons, ille refugium.* Pertinet huc dictum Lombardi III. sent. dist. 19. lit. A. *Deus proposuit Christum pro-*

(*) Argumentis supra adductis tria adjungi merentur oracula sacra, ex quibus itidem evinci potest, promissionem evangelicam de Christo hominum redemtore esse objectum fidei justificantis proprium & adæquatum. 1) Rom. IV. 16. *Propterea ex fide, ut sit per gratiam, quo firma sit promissio universo semini.* Fides igitur per gratiam recumbit in promissionem, & proinde promissio est proprium fidei justificantis objectum. 2.) Hebr. XI. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum & argumentum non apparentium.* Quæ enim in promissione gratiæ continentur, sperantur & non adparent. Cum ergo fidem definiat apostolus per ea, quæ sperantur & non adparent, quia hæc misericordiæ promissionem declarant; idem est, ac si diceret, fidem esse substantiam & argumentum promissionis Dei: quia fides justificans recumbit in promissionem, hoc est, in ea, quæ sperantur & non adparent, tanquam in verum & proprium objectum. 3.) Rom. IV. 20. *Adversus promissionem Dei non haesitavit, discepatavit, infidelitate, sed robustus factus est fide dans gloriam Deo;* ubi fides per fiduciam promissionis describitur. Ibidem v. 21. *Abraham roboratus est fide dans gloriam Deo, certo persuasus, quod ubi quid promisit, possit etiam praestare.* Ergo fides justificans est talis fides, qua fidelis certo persuasus est de promissione Dei. GERHARDUS.

propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, id est, per fidem passionis, ut olim adspicientes serpentem aeneum in ligno erectum a morsibus serpentum sanabantur. Si ergo recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur &c. (*).

Exceptiones Bellarmini. 1) Fidem Abrahae non respexisse promissionem de remissione peccatorum.

§. CXXXIII. Excipit Bellarminus libr. I. de justif. cap. 11. I.) *Fidem Abrahae non respexisse promissionem de remissione peccatorum, sed de vocatione gentium, & multiplicatione generis*, hoc est, ut superiori cap. 8. exponit, *Abrahamum non credidisse, sibi per specialem misericordiam remissa fuisse peccata; sed patrem se futurum multarum gentium ex filio, quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis praeter solitum ordinem cursumque naturae paritura esset. Illud credere, nihil aliud erat, quam credere Deum, qui promiserat, omnipotentem ac fidelissimum esse.* Resp. negamus, fidem Abrahae tantum respexisse Dei omnipotentiam & promissiones corporales. 1.) Promissio erat facta Abrahae de semine, *in quo benedicendae sint omnes gentes:* Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. haec promissio explicanda est ex protevangelio Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis;* ergo principale objectum fidei, qua promissioni divinae Abrahamus credidit, fuit semen illud benedictum, in quo gentes benedicendae, hoc est, Messias promissus. Augustinus libr. XVI. de civit. Dei c. 16. *Advertendum est, duas res promissas Abrahae, unam, scilicet quod terram Canaan possessurum fuerat semen ejus: aliam vero longe praestantiorem, non de carnali, sed de spirituali semine, per quod pater est non unius gentis Israeliticae, sed omnium gentium, quae vestigia ejus fidei sequuntur.* 2.) Id ipsum emphatice proponit & explicat apostolus Gal. III. 16. *Abrahae dictae sunt promissiones & semini ejus, non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.* Ergo nucleus promissionis illius est Christus mediator & redemtor (**). 3.) Fidem Abrahae proponit apostolus velut exemplar fidei, qua omnes credentes *benedicuntur & justificantur;* Rom. IV. 22. & 23. Gal. III. 8. Atqui fides reliquorum salvandorum principalis & proprii objecti loco habet Christum mediatorem ac redemtorem. Ergo de fide Abrahae idem dicendum fuerit, alias regula & exempla invicem dissiderent. 4.) Quid quod apostolus Rom. IV. 6. ad justificationem Abrahae adcommodat illud psalmi: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata:* quo igitur veritatis colore negari poterit, Abrahamum non credidisse sibi peccata remissa esse? 5.) Benedictio illa Abrahae promissa sic explicatur: Eph. I. 3. *Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in caelestibus;* & Gal. III. 13. benedictio illa constituitur in liberatione a maledicto legis: *Christus, factus pro nobis maledictum, redemit nos a maledictione legis, ut benedictionem Abrahae promissam consequeremur;* v. 9. *qui enim ex fide sunt,* benedicuntur cum fideli Abraham. 6.) Gen. XV. 1. Abrahae talis datur promissio: *Ero protector tuus & merces tua magna valde:* ubi promittit Deus se Abrahamo propitium fore; atqui sine Messiae satisfactione nemo potest Deum habere propitium, illam igitur fides Abrahae potissimum respexit. 7.) Huc referendum est circumcisionis sacramentum, quod σφραγὶδα τῆς δικαιο-

(*) Pererius objectum fidei justificantis sic describit disp. XI. in cap. III. Rom. num. 49. *Principalis materia, seu ut vocant, objectum fidei est Christus, id est, ejus humanitas & divinitas & mysteria ejus, maxime vero incarnationis, passionis & resurrectionis.* Cornelius a Lapide in comm. cap. IV. Rom. *Fidei Abrahae objectum speciale fuisse benedictum semen, videlicet Christum,* agnoscit. GERHARDUS.

(**) Abrahamus dicitur in Hebraeo *credidisse in Jehovam,* quod notat fiduciam illam, qua in Dei misericordia totus acquiescebat. Promittitur ipsi semen instar arenae maris per totum orbem diffundendum, quod in carnali semine impleri non potuit; sed demum in aggregatione gentium ad fidem Abrahae impletum est. GERHARDUS.

δικαιοσύνης τῆς πίστεως apostolus vocat Rom. IV. 11. Ideo enim circumcisio instituta est in illa parte corporis, ut de venturo semine admoneret. *Ideo sanguis profundebatur, ut sanguine promissi seminis peccatum per carnalem generationem in infantes propagatum aboleri significaretur.* Augustinus XVI. de civ. Dei. c. 33. & Theodoretus q. 73. in genesin, ceremoniam illam in juramento adhibitam, quod Eleazarus *manu subter femur posita* jurare jussus, Gen. XXIV. 2. ad recordationem promissi seminis referunt, siquidem hoc ritu velut in tabulis corporis sui promissionem de benedicto semine Abrahamus Eleazaro proposuit. 8.) Ambrosius lib. I. de Abrahamo c. 3. circa finem, huc refert dictum Christi Joh. VIII. 56. *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.* Quomodo (inquit) *Abrahae propago diffusa est, nisi per haereditatem fidei, per quam cœlo comparamur, conferimur angelis, aequamur stellis? ideo ait, sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo. Quid credidit? Christum sibi per susceptionem corporis haeredem futurum, ut scias, quia hoc credidit. Dominus ait: Abraham diem meum vidit, & gavisus est.* Ex quibus omnibus manifestum est, fidem Abrahae principalis objecti loco habuisse promissionem de Christo, propter quem se Deo placere, sibique peccata remitti credidit. 9.) Quamvis igitur fides Abrahae simul spectaverit promissionem de multiplicatione seminis, tamen per illud haudquaquam excluditur principale fidei objectum, promissio scilicet de semine benedicto, quod ex posteris Abrahae erat nasciturum; quin imo ideo promittebatur seminis multiplicatio, ut ex eo nasceretur Messias. Ergo fides adprehendens promissionem de multiplicatione seminis includit, adeoque praesupponit fidem, quae adprehendit promissionem de benedicto semine. 10.) Nec valet haec illatio: Fides Abrahae respexit Dei omnipotentiam. Ergo specialis misericordia non fuit ejus objectum; hac ratione ex subordinatis fiunt pugnantia, ex illis, quae amice conspirant, contraria (*).

§. CXXXIV. II.) *Nos principia petere, quando sic argumentamur: Fides non justificat, ut respicit historias ac legem ejusque comminationes, sic enim pavores & desperationem auget. Ergo haec omnia non sunt proprium fidei justificantis objectum.* 2) *Nos principium in eo petere, quod fides non justificet, ut respicit historias & comminationes legales.*

Hoc argumentum dicit Bellarminus a catholicis rideri, cum adsumatur id, quod erat probandum, videlicet *fidei justificantis officium esse, reddere homines securos ac certos de remissione peccatorum, & de salute sempiterna.* Resp. argumentum nostrum tale est: Quicquid conscientiam erigit, pacificat & tranquillat, illud non potest proprii objecti loco habere id, quod adcusat, terret, damnat & ad desperationem adigit, quo in numero sunt mandata legis, ejusdemque comminationes, historiae & exempla poenarum. Fides erigit & pacificat conscientiam. Ergo. &c. In hoc argumento non petitur principium, quamvis enim Romanensibus mirum & absurdum videatur, fidei justificantis officium esse, conscientiam pacificare, & hominem de remissione peccatorum certum

(*) Agnoscit hoc Pererius disp. II. in cap. IV. ep. ad Rom. num. 7. *Dicere licet, fidem Abrahae, quam in illo genesis loco laudat scriptura, non solum fuisse de carnali multiplicatione seminis: verum fuisse eam praecipue de uno illo semine ipsius Abrahae, in quo benedicendae erant omnes gentes, id autem semen erat Christus, ut interpretatur Paulus in epistola ad Gal. atque idem sentiebant veteres Hebraei, unicum illud semen, per quod benedicendae erant omnes gentes, non aliud fore quam Messiam, intelligentes atque interpretantes. Abraham porro explicatam atque expressam habuisse fidem Christi, dubitare nos minime sinunt verba illi Domini nostri* Joh VIII. 56. *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Haec Pererius, quae repetiit ex illis, quae in genesin scripsit disp. IV. in cap. 15. num. 50. ubi etiam non obscure fatetur, se ista ex alterius pontificii scriptoris, Thomae, doctoris angelici, commentario in Gen. fuisse mutuatum. GERHARDUS.

certum reddere, illud tamen immotis scripturarum sacrarum fundamentis niti, suo loco ostendimus, & quid manifestius pronunciato illo apostolico: Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus ad Deum?* Proinde *minor* propositio hujus argumenti est immota. Quæ *majori* propositioni Bellarminus obvertit, facilem habent explicationem. *1.) Fides justificat augendo pavores, non, ut illi vellent, securitatem adferendo, sed revocando a peccatis & disponendo ad justitiam.* Resp. si de securitate carnali loquitur Bellarminus, quæ timorem Dei excludit, ac peccatis libere indulget, quasi illam propugnemus, injuriam nobis facit; talem enim securitatem a fide justificante adferri non solum non dicimus, sed etiam tale quid statuentibus aperte contradicimus, ut suo loco adparuit. Quod adseritur, fidem justificare augendo pavores, id non potest aliter intelligi, quam per accidens hoc fieri; quando enim fides historica, respectu notitiæ intuetur historias & exempla pœnarum, inde oriuntur pavores conscientiæ ob admissum peccatum & metum judicii divini: illi pavores nondum sunt justificatio, sed sunt veluti anteambulones justificationis, cum Deus *prius mortificet, antequam vivificet, prius ad inferos deducat, antequam ex illis reducat.* 1 Sam II. 6. Ergo instar pædagogi cujusdam deducunt nos ad Christum, quem proposuit nobis Deus ἱλαστήριον, in quo gratiam Dei & remissionem peccatorum fides quærit, & fiducialiter eum adprehendit; ac tunc demum vere est & dicitur fides justificans. Id ipsum quodammodo Bellarminus agnoscit, dicens: *fidem respiciendo denuntiationes & historias pœnarum, & sic augendo pavores justificare, quia sic revocat a peccato, & disponit ad justitiam.* Atqui revocatio a peccato & dispositio ad justitiam nondum est ipsa justificatio, sed ejus antecedens. *2.) Non omnes historiae excitant pavores & augent desperationem, quia in historia mortis Christi ostenditur, quod mors illa sit pretium pro peccatis nostris.* Resp. quædam historiæ sunt *legales*, quædam *evangelicae*. Historia de morte & passione Christi ad legem refertur, quatenus in ea proponitur speculum lucidissimum iræ divinæ adversus peccata, cujus ignis non potuit nisi Christi sanguine exstingui: quatenus vero immensa Dei misericordia, qui Filium suum pro nobis in mortem tradidit, & pretiosum Christi meritum in ea nobis proponitur, eatenus ad evangelium pertinet, & proprium fidei justificantis objectum continet. *3.) Historiae de conversione Pauli, Matthaei, Zachaei, Magdalenae &c. in spem erigunt peccatorem, & ad quaerendum potius Deum, quam ab eo fugiendum hortantur. Ergo fides justificans respicit historias.* Resp. evangelicæ hæ sunt historiæ, in quibus immensa Dei misericordia propter Christum peccata remittentis proponitur; nec tamen nuda illarum historiarum notitia fidem justificantem absolvit, sed quando in historiis illis misericordiam Dei in Christo nobis propositam & exemplis ejusmodi comprobatam intuemur, ac firmiter statuimus, nobis quoque propter Christum peccata remitti, & Deum erga nos talem fore, qualem sese erga conversos illos præstitit, tunc demum vera & justificans fides in corde nostro oritur, quem usum historiarum evangelicarum proponit dictum apostoli 1 Tim. I. 16. *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus omnem potentiam ad informationem eorum, qui crediturі sunt in eum ad vitam aeternam. 4.) Fides respiciens leges & mandata justificat, quia excitat in homine propositum bene operandi, sine quo nemo justificari potest.* Resp. propositum bene operandi non est ipsa justificatio, sed ejus fructus atque consequens. Πρῶτον ψεῦδος hujus & superiorum exceptionum consistit in eo, quod fides justificet per modum dispositionis, non autem adprehendendo Christi justitiam in verbo evangelii oblatam, qua de re paulo post plenius agetur. Fatemur igitur, fidem historicam respicere leges & mandata; fatemur, cum fide justificante conjunctum esse bene operandi propositum, sed ex eo nondum sequitur, fidem justificare, ut respicit leges & mandata, vel prout bene operandi propositum habet conjunctum.

§. CXXXV. III.) *Ex dictis fidem in actu justificationis deseribenti-* *3.) Promissiones evangelicas*

non esse absolutas.

bentibus propter pronomina illa, nobis, nostris, me &c. recte quidem inferri, quod unusquisque generales promissiones sibi per fidem adplicare debeat, sed promissiones absolutas testari solum de sufficientia meritorum Christi, nullam autem exstare promissionem generalem, quae testetur, Christi mortem in omnium sortiri suum effectum absque ulla conditione ex parte ipsorum, sed omnes esse conditionales, quod efficaciam attinet, cum fidem & sacramenta requirant. Resp. acceptamus utraque manu, quod dat nobis Bellarminus, videlicet justificantis fidei proprium esse, generales promissiones sibi adplicare, ex quo evidenter sequitur, fidem justificantem non esse solum notitiam & adsensum, sed etiam fiduciam, qua amplectimur oblatas promissiones, easdemque nobis in specie adplicamus. Quod autem Bellarminus regerit, promissiones evangelii non esse *absolutas*, sed *conditionales*, de eo quid statuendum sit in tractatu de evangelio, late diximus. Breviter: promissiones legis proprie sunt conditionales, quia requirunt nostra opera: promissiones evangelii sunt gratuitae, quia non requirunt nostra opera, nostram dignitatem ac nostra merita; sed gratis propter Christum bona coelestia offerunt. Interim tamen, ut bonorum in promissionibus evangelicis oblatorum participes reddamur, ex parte nostra requiritur fides, quae non est opus nostrum, sed opus Dei in nobis; nec suae dignitatis respectu justificat, sed quia Christum adprehendit; nec ex viribus liberi arbitrii oritur, sed per verbum a Spiritu sancto accenditur. Ergo si *absolutum* opponitur nostris operibus & nostrae dignitati, dicimus promissiones evangelicas absolutas esse, id est, absque ullo dignitatis atque operum nostrorum respectu bona coelestia nobis offerre. Si vero *absolutum* opponitur fidei, negamus promissiones evangelicas absolutas esse, quia bonorum in evangelio oblatorum non nisi fide participes reddimur. Pari ratione si *conditionale* intelligitur respectu nostrorum operum, dicimus promissiones evangelii non esse conditionales, quia non requirunt nostra opera ac merita; sin vero *conditionale* intelligitur respectu fidei, dicimus promissiones evangelii esse conditionales, quia ex parte nostra fides requiritur: sed ex eo nondum sequitur, incertas esse evangelii promissiones, credens enim scit se credere, & quamvis fides illa laboret adhuc infirmitate, nihilo tamen minus est vera & justificans fides. Nugas igitur vendit Bellarminus, quando clarissimum dictum Johannis 1 epist. V. 13. *Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam aeternam habetis, qui creditis in nomine Filii ejus;* sophistica cavillatione eludere conatur. *Johannes* (inquit) *verissime dicit:* Omnes, qui credunt, *videlicet sicut oportet*, habere vitam aeternam, *nimirum in spe; non autem dicit, omnes, qui arbitrantur se credere, sicut oportet. Itaque ait quidem:* Haec scribo vobis, qui creditis, ut sciatis, quia vitam habetis aeternam; *sed non ait: haec scribo vobis, ut sciatis vos habere fidem, qualis requiritur. Sententia igitur apostoli conditionalis est, scribit enim iis, qui credunt, ut sciant, se habere vitam aeternam, si revera, sicut oportet, credant, hoc est, si fidem habeant, quae per dilectionem operatur.* Resp. mirum non est, illam fidem per ignorantiam a Bellarmino superius fuisse definitam, quae cum credit, tamen credere sese nescit. Atqui dictum Johannis apertissime huic monstroso errori repugnat, qui enim per fidem sese vitam aeternam habere sciunt, an illi sese credere nesciunt? & quo tandem fine apostolus haec scriberet, si nemo esset, qui se revera, ut oportet, credere sciret? latet autem sophistica ambiguitas in phrasi: *credere ut oportet.* Ea enim vel opponitur nudae jactantiae sive professioni fidei, qua quis solum *dicit se habere fidem, operibus autem eam non demonstrat*, ut loquitur Jacobus II, 14. talem hypocritam libenter fatemur, non credere ut oportet, cum fides illa sit mortua & inane simulacrum. Vel opponitur fidei imperfectioni, ut hac ratione *credere sicut oportet*, sit fide perfectissima omni omnino dubitatione exclusa instructum esse, eandemque perfectis fructibus omni imperfectione & labe destitutis comprobatam dare: ad quam perfectionem cum nemo hominum in hac vita adsurgat, ideo neminem credere,

dere, sicut oportet, consequens foret, sicque per hanc glossam jesuiticam promissiones evangelii nobis plane redderentur inutiles & incertæ. Nos autem cum apostolo dicimus Rom. IV. 16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Quamvis igitur credentes sentiant adhuc fidei infirmitatem, & hac ratione nondum tam firmiter, sicut oportet, se credere sciant; tamen serio ac sincero corde Christo adhærent, & fidem suam fructibus, videlicet dilectionis operibus comprobare satagunt, & hac ratione, ut oportet, hoc est, vere se credere sciunt, non hypocritice nudis verbis fidem jactare.

Antithesis adversariorum.

§. CXXXVI. Atque hæc sunt firmamenta nostræ sententiæ ab exceptionibus adversariorum vindicata de proprio & adæquato fidei justificantis objecto; restat, ut pontificiorum sententiam & argumenta consideremus. Sic ergo scribit Gotthardus canonicus Patavensis in defens. eccles. cathol. p. 115. *Lutherani praeter fidem historicam novam quandam specialem invenerunt, qua meritum Christi adprehendamus, ac nobis peccata remissa esse certo statuamus, eam nos non secus atque pestem exsecramur.* Censura Colonienses p. 118. *Objectum fidei justificantis est omne id, quod in verbo Dei revelatum.* Ruardus Tapperus in expl. art. 9. p. 75. *Fides, qua quis firmiter credit, & certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, imo iisdem adversatur.* Pistorius in disp. de justif. thes. 19. *In eo longe aberrant, quod opinantur, fidem ferri solum vel principaliter in passionem & mortem Christi.* Bellarminus lib. I. de justif. c. 4. *Catholici* (Romanenses) *fidem tam late patere volunt, quam late patet verbum Dei, certam autem promissionem specialis misericordiae non tam ad fidem, quam ad praesumtionem pertinere contendunt.* Id ipsum c. 8. ex scripturis, c. 9. ex traditione ecclesiastica, c. 10. rationibus probare conatur, videamus, quid præstet (*).

(*) Photiniani præcise negant, *fidem justificare per adprehensionem Christi redemtoris, ejusque meriti.* Socinus part. IV. de servat. cap. 9. p. 368.

§. CXXXVII. Ex *scripturis* Bellarminus I.) adducit multa testimonia, quæ ostendunt, *exigi & celebrari fidem divinitatis & omnipotentiae Christi.* At 1.) hæc testimonia sunt a quæstione aliena. Concludit ipse Bellarminus his dictis probari, *fidem justificantem habere aliquid aliud pro objecto praeter specialem misericordiam.* Sed enim nemo nostrum negat, fidem ratione notitiæ & adsensus habere objecti loco omne Dei verbum, ac proinde aliud quippiam præter specialem misericordiam; interim tamen fides ratione hujus generalis notitiæ & adsensus non justificat, sed quatenus fiducialiter Christum in verbo evangelii adprehendit. 2.) Peccat igitur Bellarmini argumentum fallacia oppositorum. Non enim hæc sunt opponenda: fidei justificantis objectum est Christi divinitas, omnipotentia & resurrectio. Ergo non sola Dei gratia & misericordia propter Christi obedientiam & satisfactionem. Hæc, inquam, non sunt opponenda, quia in Christo mediatore ac redemtore nostro, qui est proprium fidei justificantis objectum, consideratur & persona ipsius & duæ naturæ, & personalis earum unio, & salutare ejus officium, & omnia, quæ pro nobis fecit ac passus est. Media & finis sunt subordinata, nequaquam igitur invicem opponenda. 3.) Quamvis in illis dictis non fiat expressa & explicita mentio specialis Dei misericordiæ, *implicite* tamen eadem in illis proponitur. Qui enim vere credit, Jesum esse Christum Dei Filium & promissum mediatorem, is omnem suam fiduciam in eum collocat, & specialem Dei misericordiam in hoc mediatore & redemtore nostro positam fiducialiter amplectitur. Repetenda hoc loco regula, quod *verba notitiae apud Hebraeos saepe connotent adfectum cordis;* inde notitiæ & adsensui tribuitur, quod est fiduciæ proprium. 4.) Denique distinguenda sunt varia fidei justificantis exercitia a proprio & specifico ejus actu, hoc est, adprehensione justitiæ Christi ad vitam æternam. Ubi enim fides justificans hunc proprium & specificum actum

1.) Scriptura exigit ac celebrat fidem divinitatis & omnipotentiae Christi.

GERHARDUS.

actum exseruit, convertit se ad alia etiam objecta, amplectitur promissiones de liberatione ac mitigatione calamitatum, auxilium Dei patienter exspectat, & in tentationibus cor hominis sustentat atque erigit. Breviter: dicta adlegata loquuntur de fide justificante, sed extra justificationis actum considerata; nos autem quærimus hoc loco de fidei justificantis, quatenus justificat, proprio & adæquato objecto, quod proprie & unice esse promissionem evangelii de gratuita peccatorum remissione propter Christum mediatorem, superius ostensum fuit.

2.) *Fides justificat, quamvis non respiciat specialem misericordiam.*

§. CXXXVIII. II.) Adducit testimonia, quibus probare conatur, *fidem esse justificantem, quamvis non respiciat misericordiam specialem, & non esse fidem justificantem, si eam misericordiam forte respiciat.* Utrumque dicimus esse falsum, ideo probationem ejus audiamus. Ad probandum, fidem esse justificantem, licet non respiciat misericordiam specialem, adducit exemplum leprosi dicentis: Marc. I. 40. *Domine, si vis, potes me mundare;* ex quo elicere conatur Bellarminus, *leprosum illum de voluntate Domini, ac per hoc de misericordia Dei speciali dubitasse, nihilo tamen minus per fidem omnipotentiae & divinitatis Christi id, quod petiit, impetrasse.* Resp. 1.) Distinguenda sunt beneficia corporalia a spiritualibus, fides in petitione corporalium reverenter sese subjicit voluntati divinæ, cum non nisi sub conditione gloriæ divinæ & salutis nostræ sint promissa. Perpetua est relatio inter verbum & fidem; fides enim verbo & promissionibus divinis tanquam basi cuidam innititur. Jam vero bona spiritualia, utpote reconciliationem peccatorum, remissionem, donationem Spiritus sancti & alia bona ad salutem omnibus necessaria, credentibus sine ulla conditione Deus promisit, ideoque fides petit & exspectat ea sine conditione. Sed corporalia bona promisit Deus cum exceptione castigationis & crucis, cum conditione beneplaciti divini & utilitatis nostræ; fides igitur cum conditione eadem petit, nihilo tamen minus de exauditione certa est, novit enim ac firmiter statuit, preces nostras etiam in bonis corporalibus impetrandis profusas a clementissimo Patre semper exaudiri, scilicet si non ad voluntatem nostram, tamen ad salutem, quod denegatur voluntati, illud accedit saluti. *Unum ex duobus* (ait Bernhardus in meditat. devotiss. cap. 6. col. 1196.) *indubitanter sperare possumus, aut dabit id, quod petimus, aut illud, quod utilius.* Quare cum leprosus corporale quoddam beneficium, videlicet mundationem a lepra, per preces a Christo flagitet, ideo annectit conditionem de benigna Dei voluntate. 2.) Unde vero probabit Bellarminus, leprosum tantum de omnipotentia Christi fuisse certum, sed de misericordia speciali dubitasse? Quomodo enim potest esse vera ac Deo placens oratio, quæ non intuetur Christum, in quo solo habemus Deum placatum & propitium? Quomodo vera & perfecta oratio est, quæ sic concludit: Christus est verus & omnipotens Deus; ergo mihi subvenier? quin imo addendæ & intuendæ sunt promissiones de misericordi erga nos voluntate; misericordia & omnipotentia Dei sunt veluti duo fulcra nostræ in precibus fiduciæ. Ita quoque hic leprosus in petitione corporalis beneficii omnipotentiam & φιλανθρωπίαν Christi intuetur, nec de exauditione dubitat; interim tamen voluntati divinæ sese subjicit, cum nesciat, an mundatio illa a lepra saluti ipsius expediat: id vero non est dubitare de Dei gratia, cum & hoc sit Dei misericordiæ, sæpe non dare, quæ in corporalibus petimus.

Fides non justificat, si misericordiam Dei specialem forte respiciat:

§. CXXXIX. Ad probandum, fidem non esse justificantem, si misericordiam specialem forte respiciat, producit Bellarminus exemplum pharisæi & publicani, Luc. XVIII. 9. seqq. *quorum ille confidebat, se esse justum, & proinde habebat fiduciam specialis benevolentiae; nihilo tamen minus repulsam patiebatur; hic vero carebat fiducia illa, cum timore ac tremore accedebat ad Deum, nihilo tamen minus justificatus descendebat in domum suam.* Resp. 1.) Pharisæus fiduciam justitiæ collocavit in operum suorum merita, non

in misericordiam Dei propter Christum mediatorem promissam. Nos autem de tali fiducia hoc loco agimus, quæ non respicit dignitatem vel merita nostra; sed gratuitam Dei misericordiam in Christo nobis propositam. 2.) Vivum hujus pharisæi ingenium describitur ab evangelista, v. 9. quod fuerit *confisus in se ipso*, πεποιθὼς ἐφ' ἑαυτῷ, voluit *propriam suam justitiam coram Deo* σῶσαι, quod exponit apostolus Rom. X. 3. Inde etiam contemtui habuit proximum ex mera superbia, ut Christus ipse docet v. 13. at num talem fiduciam, quæ cum superbia & proximi contemtu conjuncta est, ac propriis meritis nititur, nos commendamus? 3.) Neque est, quod Bellarminus obvertat, *pharisæum gratias Deo agere de sua justitia, ideo fiduciam benevolentiæ non habuisse ob propria merita.* Quamvis enim fateatur, sea Deo ea habere, tamen in illis confidit, ac sese coram Deo propterea justum æstimat; unde ex superbia, quæ cum fiducia propriæ justitiæ semper conjuncta est, proximum contemnit. Proponit igitur imaginem hypocritarum, qui dicunt in operibus confidi, & laudem justitiæ coram Deo valentis in illis quæri posse, modo ad Deum ea referamus, quo in numero an non sit Bellarminus, mature ipsi dispiciendum erit. Scribit enim lib. V. de justif. cap. 5. *Hominem constitutum in gratia posse mereri vitam æternam ex condigno.* Cap. 16. *Opera justorum ex caritate facta meritoria esse vitæ æternæ ex condigno.* Cap. 17. *Non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum.* Libr. II. de gratia & lib. arbitr. c. 15. *Vitam æternam meritis bonorum operum acquiri.* Libr. I. de indulgentiis cap. 2. *Sanctos plus esse passos, quam ipsorum peccata requirerent*, Perinde ut hic pharisæus opera supererogationis commemorat. Cum enim unicum solummodo diem jejunii Deus constituisset; Lev. XXIII. 27. ipse *singulis septimanis sese bis jejunasse* gloriatur: cum certa frugum & animalium genera, de quibus dandæ essent decimæ, Deus ordinasset, ipse *de omnibus sese decimas dare* jactitat. 4.) Publicanus peccatis suis agnitis, ac serio de illis dolens ad Dei misericordiam confugit: *Deus* (inquit) *propitius esto mihi peccatori*, respicit autem ad verum ἱλαστήριον in sanguine Filii Dei propositum, Rom. III. 25. qui solus est ἱλασμὸς *pro peccatis nostris*, 1 Joh. II. 2. cujus typus fuit *propitiatorium* vet. test. quo tegebantur tabulæ legis in arca fœderis reconditæ. Hoc ergo vult publicanus dicere: O Deus, si tabulas legis velis exercere, & vitam meam ad normam illius exigere; non potero coram judicio tuo subsistere; sed vera fide intueor propitiatorium, quod typum gerit Messiæ promissi, cujus meritum & satisfactio delicta mea tegat, ne in conspectum tuum veniant, propter illum propitius esto mihi peccatori. 5.) Invertimus igitur argumentum: fides publicani, qua remissionem peccatorum impetravit & justificans in domum suam descendit, objecti loco habuit specialem Dei misericordiam propter Christum mediatorem promissam. Pharisæus contra per propriæ justitiæ fiduciam excidit Dei gratia. Ergo nostra de justificatione doctrina vera est, pontificiorum vero erronea. 6.) Non est, quod obvertat Bellarminus, *publicanum cum timore & tremore ad Deum accessisse, ac proinde fiducia illa caruisse*: ἀνακόλουθον enim istud esse, toties scriptura testatur, quoties vere piis tribuit, quod Deum timeant & sperent in eum. Ex agnitione peccati & iræ divinæ adversus peccata oriebatur in corde publicani timor & tremor; sed ex agnitione misericordiæ divinæ & beneficiorum Messiæ oriebatur in eodem fiducia, qua tristes conscientiæ angores superabat, ac Deum sibi quoque propitium fore certo statuebat. Quo pertinent sacrificia illa levitica, in quibus beneficia Messiæ ob oculos sibi proposita, vera fide intuebatur.

§. CXL. III.) Adducit locum ex Marc. XVI. 16. ubi cum dixisset Christus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*; postea subjicit: v. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c.* Ex hoc loco tale format argumentum: *Fides miraculorum est una & eadem cum fide justificante. At fides miraculorum non respicit objecti*

3.) *Fides miraculorum est eadem cum fide justificante. At illa non respicit specialem Dei misericordiam.*

objecti loco specialem misericordiam remissionis peccatorum, sed omnipotentiam & divinitatem Filii Dei. Ergo nec fides justificans. Resp. 1.) Quorum unum potest esse sine altero, ea non sunt *essentialiter* unum. Atqui fides miraculorum potest esse sine fide justificante, & contra fides justificans sine fide miraculorum. Ergo fides miraculorum & fides justificans non sunt *essentialiter* unum quid. *Minoris* pars *prior*, quod fides miraculorum possit esse sine fide justificante, patet ex Matth. VII. 23. ubi Christus dicit, se ad quosdam, qui in nomine ipsius miracula fecerunt, dicturum: *Non novi vos.* Itemque ex 1 Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum;* ubi fidem miraculorum a caritate quandoque separatam esse docetur, cum tamen vera & justificans fides *per caritatem semper sit efficax.* Gal. V. 6. Hinc recte Stapletonus, domin. XXIV. post pentec. in promt. moral. p. 627. *Etiam vera miracula non solum antichristus ipse ejusque proximi praecursores; sed quilibet haeretici non secus quam magi Deo permittente operari poterunt.* Maldonatus in cap. 9. Marci fol. 765. super verba: *Vidimus in nomine tuo ejicientem daemonia, qui non sequitur nos: Potuit nec corpore nec animo, id est, fide doctrinaque secutus Christum, daemones expellere. Posterior* pars *minoris*, quod fides justificans possit esse sine fide miraculorum, ex ipsa experientia manifeste patet. 2.) Dictum igitur Christi accipiendum est de fide apostolorum & eorum, qui in primitiva ecclesia vixerunt; apostoli enim praeter fidem justificantem etiam fide miraculorum instructi fuerunt, & in primitiva ecclesia donum miraculorum aliquandiu viguit, quod cur in sequentibus temporibus cessaverit, alibi explicatur. 3.) Fidei miraculosae & fidei justificantis diversa sunt *objecta*, vel certe diversi ad unum idemque objectum respectus. Fides miraculorum respicit doctrinam coelestem, inque ea praecipue articulum de Christo exhibito, ut miraculis confirmandam: fides justificans ratione notitiae totam doctrinam coelestem respicit ut credendam, ratione fiduciae Christum ut mediatorem pro nobis passum ac mortuum, cujus beneficia in verbo evangelii oblata sint a nobis acceptanda.

§. CXLI. IV.) His testimoniis ex evangeliistarum scriptis petitis subjicit Bellarminus testimonia ex actis apostolicis depromta. *In actis* (inquit) cap. 2. 4. 10. 13. & 17. *narrantur conciones Petri & Pauli, quibus explicatio & doctrina fidei continetur. In his autem nullum verbum est de speciali Dei misericordia, sed totae consumuntur in explicanda & persuadenda resurrectione & divinitate Christi. Item actorum* cap. VIII. 37. *cum Philippus ab eunucho baptismum postulante quaesivisset, credereine ex toto corde? respondit ille: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum; atque hoc responso Philippus contentus eunuchum continuo baptizavit. Est igitur fides justificans, non qua credimus, Deum nobis propitium esse, alioquin perperam egisset Philippus, qui sine tali fide eunuchum baptizavit, sed qua toto corde, hoc est, sine ulla haesitatione credimus, Iesum esse Christum ac Filium Dei, ac per hoc verum Deum.* Resp. 1.) Repetimus regulam superius propositam: quaedam de fide praedicantur ratione notitiae, quaedam vero ratione fiduciae. Credere divinitatem & resurrectionem Christi, pertinet ad fidem ratione notitiae: *credere Christum propter peccata mortuum esse, & resurrexisse propter justificationem nostram,* pertinet ad fidem ratione fiduciae. 2.) Ergo ut ex notitia evangelii per Spiritus sancti efficaciam oritur in corde fiducia: ita conciones apostolicae, in quibus resurrectionem & divinitatem Christi probant, eo unice spectant, ut de resurrectione & divinitate Christi certo persuasi, firmiter statuamus, Deum, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum in mortem tradidit, & ex mortuis suscitavit, propter illum nobis propitium fore. 3.) Proinde misericordia Dei specialis, divinitas, passio, mors & resurrectio Christi in objecto fidei justificantis sibi invicem non opponuntur, sed potius arctissime cohaerent, quia non nisi in Christo & propter eum Dei misericordia nobis obtingit.

4.) *In conciones Petri & Pauli nullum est verbum de speciali Dei misericordia.*

Ac

Ac nisi Christus esset verus Deus, non potuisset æquivalens pretium pro peccatis nostris præstare, iram Dei exstinguere, a diabolo, morte & inferno nos liberare. Passio & mors Christi sunt ipsum redemtionis nostræ pretium. Resurrectio est evidens testimonium, quod sufficiens λύτρον pro nobis præstitum, & quod plene simus Deo reconciliati; alias hunc vadem & sponsorem nostrum ex carcere sepulchri non reduxisset. Falsum ergo est, quod in concionibus apostolicis de resurrectione & divinitate Christi nullum contineatur verbum de speciali Dei misericordia. 4.) Quodnam vero manifestius testimonium pro sententia nostra de objecto adæquato fidei justificantis adferri posset, quam apostolicum illud pronunciatum: Act. IV. 12. *Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat salvos fieri?* Cum quo conjungenda similia dicta: Act. X. 43. *Huic* (Christo) *omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Act. XIII. 38. *Per Christum vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus illis, a quibus non potuistis in lege Mosis justificari.* v. 39. *In hunc omnis qui credit, justificatur.* Act. XV. 11. *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & patres nostri.* 5.) Phrasis apostolica: *credere in Christum*, respicit non solum personam; sed & officium Christi: neque enim sufficit ad fidem justificantem, credere, quod Christus sit verus Deus & homo in personæ unitate; sed requiritur insuper, ut agnoscamus eum tanquam constitutum mediatorem ac redemtorem nostrum, qui propter nos homo factus, crucifixus propter peccata nostra, & resuscitatus propter justitiam nostram, in quo & per quem Deo reconciliamur, peccatorum remissionem consequimur, & hæredes vitæ æternæ scribimur. Hæc omnia fides justificans in objecto suo respicit, ideo eunuchus Act. VIII. non solum credit, Filium Dei esse Jesum Christum, sed & ex prophetico vaticinio agnoscit, ipsum *propter peccata nostra vulneratum & propter iniquitates nostras attritum esse*, ac sibi propter illum peccatorum remissionem in baptismo conferri statuit.

§. CXLII. V.) Ex epistolis apostolicis hæc profert Bellarminus: Rom. IV. 18. *Abraham non credidit, sibi per misericordiam specialem fuisse remissa peccata, sed patrem se futurum multarum gentium.* Rom. X. 9. *Objectum fidei justificantis statuitur Dei resurrectio.* 1 Cor. XIII. 2. *Conjungitur fides miraculorum cum spe & caritate, ut intelligamus, fidem miraculorum esse eandem cum fide justificante.* 1 Cor. XV. 14. *Objectum fidei statuitur passio, sepultura & resurrectio Christi.* 1 Joh. V. 1. *Fides justificans sic describitur. Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et infra: v. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?* Resp. 1.) De fide Abrahæ diximus superius § 133. ac evidenter ostendimus, objectum ejus fuisse specialem Dei misericordiam in benedicto semine propositam. 2.) Quando statuimus, specialem Dei misericordiam in Christo propositam esse proprium fidei justificantis objectum, non excludimus Christi resurrectionem, quippe quæ est actus ad officium Christi mediatoris pertinens, *resurrexit* enim *Christus propter justificationem nostram*, Rom. IV. 25. Ergo quando apostolus resurrectionem Christi fidei justificantis objectum statuit, non solum non adversatur sententiæ nostræ, sed eandem etiam comprobat: neque enim qui fide tantum historica credit, Christum ex mortuis resurrexisse, justus & salvus erit, sed qui fiducia cordis Christo propter nos passo, mortuo & resuscitato adhæret, ac firmiter statuit, ipsum propter justificationem nostram resurrexisse. 3.) Fidem miraculosam & justificantem unam & eandem esse, apostolus haudquaquam adserit, quin potius fidem miraculosam a caritate abesse posse adserens, eandem a fide justificante distinguit, quippe quam Gal. V. 6. sic describit, quod sit per *caritatem efficax*. 4.) Passio, mors & sepultura Christi pertinent omnino ad fidei justificantis objectum; requiritur autem non tantum historica eorum notitia, sed etiam ut firmiter statuamus, propter nostram redemtionem, justitiam, & salutem hæc omnia a Christo facta, ac

5.) *In Epistolis Paulinis nulla fit mentio specialis misericordiæ.*

ac nobis in specie adplicemus beneficia mortis & passionis Christi. 5.) Historica illa fides, quæ in genere credit, Christum esse Dei Filium ac salvatorem mundi, nondum vincit mundum, nec regenerat; sed specialis illa fiducia, qua statuimus, Christum esse nostrum servatorem, cujus beneficia ad nos quoque pertineant, ut hac ratione cum apostolo fiducialiter dicamus: Gal. II. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Rom. VIII. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* v. 32. *qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?*

Traditio ecclesiastica.

§. CXLIII. Cap. 9. Progreditur Bellarminus ad alteram argumentorum classem, & ex *traditione ecclesiastica* probare conatur, *fidem non esse fiduciam misericordiae.* Producit igitur primo loco *symbolum apostolicum*, in quo *multa fidei objecta proponuntur, utpote de unitate & trinitate Dei, de incarnatione, passione & morte Christi &c. sed de speciali misericordia ne verbum quidem continetur.* Resp. 1.) Fidei, ratione notitiæ & adsensus, objectum est omne Dei verbum nobis in scripturis sacris revelatum, cujus brevis summa in symbolo apostolico proponitur. 2.) Manet nihilominus, quod fides justificans, qua talis, solum Christum mediatorem respiciat ac fiducialiter in eo recumbat. 3.) Misericordia Dei, trinitatis unitas, incarnatio, passio & mors Christi non excluduntur ab hoc fidei justificantis objecto, nec ei sunt opponenda: Christus enim mediator ac redemtor noster est unus, verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, qui *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & homo factus est, pro nobis passus & mortuus, resurrexit propter justitiam nostram, adscendit ad cœlum, sedet ad dextram Dei, & intercedit pro nobis.* Spiritus sanctus ministerio verbi & sacramentorum colligit ecclesiam, in qua credentibus in Christum remissio peccatorum & vita æterna conferuntur, hæc ergo omnia in fide justificante concurrunt. 4.) Implicita igitur mentio fit specialis misericordiæ in hoc symbolo. Quando enim profiteor, me credere in Christum pro me passum & mortuum, utique etiam credo, Deum sic me dilexisse, ut Filium suum unigenitum daret, qui in ara crucis pro peccatis meis satisfecit, & æternam redemtionem mihi promeritus est. 5.) Nevo quidquam supersit dubii, an non credimus in symbolo peccatorum remissionem, quæ in ecclesia per Spiritum sanctum nobis donatur? Qui peccatorum remissionem credit, an non specialem Dei misericordiam in Christo propositam, absque qua illa non habet locum, fide intuetur & adprehendit? 6.) Regerit Bellarminus, *nos credere ecclesiam & remissionem peccatorum, non quasi credamus, nos esse membra verae ecclesiae, & peccata nobis remissa esse, sed quod in ecclesia vigeat donum remissionis peccatorum, quod per baptismum aliaque sacramenta percipitur.* Resp. imo vero quemadmodum in primo articulo, credentes in Deum Patrem, omnipotentem creatorem cœli & terræ, non solum in genere credimus, Deum esse Patrem benignissimum & universi creatorem omnipotentissimum, sed etiam in specie, ipsum esse nostrum Patrem & creatorem: quemadmodum etiam in secundo articulo credentes in Christum Dei & Mariæ virginis Filium incarnatum, passum, mortuum, resuscitatum &c. non solum in genere credimus, Christum pro genere humano passum ac mortuum esse, sed etiam in specie propter nos & nostram salutem; ita quoque in tertio symboli articulo credentes ecclesiam & remissionem peccatorum, non solum credimus esse ecclesiam, in qua vigeat donum remissionis peccatorum, sed etiam in specie nos esse membra illius ecclesiæ, & nobis peccatorum remissionem contingere (*). Media, per quæ remissio peccatorum nobis confertur, videlicet verbum

(*) Selneccerus in orat. histor. de August. confess. *Lutherus sæpe numero dicere solitus est, se grato animo prædicare dexteritatem fratris cujusdam senioris in monasterio Erfordiensi, qui talem verbo-*

verbum & sacramenta, haudquaquam excludimus, nec absolutam quandam Dei misericordiam introducimus, sed τάξει mediorum divinitus constitutorum eam ordinatam esse fatemur; interim sententiæ nostræ de objecto fidei justificantis ex eo nihil decedit, scimus enim nos baptizatos esse, scimus in mysterio cœnæ corpus & sanguinem Christi nos participare. Quando in symbolo resurrectionem carnis me credere profiteor, non solum generalem mortuorum resuscitationem credo, sed etiam credo *me* ex terræ pulvere olim resuscitatum iri. Job. XIX. 25. & seqq. Unde notanter addidit primitiva ecclesia in pronunciatione hujus articuli: *Credo resurrectionem hujus carnis.* Gregorius lib. XIV. moralium cap. 29. de Euticio episcopo Constantinopolitano refert, quod in agone mortis cutem manuum adprehendens dixerit: *Credo, quod in hac carne resurgemus omnes.* Ita quoque quando peccatorum remissionem me credere profiteor, donum illud ut omnibus vere in Christum credentibus, ita & mihi in ecclesia repositum esse, & per fidem actu conferri credo. Christus notanter pronunciat Joh. XVI. 23. *Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam vero ex mandato & institutione Christi petimus remissionem peccatorum, eandem igitur firmiter credere debemus. Video autem, quo tendat Bellarminus, nimirum quod ad sacramentum pœnitentiæ, per quod confertur remissio peccatorum illis, qui post baptismum lapsi sunt, requirantur dispositiones & satisfactiones nostræ, de quibus cum perpetuo dubitare cogamur, an sint sufficientes, ideo semper dubitandum esse de remissione peccatorum. Sed de tota hac re alibi late fuit dictum. Huic argumento ex symbolo apostolico petito addit Bellarminus varia patrum testimonia, sed ea nostræ sententiæ non adversantur, loquuntur enim de fide ratione notitiæ; interim non negant, fidei justificantis ratione fiduciæ proprium objectum esse Christum mediatorem, sive quod idem est, specialem Dei misericordiam in Christo nobis propositam, id quod adparet ex omnibus dictis, in quibus fidem in ipso justificationis actu describunt. Eorum quædam superius §. 100. recensuimus, & suo loco plura enumerabuntur.

Rationes, quæ fides non habeat objecti loco specialem Dei misericordiam. 1.) In verbo Dei non reperitur annunciata salus in particulari.

§. CXLIV. Cap. 10. Profert Bellarminus varias *rationes*, quibus fidem illam specialem (uti vocat) explodere conatur. *I.) Fides in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. At in verbo Dei nuspiam reperitur annunciata salus vel remissio peccatorum mihi aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis. Ergo reliqui non nisi temere possunt credere tanquam ex verbo Dei, sibi remissa esse peccata.* Resp. generale includit suum speciale. Jam vero generalia sunt scripturæ enunciata. *Omnis, qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*, Joh. III. 16. *Omnes prophetæ testimonium perhibent Christo, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*, Act. X. 43. Sub hac universali subsumit cujusque fides in specie, ac generalibus promissionibus evangelii per fidem quilibet vere pius se ipsum includit. Quemadmodum igitur lex moralis peccati quemlibet in specie convincit per generalem illam sententiam: *Maledictus omnis, qui non fecerit, quæ scripta sunt in libro legis:* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. quamvis neminem in specie nominet: ita evangelium omnibus in Christum credentibus annunciat peccatorum remissionem, quamvis itidem in specie neminem nominet. Adde, quod ipse Bellarminus particularem agnoscat argumenti sui *minorem* per adducta exempla contraria, videlicet *paralytici*, Matth. IX. 2. *peccatricis*, Luc. VII. 50. *adulteræ*, Joh. VIII. 11. *Za-*

verborum symboli paraphrasin ipsi tradidit: Credo remissionem peccatorum. Non satis est te in genere credere, Deum quibusdam, Davidi, Petro & aliis sua peccata remittere, talem enim fidem etiam dæmones habent; sed Dei mandatum immotum est, ut credas, tibi tua peccata remitti & certus sis de justitia tuæ fidei & salute tua. GERHARDUS.

Zachaei, Luc. XIX. 9. *& latronis*, Luc. XXIII. 43. Si enim illis in ſpecie annunciata eſt per evangelicam Chriſti vocem peccatorum remiſſio, utique fides illorum objecti loco habuit promiſſionem de gratia Dei & remiſſionem peccatorum. Denique ut illis in ſpecie annunciata eſt peccatorum remiſſio, ita adhuc hodie miniſtri eccleſiæ non ſolum in genere prædicant evangelium, ſed & cuilibet vere pœnitenti per vocem abſolutionis in ſpecie annunciant peccatorum remiſſionem, id quod coram Deo in cœlis ratum ac gratum eſſe Chriſtus pronunciat, Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 23. Id ipſum confirmatur ſigillis ſacramentorum, id ipſum obſignat Spiritus ſanctus in cordibus piorum, qui συμμαρτυρεῖ, una cum noſtro ſpiritu *teſtatur, nos eſſe Dei filios*, Rom. VIII. 16. qua de re ſuo loco uberius diſputatum fuit. Deducamus igitur argumentum Bellarmini ad abſurdum. Si remiſſio peccatorum in verbo evangelii ideo negatur ſingulis annunciari, quia in ſpecie hujus vel illius nomen non exprimit; conſequens erit, voce legis non adcuſari & damnari omnes & ſingulos, quia itidem in ſpecie hujus vel illius nomen non exprimitur. At conſequens illud falſum eſſe docet apoſtolus, Gal. III. 22. & cujusque conſcientia perſentiſcit. Ergo & antecedens falſum eſſe relinquitur. Quid quod ex eodem fundamento facinoroſus proceſſum judiciarium contra ſe inſtitutum ſubterfugere poſſet excipiendo, in legibus politicis nuſpiam nominatim dici: Titius ſuſpendatur, Sempronius decolletur.

Exceptiones Bellarmini. §. CXLV. Non ignota fuit Bellarmino hæc noſtrorum reſponſio, quod generalis evangelii promiſſio includat ſpecialia, ideo variis exceptionibus eam labefactare conatur. *1.) Nuſquam dicit ſcriptura, qui credit, ſibi remiſſa eſſe peccata, juſtificatur, aut habet vitam aeternam; ſed qui credit in Filium, habet vitam aeternam, vel juſtificatur. Quod autem credere in Filium, ſit credere, ſibi remiſſa eſſe peccata per Filium, non habent adverſarii ex verbo Dei, ſed ex ſua interpretatione.* Reſp. hac ratione uno impetu evertit Bellarminus fundamentum & ſummam totius evangelii, cujus perpetua vox hæc eſt, Chriſtum θεάνθρωπον eſſe mediatorem ac redemtorem noſtrum, qui pro peccatis humani generis in ara crucis ſatisfecit, ac proinde peccatorum remiſſionem accipere, quotquot credunt in eum. Quare per veram & juſtificantem fidem non ſolum in genere agnoſcimus, Chriſtum eſſe verum Deum & conſtitutum mediatorem generis humani, ſed etiam in ſpecie agnoſcimus & firmiter ſtatuimus, Chriſtum *nobis* datum ac natum eſſe, *nobis* quoque per & propter Chriſtum dari peccatorum remiſſionem. Credere in Chriſtum non ſolum eſt confiteri, ipſum eſſe verum Deum ac mediatorem, ſed etiam firmiter ſtatuere, ipſum eſſe noſtrum mediatorem ac redemtorem, qui pro nobis paſſus ac mortuus æternam juſtitiam nobis adduxerit, cujus participes reddamur per fidem, quo pertinent fiducialia illa (ut ita loquar) pronomina: Chriſtus dilexit *me*, & tradidit ſe ipſum *pro me*, Gal. II. 20. Rex tuus ad *te* venit, Zachar. IX. 9. Matth. XXI. 5. Verbum evangelii non ſolum eſt verbum veritatis, ſed etiam verbum gratiæ & promiſſionis; priori modo reſpicit illud fides, quatenus eſt notitia & adſenſus, poſteriori vero, quatenus eſt fiducia promiſſioni illi inhærens. Ratione notitiæ etiam dæmones credunt, probe enim norunt, Chriſtum eſſe verum Deum ac mediatorem inter Deum & genus humanum; ſed cum fide illa hiſtorica non eſt conjuncta fiducia, norunt enim promiſſiones evangelii & beneficia Chriſti ad ſe non pertinere, ideo *credunt & contremiſcunt*, Jac. II. 19. Vera autem & juſtificans fides hominis vere in Chriſtum credentis cum notitia & adſenſu conjunctam habet fiduciam, qua ſtatuit per & propter Chriſtum oblata in evangelio bona, videlicet gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam ſibi obtingere. Juſtificationem noſtram conſiſtere in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti, ex apoſtolo ſuo loco demonſtrabimus. Atqui juſtificamur fide in Chriſtum. Ergo fide conſequimur peccatorum remiſſionem, & participes reddimur juſtitiæ Chriſti, quod totidem verbis apoſtoli adſerunt. Act. X. 43. *remiſſionem peccatorum conſequuntur*,

quotquot credunt in nomen Christi. Si per fidem in Christum consequimur remissionem peccatorum, utique etiam fide statuere possumus, nobis propter Christum remitti peccata, & per consequens credere in Christum, est credere, per & propter Christum sibi remitti peccata. Id adeo manifestum, ut in hoc ipso capite Bellarminus ex Augustini libr. de Spiritu & litera cap. 30. scribat: *fidem impetrare gratiam contra peccatum, & gratiam justificare a peccato.* Item: *per fidem impetrari remissionem peccatorum.* Si fide impetramus peccatorum remissionem, utique fide statuere possumus, per & propter Christum peccata nobis esse remissa. 2.) Pergit Bellarminus, ac dicit, *interpretationem nostram repugnare verbo Dei, quia credere in Filium Dei, interprete Johanne, est credere, quod Jesus sit Dei Filius: interprete Paulo, credere, quod Deus ipsum a mortuis suscitaverit;* qua de re quid statuendum sit, superius vidimus. Notitia divinitatis & resurrectionis Christi pertinet omnino ad fidem justificantem, nondum autem eam absolvit. Credere in Christum, complecti notitiam divinitatis & resurrectionis Christi, apostoli adserunt, & nemo nostrum negat; sed ad fidem justificantem non requiri fiduciam, nusquam apostoli adserunt, quin potius contrarium testantur. Rom. III. 25. *Deus proposuit nobis Christum ἱλαστήριον per fidem.* 1 Joh. V. 10. *Qui credit in Filium Dei, testimonium habet in se ipso,* v. 11. *& hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita in Filio ejus est.* Ergo vera fides intuetur Christum ut propitiatorium a Deo propositum, ut victorem mortis & ducem vitae, imo ut eum, in quo est vita aeterna: *qui ergo habet Filium Dei, habet vitam aeternam;* 1 Joh. V. 12. *recipimus autem eum per fidem;* Joh. I. 12. 3.) *Pergunt etiam in eo adversarii,* (ait Bellarminus) *quod ex antecedente conditionato colligunt conclusionem absolutam. Nam illae propositiones:* Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. *Et:* In hoc omnis, qui credit, justificatur; *conditionales sunt, ac si dictum esset: si quis credit in Filium Dei, habet vitam aeternam; at: si quis in Christum credit, justificatur. Ita enim explicat apostolus* Rom. X. 9. Si credideris in corde tuo; *& Philippus* Act. VIII. 37. Si credis ex toto corde. *Ex his igitur conditionatis propositionibus tantum conditionata colligitur conclusio. Ergo si credo, habeo justificationem & vitam aeternam.* Resp. quis vero unquam audivit conclusionem *hypotheticam,* quae nihil ponit in *esse?* In syllogismis hypotheticis *major* quidem est conditionalis, sed conclusio semper est absoluta, testibus omnibus Logicis. Proinde ex hypotheticis illis propositionibus: *si credis in Christum, salvus eris* (quas alibi Spiritus sanctus per *categoricas* exprimit) subsumit spiritus credentis: Ego credo in Christum, ex quo promte sequitur absoluta conclusio: ergo habeo vitam aeternam. 4.) *At* (inquit Bellarminus,) *adsumtio illa non exstat in Dei verbo, sed in opinione mea. Opinio autem illa mea non solum non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest, ut testatur exemplum haereticorum.* Resp. de Bellarmino & ipsius sociis traditiones papae & dubitationem perpetuam propugnantibus facile concedere possumus, fidem ipsorum non exstare in verbo Dei, sed esse meram opinionem. Sed vere credentium fides non est dubia quaedam & fallax opinio, sed opus Spiritus sancti, donum Dei & notitia omni humanae rationis ac sensuum judicio firmior, ex luce verbi in mente orta & immoto verbi fundamento innitens. Omnes vere in Christum credentes habent Spiritum sanctum, *qui testimonium reddit spiritui ipsorum, quod sint filii Dei;* Rom. VIII. 16. *per quem etiam clamant, Abba Pater,* v. 15. *vere credentes Deus signat, & dat pignus Spiritus in cordibus ipsorum,* 2 Cor. I. 22. Unde Spiritus sanctus vocatur *arrha haereditatis nostrae;* Eph. I. 14. hanc Spiritus interiorem testificationem vocare opinionem humanam est ejus, qui interioris illius testimonii sese plane expertem esse fatetur. Augustinus libr. XIII. de Trinit. cap. 1. scribit, *quod quisque credentium in corde suo videat fidem, eamque teneat certissima scientia, & clamet confidentia.* Libr. de mendacio ad Consentium cap. 3. inter credere & opinari distinguit hoc modo: *Aliquando ille, qui credit, fortiter si*

se ignorare, quod credit, quamvis de re, quam se ignorare novit, omnino non dubitet, si eam firmissime credit: qui autem opinatur, putat se scire, quod nescit. Lombardus libr. III. sent. dist. 23. lit. C. ex Augustino colligit *fidem ipsam in corde hominis ab ipso homine videri non corporaliter, non imaginarie, sed intellectualiter;* quomodo igitur fides nuda opinione niti dicetur? Si nemo potest certo scire & adfirmare, quod vere credat, quare apostolus jubet, ut nos ipsos probemus, an in fide simus? 2 Cor. XIII. 5. *Vosmet ipsos probate, an stis in fide, ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmet ipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* v. 6. *spero autem, quod cognoscetis, quia non sumus reprobi.* Ex quo loco colligimus hoc axioma: Quicunque non agnoscunt, se esse in fide & in Christo per fidem, illi sunt reprobi. Huc referenda sunt exempla omnium vere credentium: *Nos credimus & cognovimus*, dicunt discipuli Christi; Joh. VI. 69. *Credo Domine*, dicit pater lunatici; Marc. IX. 24. *Scio, cui credidi*, dicit apostolus; 2 Tim. I. 12. *Nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi*, dicit in persona omnium credentium; Gal. II. 16. quin imo omnes credentes *eodem fidei Spiritu* in Christum credere pronunciat, quo David credidit; 2 Cor. IV. 13. Hæc de opinione tantum humana dici, nunquam probari poterit. *Fide ad Deum accedimus*, Hebr. IV. 16. *pacem habemus apud Deum*, Rom. V. 1. *ac certi* reddimur, *quod neque vita, neque mors, &c. separare nos possit a dilectione Dei, quae est in Christo*, Rom. VIII. 38. Illos effectus opinioni humanæ & quidem fallaci attribui, quis induci poterit, ut credat? Quæ de hæreticorum fide adduntur, suum habuerunt locum in quæstione de incertitudine gratiæ. Nec est, quod Bellarminus obvertat, *non contineri hoc in scripturis, quod hic vel ille vere credat in Christum;* sufficit enim generalem illam propositionem in eis contineri, omnis, qui credit in Christum, habet vitam æternam. In illa generali implicite continetur specialis conclusio. Ergo hic vel ille in Christum credens, salvus erit. Perinde ut lex accusat omnes, quamvis hujus vel illius non faciat expressam mentionem. 5.) Pergit Bellarminus, *non satis esse quocunque modo credere, sed toto corde esse credendum, ac fidem debere esse vivam, quae pariat fructus bonorum operum. At hoc nemo adfirmare potest, se toto corde &, ut oportet, credere, ac fidem habere vivam & cum caritate conjunctam.* Resp. de hypocritis hæc verissime dicuntur, qui *lucem* fidei non exserunt *per opera;* Matth. V. 16. nec *vocationem & electionem suam faciunt certam*, 2 Petr. I. 10. sed de vere credentibus falsissime pronunciantur; illi enim sciunt, se toto corde, hoc est, non simulate & hypocritice credere. Ideo cum Philippus eunuchum quæreret: *Si credis ex toto corde*, baptismus tibi conferetur, ipse subjicit: *Credo, Filium Dei esse Jesum Christum*, Act. VIII. 37. illi etiam fidem suam per dilectionem exserunt; Gal. V. 6. quamvis & operum imperfectionem & infirmitatem simul agnoscant & deplorent. Quod addit Bellarminus propositionem illam: *Qui credit in Filium Dei, habet vitam aeternam*, ita limitandam esse, *si cetera adhibeat, quae fides adhibenda demonstrat*, de eo inferius agetur.

§. CXLVI. II.) Altera Bellarmini ratiocinatio talis est: *Fides justificans praecedere debet justificationem, est enim causa justificationis, jam vero omnis causa prior effecto. Atqui fides specialis misericordiae sequitur justificationem. Quomodo enim vera fides est, qua credo mihi remissa esse peccata, si dum ita credo, nondum sunt remissa, sed per hunc actum postea remittenda? Item remissio peccatorum est objectum fidei, at per hoc prius debet esse, quam fides. Ergo fides specialis misericordiae non est fides justificans.* Resp. 1.) Relata sunt simul: τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει. Aristoteles in categ. c. 3. Jam vero fides justificans & remissio peccatorum sunt relata, quia fides in Christo invenit & adprehendit remissionem peccatorum. Ergo sunt simul. Quicunque vere credit in Christum, illi remittuntur peccata, & cui peccata remittuntur, is habet fidem justificantem. 2.) Apostolus justificationem describit per remissionem peccatorum.

2.) *Fides specialis misericordiae sequitur justificationem.*

Rom. IV. 7. & 8. ex Psalm. XXXII. 1. Ergo ubi est remissio peccatorum, ibi justificatio, ubi justificatio, ibi fides justificans. 3.) Et quomodo fides specialis misericordiæ sequi poterit justificationem, cum absque ea justificatio non habeat locum? Ipse Bellarminus fidem refert inter dispositiones, quæ justificationem præcedunt lib. I. de justif. cap. 13. 4.) Axioma illud, quod omnis causa prior sit effecto, varias habet limitationes. Enumerabimus duas, quæ sunt hujus loci propriæ. Causa est prior effectu, scilicet *materialiter*, non autem *formaliter*, quatenus est causa, eo enim modo causa & effectus sunt relata, ideoque simul. Deinde causa *ordine naturae* prior est, non autem *tempore*, sic lux coæva soli. Sic fides cum ad justificationem se habeat tanquam causa instrumentalis ad effectum, ideo naturæ ordine prior est, non tamen tempore. 5.) Non ideo demum in Christum credimus, quia prius remissa nobis sunt peccata; *sed credendo in Christum accipimus remissionem peccatorum*, Act. X. 43. *Fides ad justitiam nobis imputatur*, Rom. IV. 5. *quae justitia in peccatorum remissione consistit*. v. 7. Fides igitur justificans respicit peccatorum remissionem in verbo evangelii oblatam non ut præteritam, sed ut præsentem, eamque adprehendendo facit suam. Promissio evangelica de remissione peccatorum prior est fide, sed promissum bonum in verbo evangelii oblatum, hoc est, peccatorum remissio, non nisi per fidem obtingit. 6.) Distinguendum igitur inter *objectum* ejusque *adplicationem*, vel, quod idem est, inter promissionem *oblatam* & *receptam*. Promissio de remissione peccatorum in verbo evangelii oblata est objectum fidei, & hac ratione prior est fide: sed eadem promissio firma fide recepta actu confert peccatorum remissionem, & hac ratione fides justificans & remissio peccatorum sunt simul.

3.) *Fides specialis tollit e medio orationem, sacramenta, opera bona, &c.*

§. CXLVII. III.) *Fides specialis tollit e medio orationem, sacramenta, opera bona, & quicquid aliud Deus ad salutem nostram instituit. Ergo non debet dici fides justificans, sed potius justificationem impedient, & ad exitium ducens.* Resp. Parcius ista viris tamen objicienda memento. Fides specialis misericordiæ nihil eorum tollit, quæ Deus ad salutem nostram instituit. Non orationem, quia *justificati fide pacem habemus, & cum fiducia ad thronum gratiae accedimus, clamantes: Abba Pater!* Rom. V. 1. Hebr. IV. 16. Rom. VIII. 15. Fides fundit orationem, & oratio fusa fidei impetrat firmitatem. Nunquam compellabimus Deum ut Patrem, nisi de speciali ejus misericordia per fidem certi simus. Gal. IV. 6. *Quoniam estis filii* (*per fidem in Christo*, ut exponitur cap. III. 26.) *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater!* Nec sacramenta tollit fides illa specialis, quia sacramenta sunt media divinitus instituta, per quæ Deus nobis offert suam gratiam, ac promissionem evangelicam de remissione peccatorum obsignat. Ergo ut fides est instrumentum recipiens ex parte nostra, ita sacramenta sunt media offerentia ex parte Dei, ut δόσις ἢ λῆψις, ita quoque media δόσεως ἢ λήψεως sibi invicem non opponuntur, sed amice conspirant, seseque invicem ponunt. Nec opera bona excludit fides, sed potius est radix & mater vere bonorum operum, cum sit *efficax per caritatem*, Gal. V. 6. Fructus arbori non opponuntur, sed ex ea nascuntur: nec fidei fructificatio est instar partus viperini, ut fœtus matrem enecet: quin imo vera fides tam non est sine operibus bonis, quam sine radiis sol, sine fervore ignis. Quomodo igitur immane illud pronunciatum suum Bellarminus probat? 1.) *Si certo*, inquit, *atque ex fide credere debeo, mihi peccata esse per Christum remissa: non possum cum publicano dicere: Deus propitius esto mihi peccatori; aut cum apostolis & ecclesia universa: Dimitte nobis debita nostra.* Resp. imo vero quia quotidie peccamus, ideo quotidie peccatorum remissionem petimus; quotidie sordidamur, ideo etiam quotidiana per sanguinem Christi ablutione indigemus. Sancti igitur quotidie petunt peccatorum remissionem, non quod de remissione dubitent; sed quia precibus ex fide profectis peccatorum quotidianorum remissio a Deo impetranda est; si de gratia Dei

ac

ac remissione peccatorum dubitarent, non orarent ex fide. Ideo dulcissimum nomen Patris ex institutione Christi in oratione dominica præmittimus, peccatorum nostrorum condonationem ab eodem in fide petituri. Probatio igitur Bellarmini nititur falsa hypothesi, quod in sanctis non maneant peccati reliquiæ; continet etiam paralogismum causæ, quod sancti remissionem peccatorum petant, quia de ea dubitent; & per inversionem everti potest. 2.) *Non erit opus baptismo, si per fidem, quae baptismum praecedere debet, certus sum, mihi remissa esse peccata.* Resp. baptismus est medium conferendæ & obsignandæ sive confirmandæ fidei. Infantibus per baptismum confertur fides, cum Spiritus sanctus regenerationem in cordibus infantum baptizatorum operetur, quæ sine fide non habet locum. In adultis, qui per veram fidem jamdum adhærent Christo, baptismus est salutare medium, per quod Spiritus sanctus obsignat, auget & confirmat fidem; neutro igitur modo per fidem specialem usus baptismi tollitur. Idem dicimus de pœnitentia, eam non tolli per fidem, cum peccatum adhuc in carne renatorum habitet, quod mortificandum est quotidie, & si quos protulit vitiosos stolones, illi protinus per veram fidem averruncandi sunt.

4.) Fiducia de remissione peccatorum pendet a bona conscientia. Ergo est poste-

§. CXLVIII. IV.) *Fiducia, qua quis confidit sibi esse remissa peccata, seque Deo gratum esse, pendet a bona conscientia & perseverantia in dilectione & operibus bonis, proinde praeexigit justificationem, & est ea posterior.* Resp. 1.) Etsi fides justificans non est sine bonis operibus, tamen in actu justificationis sola fides meritum Christi adprehendit, qua ratione & respectu non pendet a bonis operibus. 2.) Neque enim respicit quantitatem operum, aut aliud quiddam justitiæ meritorium atque acceptatione dignum; sed solam gratuitam Dei misericordiam in Christo & propter Christum sibi oblatam, quam cupide atque arcte complectitur. 3.) Una est & eadem fiducia, qua remissionis peccatorum in actu justificationis participes reddimur, & quæ Christum semel adprehensum firmiter retinet, ut *in corde nostro habitet*, Eph. III. 17. Non solum *justificamur fide, sed etiam fide stamus*, Rom. XI. 20. *& custodimur virtute Dei in salutem per fidem.* 1 Petr. I. 5. 4.) Fides justificans est causa bonæ conscientiæ, dilectionis & bonorum operum, ut adparet ex dictis Gal. V. 6. *Fides per dilectionem operatur.* 1 Tim. I. 5. *Finis praecepti est, caritas ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* v. 18. *Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.* Ergo hæc a fide pendent; in quibus dictis fiducia cum bona conscientia & operibus bonis conjungitur, in illis docetur, non propter quid Deo reconciliemur, & in gratia apud ipsum simus; sed unde certi simus, nos veram in Christum fidem habere, per quem & propter quem solum in gratiam recipimur. Quæ Bellarminus adnectit de certitudine electionis, & an fides semel habita amitti possit, suum alibi habent locum.

rior justificatione.

SECTIO V.

DE EFFECTU FIDEI QUI EST JUSTIFICATIO.

Effectus veræ fidei est justificatio.

§. CXLIX. Hactenus de objecto fidei justificantis diximus, restat, ut de *munere* sive *effecto* ejusdem, quæ est justificatio, pari perspicuitate disseramus. Quamvis enim varii effectus veræ in Christum fidei in scripturis tribuantur, quos superius §. 72. membro 8. enumeravimus, videlicet remissio peccatorum, justificatio, εἰρήνη, tranquillitas conscientiæ, liberatio a damnatione legis, securitas spiritualis, benedictio cœlestis, purificatio cordis, victoria satanæ & mundi, patientia, accessus ad Deum, obsignatio veritatis, dilectio Dei & proximi, spes futuræ gloriæ, confessio veritatis, invocatio, obedientia erga Deum, denique vita & salus æterna; (quorum effectuum quidam concernunt ipsos credentes, quidam vero proximum) inter hos tamen cumprimis eminet justi-

justificatio; reliqui enim vel cum justificatione sunt iidem, vel eam proxime consequuntur, eidemque immediate adhærent. Porro fidei justificationem toties scriptura tribuit, quoties pronunciat, *credentes in Christum justificari*, Act. XIII. 39. *fide hominem justificari*, Rom. III. 28. *per fidem Iesu Christi nos justificari*, Gal. II. 16. *justitiam esse ex fide Iesu Christi*, Phil. III. 9. *fidem imputari ad justitiam*, Rom. IV. 5. *Deum justificare eum, qui est ex fide Iesu Christi*, Rom. III. 26. Hæc ergo omnia sunt ἰσοδυναμοῦντα. Quando enim credentes in Christum a Deo justificari dicuntur, exprimitur non solum *subjectum*, quinam scilicet sint illi, qui a Deo justificantur, sed etiam *modus* ac *medium* justificationis, quod scilicet fides sit illud medium atque organum, quo beneficia Christi in verbo evangelii oblata adprehendimus, nobisque adplicamus, in quorum adplicatione modus ac forma justificationis consistit. Et sane inter nos & adversarios de eo non controvertitur, an fides justificet? cum scripturæ dicta, quibus hoc adseritur, solis radio scripta merito dicantur: id vero totis viribus negant & impugnant, quod sola fides justificet, inde nos, qui adfirmativam in hac quæstione propugnamus, fidesolarios vocant, perinde ut orthodoxi, in primitiva ecclesia τὸ ὁμοούσιον propugnantes, dicebantur homousiani, referente Sixto Senensi libr. IV. biblioth.

Fidem solam justificare.

§. CL. Repetimus igitur verba Augustanæ confessionis artic. IV. in quo confessio ecclesiarum nostrarum de hoc præcipuo doctrinæ christianæ capite satis perspicue exponitur: *Credimus & confitemur, quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro peccatis satisfecit, hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso.* (ubi adprime notanda oppositio illa, qua tria tribus ex adverso opponuntur, viribus propriis gratia Dei: meritis propriis Christus; propriis operibus fides) Illud breviter complectitur hæc propositio: fides sola justificat. Adcurate autem propter calumnias adversariorum notandum, quod particula *sola* non determinet subjectum, quasi fides justificans sit sola & a caritate ac reliquis virtutibus separata, siquidem vera fides est viva, non mortua, est efficax per caritatem, non ἀεργῶς & otiosa: sed μόνον illud ἐκκλειστικὸν determinat prædicatum hoc sensu, quod sola Christi justitia, cujus adprehendendæ vis soli fidei, non operibus convenit, coram Deo simus justi. Non negamus, Spiritum sanctum in renatis accendere novos motus, & justificatos in bonis operibus ambulare debere, quin potius diserte dicimus, ubi nondum sunt novi isti motus a Spiritu sancto excitati, ibi etiam veram fidem nondum esse accensam; diserte etiam dicimus, bona opera debere sequi in justificatis. Hoc vero est, quod modis omnibus negamus, vel novos illos motus esse *habitualem* coram Deo valentem justitiam, vel bona opera esse *actualem* justitiam, qua coram Dei judicio niti, & consistere possimus. Proinde ut agenda Brunsvicensia adcurate loquuntur: *Urgemus particulas exclusivas in merito, in adplicatione, & in forma justificationis, ut scilicet opera statuantur vel meritum, vel medium adplicationis, vel forma aut pars nostrae justificationis coram Deo, sed sola Dei gratia propter solum Christum, quem fides sola adprehendit, suos justificari confitemur ac credimus.* Particula *sola* removet opera, non ab actu præsentiæ, sed a communicatione efficientiæ, hoc est, non ut adesse fidei & justificatis, sed ut fidei in actu justificationis cooperari negentur. Inde alicui videri possit, quod propositio hæc: fides sola justificat, evidentius exprimat, determinationem *exclusivam* pertinere ad prædicatum, ac calumniæ adversariorum minus sit obnoxia, quam si informetur hoc modo: sola fides justificat.

1.) Aut fides & opera simul, aut opera sola, aut fides sola justificat.

§. CLI. In percensendis argumentis, quibus probamus, nos sola fide justificari, observabimus seriem Bellarmini, ut ab exceptionibus ejus commodius vindicari possint. I.) Aut fides & opera simul justificant, aut opera sola, aut fides sola. Non *primum*,

mum, quia in propria sede hujus doctrinæ excluduntur opera ab actu justificationis. Rom. III. 28. *Arbitramur hominem justificari fide absque operibus legis.* Rom. IV. 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam.* Rom. XI. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Gal. II. 16. *Scientes, quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide, & non ex operibus legis, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Eph. II. 8. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*, v. 9. *non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Tit. III. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* In his ac similibus dictis opponuntur fides & opera in actu justificationis. Quamvis enim extra actum justificationis optime eis conveniat, ita, ut vera fides non sit absque bonis operibus, nec vere bona opera absque fide, tamen in actu justificationis manifeste sibi invicem opponuntur. Jam vero oppositorum ea est natura, ut posito uno tollatur alterum; posita ergo justificatione per fidem, negabitur justificatio per opera, ac proinde fidei & operibus simul non potest tribui justificatio. Nec *secundum* dici potest, videlicet quod opera sola justificent, ut adversarii ipsimet agnoscunt, manet ergo *tertium*, videlicet quod fides sola justificet. Sed de loco Gal. II. 16. aliquid hic monendum. Cornelius a Lapide voculam ἐὰν μὴ *adversative* interpretatur *nisi*, id est, *sed*. Græcum enim ἐὰν μὴ respondet Hebræo אִם id est, *verum, veruntamen*. Patere hoc dicit ex antithesi. Vult enim apostolus justificationem non tribui operibus legis, sed fidei Christi. Cum ergo hanc antithesin significet per *nisi*, sequitur, *nisi* hic etiam adversativum; secus habet, si simpliciter sine antithesi poneretur, verbi gratia, cum dico: homo non vivit, nisi per animam, *nisi* hic idem valet, quod *tantum*. Hæc enim propositio *exceptiva* idem valet, quod hæ duæ, per quas exponi debet, scilicet homo vivit per animam, & per nullam aliam rem vivit, nisi per animam. Male ergo novantes hic exponunt, nisi per fidem Christi, id est, tantum per fidem Christi. *Resp.* 1.) Nobis perinde est sive adversative sive exegetice (ut sit sensus, id est, non justificari eum nisi per fidem) modo exclusive accipias. Ita vero accipiendum esse patet ex canone logico: *Ab exceptiva negativa ad exclusivam affirmativam & contra ab hac ad illam valet consequentia.* Confer 2 Reg. IX. 35. 1 Paral. XV. 2. Matth. XIV. 17. Marc. XIII. 32. cum Matth XXIV. 36. Item Marc. II. 26. cum Matth. XII 4. & Luc. VI. 4. 2.) *Majorem* ergo in argumento Cornelii negamus; (quæ sic habet: ubicunque τὸ *nisi* non simpliciter ac sine antithesi, sed ἀντιθετικῶς seu *adversative* ponitur; ibi non sumitur *exclusive*, videlicet pro *tantum*) nam contrarium potest ex variis exemplis probari. Apoc. IX 4. &c. 3.) Invertimus ergo argumentum hoc modo: quandocunque in una propositione prædicata diversa per antithesin removentur, mediante particula *nisi*, tum hæc ipsa vox exclusive sumitur. Atqui illud fit hoc loco. 4.) Confirmat hoc ipsum versio Italica in bibliis anno 1546. Venet. edita. Pontificius quidam ἀνώνυμος accipit hypothetice: *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*, ut per vocabulum *nisi* notetur conditio, sub qua justificetur homo ex operibus legis, nempe si ad opera accesserit fides. *Resp.* ex Cornelii ipsius sententia in contrarium sic colligimus: quandocunque vocula *nisi* adversative atque oppositive sumitur, tunc certe hypothetice & quasi *assertive* non sumitur. Atqui fatente Cornelio Gal. II. 16. sumitur *adversative*; ergo ineptissima foret hæc interpretatio: non justificatur homo ex operibus nisi per fidem, ergo justificatur homo simul ex operibus legis & per fidem. Perinde ac si diceres; homo non justificatur per peccata mortalia nisi per fidem; ergo simul per peccata mortalia & fidem justificatur. Socinus & Ostorodus existimant, *Paulum agere de operibus perfectis & absolutis in hoc dicto. Ideo enim* (inquiunt) *adjecit*, sine operibus legis, *ut indicaretur, loqui apostolum de operibus a lege requisitis, & sic de perpetua & perfectissima divinorum præceptorum obedientia, sicut*

lex requirit. Cum autem talem obedientiam, qualem lex requirit, nemo praestare possit, ideo (inquiunt) *subjecit apostolus, nos justificari fide, id est, fiducia & obedientia ea, quantam quisque praestare potest, & quotidie quam maximam praestare studet & committitur sine operibus legis, id est, etsi interim perfecte legem totam, sicut debebat, complere nequit.* Resp. 1.) Hæc interpretatio est coacta & ficta. 2.) Convellitur a cap. VI. Rom. ubi apostolus a credentibus obedientiam erga mandata exigit. Cornelius a Lapide in cap. III. Rom. p. 62. *Cum apostolus hic passim fidem ab operibus separat & distinguit, opera intelligit legis non solum ceremonialia, & judicialia, sed & moralia, sive decalogi.* Augustinus libr. de Spiritu & lit. cap. 8. epist. CC. hanc glossam, quod apostolus de solis ceremonialibus operibus loquatur, multis refellit. Syrus ἐὰν μὴ Gal. II. 16. effert per אלא quod in communi usu *sed* significat, quemadmodum ex eodem capite v. 20. liquet. Ergo sensus est: *Non justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem.* Nec infrequens videri debet ἐὰν pro ἀλλὰ usurpari. Nam 1.) sic etiam usurpantur Hebræa אִם לֹא Gen. XXIV. 38. & כִּי אִם Esa. LIX. 2. quæ utrobique græci interpretes per ἀλλὰ convertunt. 2.) Rabbinicum אֶלָּא quod vel compositum est ex אִם לָא, ut dages in lamed absentem literam indicet, vel ex Græco ἀλλὰ proficiscitur, ut Elias, Mercerus & alii putant. 3.) Græcum εἰ μὴ. 1 Cor. VII. 17. Apoc. IX. 4. & cap. XXI. 27. ubi perspicuum est, *adversativam* esse significationem. *Exceptiva* enim propositio statuit subjectum universale, sub quo contineri oportet, quod excipit; at homo non continetur sub isto subjecto, fœno nempe & arbore Apoc. IX. 4. *Nec qui scripti sunt in libro vitae continentur sub inquinato & abominabili.* Apoc. XXI. 27.

Exceptio, excludi solummodo opera liberi arbitrii, quæ fidem præcedunt.

§ CLII. Excipit Bellarminus libr. I. de justificat. cap. 19. *Per opera, quae a justificatione excluduntur, intelligi non in genere omnia opera, sed ea tantum, quae fidem praecedunt, & quae solis liberi arbitrii viribus fiunt.* Resp. 1.) Fatetur Bellarminus, quosdam ex Pontificiis, puta Ederum & alios, disputationem Paulinam sic explicare, quod opera saltem ceremonialia excludantur, unde judicamus de ipsorum consensu tantopere deprædicato. Joh. Paulus Windeck in disp. de justificatione Friburgi habita anno 1610. thes. 33. & seqq. aliquot argumentis probare conatur, hanc explicationem, qua per opera legis tantum ceremonialia intelliguntur, non esse improbabilem. 2.) Recte autem deserit Bellarminus hanc suorum complicum sententiam, quia apostolus simpliciter excludit opera, nulla facta mentione legum ceremonialium, quin imo diserte testatur, se de ea lege loqui, ex qua est *agnitio peccati*, Rom. III. 20. quæ *iram operatur*, Rom. IV. 15. quæ *omnes homines peccati arguit*, Rom. III. 9. *& damnat universum mundum*, v. 19. quæ *cordibus hominum inscripta*, Rom. II. 15. quæ *data est propter transgressiones*, Gal. III. 19. quæ *exsecratur omnes homines* propter inobedientiam, v. 10. de qua dicitur: *Qui fecerit ea homo, vivet in eis, & maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis*, v. 12. a cujus legis *maledictione nos Christus liberavit.* v. 13. Atqui hæc omnia vel plane non conveniunt legi ceremoniali, vel non soli, sed etiam morali. Proinde non potest *exclusiva* apostoli de solis operibus legis ceremonialis intelligi: derogatur Abrahæ justificatio ex operibus; jam vero tempore Abrahæ leges ceremoniales nondum erant latæ. Ergo non possunt intelligi opera juxta leges ceremoniales facta. Quinimo si opera legis ceremonialis ab apostolo excluduntur, utique etiam opera legis moralis. Ut enim recte collegeris: nulla opera legis justificant, ergo nec opera legis ceremonialis; ita recte etiam concludes: opera legis ceremonialis non justificarunt, ergo nullius legis opera justificant. Si enim operibus accepta ferenda esset justitia, quomodo opera legis ceremonialis excluderentur? cum ceremoniarum observatio ad primam decalogi tabulam pertinens, divini cultus pars fuerit non postrema. Recte igitur Augustinus colligit in libr. de Spiritu & litera cap. 8. *Ne quisquam putaret, hic apostolum dixisse, ea*

lege

lege neminem justificari, quae in sacramentis veteribus multa continet figurata praecepta, unde etiam est ipsa circumcisio carnis; continuo subjungit, quam dixerit, legem, & addit: Per legem cognitio peccati. Idem epist. CC. *Non solum illa opera legis, quae sunt in veteribus sacramentis, & nunc revelato testamento novo non observantur a christianis, sicut est circumcisio praeputii, & sabbati carnalis vacatio, & a quibusdam escis abstinentia, & pecorum in sacrificiis immolatio, & neomenia & azymum & cetera hujusmodi; verum etiam illud, quod in lege dictum est:* Non concupisces, *quod utique ex christianis nullus ambigit esse dicendum, non justificat hominem, nisi per fidem Jesu Christi & gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Valeat ergo commentum istud, quod opera solum ceremonialis legis excludat apostolus. 3.) At non majoris ponderis est altera exceptio (*), magis probata Bellarmino, quod a justificatione excludantur opera ante fidem, & solis liberi arbitrii viribus facta, quod sic demonstramus: a.) Ubi cunque absolute & simpliciter opera a justificatione excluduntur, ibi etiam renatorum opera exclusa intelliguntur. Atqui apostolus absolute & simpliciter excludit opera a justificatione; perpetua enim oppositio est apud apostolum inter legem & evangelium, fidem & opera, credere & operari. Ergo etiam renatorum opera intelliguntur exclusa. b) Omnia opera legis ab actu justificationis excluduntur. Atqui renatorum opera sunt opera legis, quia Spiritus sanctus renatis proponit legem tanquam normam bonorum operum. Psalm. CXIX. 35. *Deduc me per semitam mandatorum tuorum.* Rom. VII. 22. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* v. 25. *Mente servio legi Dei.* Gal. V. 22, 23. bona opera dicuntur *fructus Spiritus, contra quos non sit lex,* utique ergo sunt opera legis, hoc est, a lege praecepta & legi conformia. Ergo etiam renatorum opera ab actu justificationis excluduntur (**). c) Apostolus Paulus erat utique renatus. Atqui excludit sua & credentium opera. Gal. II. 16. *Et nos credimus in Christum Jesum, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis:* ubi perfectum ponitur pro praesenti phrasi hebraica, quod observavit etiam latinus interpres, qui textum apostolicum sic reddit: *& nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide,* quo pertinet illud: 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus.* Ergo non de solis non renatorum operibus loquitur (***). d) Exemplum & regula exactissime congruunt. Jam ve-

Omnia omnino opera excludi probatur.

(*) Quam & Duraeus libr. VIII. contra Witakerum f. 253. amplectitur, statuens, *apostolum loqui de operibus factis sine gratia, seu ex viribus liberi arbitrii in hominibus nondum renatis sine dono Spiritus.* GERHARDUS.

(**) Paulus excludens opera a justificatione non scribit Judaeis nondum conversis aut baptizatis, sed Romanis, quorum *fidem praedicari* ait *in toto orbe:* Galatis, quorum mirificam erga se benevolentiam laudat: cap. IV. 14. Ephesiis, quos *sanctos & in Christo renatos* vocat; cap. II. 13. nihilominus tamen negat, eos per opera legis justificari posse, non tantum ea, quae fecerant nondum renati, sed in universum, quae ipsi tum, cum essent in Christo, faciebant. Apostoli ipsi in concilio Hierosolymitano Act. XV. 10. *Quid tentatis jugum imponere &c.* Cum apostolus Eph. II. 9. & 10. fidem adstruit rejectis operibus, *non ex operibus, ne quis glorietur,* statim haec verba subjungit: *Nam ipsius opus sumus conditi in Christo Jesu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quaerimus, quaenam sint illa opera, de quibus apostolus loquitur? profecto opera, *quae Deus praeparavit, ut in illis ambulemus.* Apostolus igitur excludens opera a justificatione, deinde optimus sui interpres exponit opera illa esse, ad quae a Deo conditi sumus, ut in illis ambulemus; profecto infallibiliter probat, opera per gratiam facta rejeci a justificatione, opera autem esse ad quae, non ex quibus aut per quae justificamur, ac proinde non esse formam justificationis, sed finem ad quem & effectum. GERHARDUS.

(***) Scholastici dicunt *excludi opera legis,* per quae intelligunt, non quae per fidem & dilectionem fiunt, sed quae per minas lex extorquet. *Resp.* opera per minas extorta non possunt dici opera legis, quia lex perfectam obedientiam postulat ex toto corde, tota anima, tota mente. Minatur quidem lex non obedientibus poenas, sed obedientia extorta per minas non est legis obedientia. GERHARDUS.

ro ut apostolus probet, nos justificari fide sine operibus, adducit exemplum Abrahæ, ac de eo, non cum ex idololatrico Ur Chaldæorum primum evocaretur, sed jam converso & in medio cursu pietatis constituto pronunciat: Rom. IV. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*, v. 3. *Quid enim dicit scriptura? credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam?* Ad illum etiam adcommodat, quod *ei, qui non operatur, credenti vero in eum, qui justificat impium, fides imputetur ad justitiam.* v. 5. Pronunciatum igitur apostoli, quod fide sine operibus justificemur, generale est, etiam renatorum opera excludens. Inde Chrysostomus, cum de exemplo Abrahæ ageret, homil. VIII. in epist. ad Rom. sic scribit: *Fide salvari eum, qui opera non habet, nihil fuerit insolentiae: eum vero, qui recte factis ornatus est, non ex ipsis, sed ex fide justum fieri, hoc admirabile est, & quod potissimum fidei potentiam manifestat.* Hujus loci est observatio illa, quod apostolus singulari consilio ex primo & antiquissimo ecclesiæ scripto testimonium pro justitia fidei adducere voluerit, ut ipsa antiquitate, quæ apud omnes recte sentientes plurimum habet ponderis, pios confirmaret & pseudoapostolos refelleret. Deinde quod itidem singulari consilio exemplum insignis patriarchæ, qui est pater omnium credentium, & de quo plurimum gloriabantur Judæi ἐργάται, in medium adduxerit, ut tanti ac tantis virtutibus ornati patriarchæ exemplo justitiam fidei stabiliret. e) David erat utique vir pius & sanctus, *vir secundum cor Dei.* At is beatificationem hominis dicit, cui Deus imputat justitiam sine operibus. Ergo & renatorum opera a justificatione excludit. f) Talem justificationis modum proponit apostolus, per quem omnis gloriatio excluditur. Rom. III. 27. *Ubi est gloriatio? exclusa est; per legem factorum? non, sed per legem fidei.* Rom. IV. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum.* Eph. II. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Atqui si renati justificantur operibus, nondum est exclusa omnis gloriatio, ita enim in bonis operibus aguntur a Spiritu sancto renati, ut etiam ipsi agant. Ergo non est statuendum, opera renatorum ad actum justificationis pertinere. g) Illis operibus laus justificationis detrahitur, ad quæ conditi sumus in Christo. Eph. II. 8. *Gratia estis salvati per fidem.* v. 9. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* v. 10. *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (ubi observa connexionem, ideo non salvati sumus ex operibus, quia Deus ad ea nos præparavit) Atqui renatorum opera proprie sunt ea, ad quæ conditi sunt in Christo. Ergo & hæc a justificatione excluduntur. h) Quæcunque opera gratiæ opponuntur, ea a justificatione, quæ est opus gratiæ, excluduntur. Atqui omnia omnino opera gratiæ justificanti opponuntur. Rom. XI. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Si ex operibus non amplius est gratia.* Ergo omnia omnino opera a justificatione excluduntur. i) Quæcunque opera pseudoapostoli actui justificationis ingerebant, ea apostolus in epistola ad Galatas illis opposita excludit, id enim requirit lex oppositionis. Atqui pseudo-apostoli non pugnabant de operibus ante fidem & sine fide in Christum factis, sed de operibus renatorum, ex quibus nos justificari docebant, erant enim conversi ad Christum, & conversos ad operum justificationem deducere satagebant. Ergo apostolus in epistola ad Galatas pseudoapostolis opposita etiam renatorum opera excludit. k) Modum justificationis talem proponit apostolus, ut de ea homo possit esse certus. Rom. IV. 16. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.* Atqui si justificamur ex operibus, nunquam erimus de gratia Dei certi, coguntur enim sanctissimi fateri, quod peccatum ipsis adhæreat, & quod operum justitia sit imperfecta. l) Ordo rerum penitus invertitur, si dicatur homo justificari operibus post fidem; quamprimum enim quis vere credit in Christum, renascitur ex Deo & justificatur, *bona opera postea sequuntur justificatum*, ut habet celebre dictum Augustini de fide & operibus cap. 14. m) Quæcunque opera sunt imperfecta & immunda, non possunt nos justificare, sed ipsa potius

tius justificari (ut sic loquar) indigent. Atqui etiam renatorum opera sunt imperfecta & immunda, ut suo loco demonstrabitur. Ergo non possunt eos justificare. n) Spiritus sanctus operum respectum a toto negotio justificationis ab initio usque ad finem per omnes gradus semovet: gradus illi enumerantur Rom. VIII. 30. *Quos praedestinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos etiam justificavit: quos justificavit, hos etiam glorificavit;* ubi in nullo membro meritis operum locus relinquitur. Sic Petrus 1 epist. I. 5. *Virtute Dei custodimini in salutem per fidem*, ubi conservatio ad salutem non operibus, sed fidei tribuitur. o) Si opera ingrederentur justificationem, adjungenda essent tanquam συναίτια aut gratiæ Dei, aut merito Christi, aut fidei. Primum dici nequit, quia *si ex gratia, jam non ex operibus;* Rom. XI. 6. nec secundum, quia Christus *torcular calcavit solus;* Esa. LXIII. 3. nec tertium, quia *justificamur fide sine operibus legis.* Rom. III. 28. p) Unanimis sanctorum confessio opera ab actu justificationis & a fundamento nostræ coram Deo fiduciæ excludit. Exclamat Moses: *Domine, coram te nemo innocens;* Exod. XXXIV. 7. Exclamat Jobus: *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parcis omni delinquenti;* cap. IX. 28. Exclamat David: *Domine, si peccata imputare volueris, quis sustinebit?* Psalm. CXXX. 3. *Ne intres in judicium tuum cum servo tuo, quia coram te non justificabitur omnis vivens;* Psalm. CXLIII. 2. Exclamat Esaias: *Omnes nostrae justitiae sunt sicut pannus mulieris menstruatae,* cap. LXIV. 6. Exclamat Daniel: *Tibi Domine justitia, nobis confusio faciei.* cap. IX. 7. Exclamat Paulus: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum;* Rom. VII. 14. Exclamat Johannes: *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces sumus.* 1 epist. I. 8. Quomodo igitur laudem justitiæ coram Deo valentis in suis operibus vel ex toto vel ex parte quærere possunt? q) Ex operibus legis ideo negantur homines justificari, quia lex non potest perfecte impleri; *lex spiritualis est, nos autem venundati sumus sub peccatum.* Rom. VII. 14. Atqui ipsi etiam renati non implent legem perfecte, ut suo loco ostendimus, ergo ipsorum etiam renatorum operibus deneganda est justificatio. r) Denique cum bona opera a justificatione excludat apostolus, eo ipso renatorum opera excludere intelligendus est, siquidem non renatorum opera non sunt proprie bona opera, nec opera possunt Deo placere, nisi persona prius sit ipsi reconciliata. Gen. IV. 4. *Respexit Deus ad Abel & ad munus ejus.* Cujus loci est observatio illa, quod ipsis justitiæ operibus meritum salutis detrahitur; Tit. III. 5. atqui nulla sunt opera justitiæ, nisi quæ fiunt a renatis.

Exceptiones Bellarmini.

§. CLIII. Videamus, quomodo Bellarminus vim horum argumentorum infringere, suamque exceptionem, quod opera ante fidem solis liberi arbitrii viribus facta tantum excludantur, probare conetur. Dominicus a Soto in cap. III. ep. ad Rom. ex voce *carnis* hoc colligere voluit, qua voce denotari hominem, Spiritus divini auxiliis destitutum, arguatur; sed frivolam hanc argutiam non attingit Bellarminus & recte, quia in genere dicitur Gal. II. 16. *non justificari hominem ex operibus legis*, ubi phrasis hebræa satis diserte exponitur. Alia ergo fundamenta Bellarminus profert. 1.) *Lex factorum* (inquit) *apud apostolum ea est, quae jubet, quid fit faciendum; lex fidei est ipsa fides, quae impetrat gratiam faciendi, quae lex factorum jubet: utraque igitur lex requirit opera, sed factorum continet praeceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum praestat, ut cognoscamus, lex fidei facit, ut faciamus, lege factorum dicit Deus, fac, quae jubeo; lege fidei dicitur Deo, da, quae jubes.* Resp. sicut apostolus per legem *factorum* intelligit doctrinam præscribentem opera, ita per legem *fidei* intelligit doctrinam evangelii, quæ fidem in Christum docet, & per quam datur fides; sed ex eo non potest colligi, quod doctrina evangelii proprie & adeurate loquendo requirat opera, & sit etiam *lex factorum.* Ostendimus enim suo loco, *legem* esse doctrinam operum, *evangelium* vero non esse doctrinam operum, sed lætum nuncium de gratuita peccatorum remissione propter Christum; ideo in articulo justificationis perpetua est oppositio apud apostolum

inter legem & evangelium, inter opera & fidem, inter operantem & credentem, inter opera & gratiam. Quando autem apostolus evangelium vocat *legem fidei*, tunc vocem *legis* generaliter accipit pro *doctrina*, sicut & Hebræum תּוֹרָה, generale est, quam significationem alibi Bellarminus ipse agnoscit, libro III. de verbo Dei cap. 2. sic scribens: *David nomine legis non intelligit decem illa praecepta solum, sed omnes divinas scripturas* (*). Concedimus etiam, fide impetrari gratiam faciendi, quod lex jubet; fide enim non solum accipimus peccatorum remissionem, sed etiam novas vires mandatis divinis obediendi. Interim tamen distincta hæc sunt beneficia; justificatio enim nostra consistit in remissione peccatorum, non autem in obedientia illa mandatorum, quippe quæ est jam ante debita, imperfecta, inchoata tantum & multis adhuc nævis contaminata. Ergo ex eo, quod fides impetrat gratiam faciendi, quod lex factorum jubet, non debet inferri, quod opera fidei ingrediantur justificationis actum, cum diserte pronuncier apostolus, justificari nos fide sine operibus credendo, non operando. 2.) *Justitia legis sunt opera justa, quae lex facienda praescribit, hanc justitiam apostolus non rejicit, sed commendat.* Rom. II. 13. & 26. cap. VIII. 4. *Justitia ex lege sive in lege sunt illa opera, quae faciunt homines sine gratia fidei, sola cognitione legis adjuti; hanc justitiam apostolus tantum excludit, ac fidei opponit.* Resp. distinctio hæc, ut quidem a Bellarmino adplicatur, caret omnino scripturæ fundamento (**). Apostolus generaliter pronunciat, *justificari nos fide sine operibus, justitiam Dei per fidem Christi in omnes & super omnes, qui credunt, manifestatam esse sine lege.* Rom. III. 21, 22, 28. *Legem non esse ex fide*, ac proinde *in lege neminem justificari.* Gal. III. 12. Vera igitur & apostolica distinctio est inter justitiam *legis* & justitiam *evangelii:* inter justitiam *operum*, & justitiam *fidei*, quarum illa in articulo justificationis excluditur, hæc vero ponitur. Non quidem simpliciter rejicit apostolus justitiam legis, sive justitiam ex lege & in lege, sed tantum ab actu justificationis eam rejicit, cum sit imperfecta. *Factores legis justificari* dicit Rom. II. 13. loquitur autem non de *imperfecta* illa obedientia, quam renati in hac vita præstant, sed de *perfectissima* & omnibus numeris absoluta obedientia, ad quam lex eos obligat, qui per eam justificari volunt, talem vero in neminem hominum cadere ibidem evidenter confirmat & in seq. cap. III. 23. generalem addit conclusionem. *Non est distinctio, omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis ipsius gratia.* Nec quidquam roboris huic confictæ distinctioni accedit ex pronunciato apostolico Rom II. 26. *Si praeputium justitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur?* Hypothetica enim est propositio, quæ si de perfecta & absoluta legis impletione intelligatur, nec præputio nec circumcisioni, hoc est, nec gentibus, nec Judæis tribui potest. Justificationem legis in nobis impleri apostolus pronunciat Rom. VIII. 4. Id vero imputatione fieri, capite IV. docuerat Non solum justitia ex lege, (hoc est, interprete Bellarmino bona opera, quæ juxta legem fiunt a non renatis,) sed etiam justitia legis, (hoc est, interprete eodem, bona opera renatorum ex gratia fidei facta) est imperfecta, nec undiquaque congruit perfectissimæ illi normæ ac regulæ in lege præscriptæ, utraque igitur ad justificationem est inepta, qua de

(*) *Lex factorum ea est, quae per opera justificat, ut patet ex formula. Hoc fac & vives. Lex fidei ea est, quae justificat per fidem. Etsi alioquin verum sit & legem requirere fidem, quae ipsa est opus: & legem fidei requirere opera, quae sunt ejus fidei effecta:* Chamierius tom. III. lib. 22. cap. 2. 3. 9. GERHARDUS.

(**) Non potest Bellarminus monstrare, quando aut quo loco Paulus justitiam *legis* disparaverit a justitia *ex lege* sive *in lege*. Quinimo justitiam *legis* nuspiam nominavit nisi forte Rom. II. 26. ubi dixit latinus interpres *Iustitias legis*, cum Paulus dixerit τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου, quod Beza vertit melius, *jura legis*. Significat autem non justitiam inhærentem cuiquam & *formalem*, sed *abstractam* sive *materialem*, consideratam in ipsius legis ratione per se. Veruntamen, utut sit, nulla est oppositio justitiæ legis & justitiæ ex lege. GERHARDUS.

de re in loco de bonis operibus latius disseremus. 3.) Rom. IV. 4. *Ipse apostolus declarat, quod per opera legis excludat tantum ea, quae fiunt ante fidem, dicit enim:* Ei, qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam; *illa igitur opera fidei opponit, quibus id, quod redditur, est merces, non gratia, talia vero non sunt, nisi quae fiunt ex viribus liberi arbitrii, siquidem quae ex gratia fiunt, iis quod redditur, non est simpliciter merces, sed etiam gratia, imo magis gratia, quam merces.* Resp. imo vero dum Abrahæ renati opera apostolus excludit, evidenter ostendit, omnino opera ab actu justificationis excludi, quod ipsum etiam ex sequente antithesi manifestum est. v. 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* Concedimus suo loco, maximum esse discrimen inter opera *renatorum*, quæ Deo placent, quæque ex gratia largissime remuneratur, & inter opera *non renatorum*, quæ, cum non fiant ex fide, Deo non placent; interim tamen ex actu justificationis omnia omnino excluduntur propter generalem illam oppositionem, *credenti non operanti imputatur fides ad justitiam* Rom. IV. 5. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. XI. 6. Quod annectit Bellarminus, id, quod operibus gratiæ redditur, esse magis gratiam, quam mercedem, in eo non solum repugnat Scholasticis, qui disputant, opera renatorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, sed etiam sibi ipsi; disputat enim libro V. de justificatione cap. 1. *Opera bona justorum esse vere & proprie merita, & quidem ipsius vitae aeternae.* Cap. 2. *Mercedem & meritum esse relativa, mercedem enim reddi meritis, sicut contra gratia gratis datur.* Cap. 5. *Se non contendere salutem inchoatam haberi per merita, sed gratis eam donari;* quæ oppositiones gratiæ & meritorum sunt evidentissimæ. Libro II. de pœnitentia cap. 12. *meritum ex condigno sive ex justitia opponitur gratiæ.* Cur igitur hoc loco dicit, *id quod redditur operibus gratiae, non esse simpliciter mercedem, sed etiam gratiam, imo magis gratiam, quam mercedem?* Dicimus ergo, (non abnuente ipsomet Bellarmino in adductis hisce locis) si operibus ex gratia factis justitia coram Deo consistens & vita æterna tribueretur, non simpliciter secundum gratiam, sed secundum debitum, si non ex omni, tamen aliqua ex parte, justitia & vita æterna hominibus contingeret, siquidem in bonis operibus renati sunt τῷ Θεῷ σύνεργοι, atque ita aguntur a Spiritu sancto, ut ipsi etiam agant: jam vero gratis ex mera gratia justificatio & salus contingit. Ergo ex fide tantum, non autem ex operibus. Adde, quod generalis sit propositio apostoli: *Qui operatur*, (quandocunque & quocunque modo operetur) *ei merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Rom. IV. 4. 4.) *Scopus epistolarum ad Romanos & Galatas idem confirmat. Voluit enim apostolus in eis demonstrare, neminem posse justificari sine fide in Christum & gratuita Dei misericordia. Excludit igitur tantum ea opera, quae fiunt ante fidem ex viribus liberi arbitrii.* Resp. apostoli scopus est, non solum demonstrare, quod nemo justificetur sine fide in Christum, & sine gratuita Dei misericordia, sed etiam, quod gratia Dei sola & fide in Christum sola sine operibus homo justificetur, id quod evidentissima apostoli verba luce meridiana clarius evincunt. Epistola ad Galatas opposita est (ut & superius monuimus) pseudoapostolis, qui non negabant fidem in Christum & gratiam Dei requiri ad justificationem, alias non fuissent pseudoapostoli, sed Judæi: docebant autem præter fidem ad justificationem requiri observationem legis Mosaicæ. Act. XV. 1. *Quidam descendentes ex Judaea docebant fratres, nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non poteftis salvari.* v. 5. *Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, (πεπιστευκότες) dicentes, quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Mosis.* Huic errori opponitur decretum apostolicum v. 10. *Quid tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* v. 11. *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Gal. II. 16. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, &*

& nos in Christo Jesu credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Ex his manifestum est, duplicem quæstionem a pseudoapostolis fuisse motam; *primo*: An circumcisio ac reliquæ ceremoniæ Mosaicæ adhuc obligent eos, qui Christo nomen dederant? *Secundo*: An observatio legis moralis ad justificationem sit necessaria? Ad utramque apostoli respondent negative; *primo* statuunt, circumcisionem non amplius obligare gentes, volunt tamen paucas quasdam cæremonias legales utpote de sanguine & suffocato a gentibus aliquandiu observari, donec cum honore sepeliatur synagoga judaica, & ut evitetur scandalum, quod oboriri poterat christianis ex judaismo conversis: *secundo* legem moralem obligare quidem conversos ex gentibus, interim opera ejus non valere ad justificationem, quæ pendeat ex sola Dei gratia in Christo per fidem adprehendendo nobis proposita. Vide tractatum de lege §. 181. ubi de scopo hujus decreti synodici & epistolæ ad Galatas latius egimus. Errori igitur pseudoapostolorum, quod observatio legis Mosaicæ requiratur ad justificationem, Act. XV. 5. opponitur hæc decisio apostolica: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi* (ac proinde *non ex operibus* Rom. XI. 6.) *credimus salvari.* v. 11. *Non justificatur homo ex operibus legis, εἰ μὴ nisi* (hoc est, sed tantum) *per fidem Jesu Christi* Gal. II. 16. 5.) Regerit Bellarminus, si *excludi dicantur opera ex gratia & fide factæ, infirmissimae erunt consecutiones apostolicae:* Si per legem justitia, CHRISTUS gratis mortuus est. Si ex lege hæreditas, ergo non ex promissione. Evacuati estis a Christo, qui per legem justificamini. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides & abolita promissio &c. *Neque enim gratis potest dici Christus mortuus, si justificamur ex fide & ex operibus consequentibus fidem; imo nisi Christus mortuus esset, non possemus ex fide & operibus inde sequentibus justificari. Sic etiam non ideo haereditas non est ex promissione, quia opera ex fide & gratia procedentia sunt ad justificationem necessaria, quin potius ideo ex promissione est haereditas, quoniam sine promissione non fuisset gratia, sine gratia non fuisset fides, sine fide non fuissent opera justa, quibus redderetur haereditas, id est, ipsa corona justitiae. Ac demum non evacuamur a Christo, neque ex gratia excidimus, qui ex fide Christi & operibus gratiae justificamur, sed contra potius, nisi ad Christum & ejus gratiam pertineremus, fidem & opera justificantia non haberemus.* Resp. imo vero consecutiones apostolicæ sunt firmissimæ. Quantum enim ad justificationem & æternæ salutis hæreditatem attinet, perpetua est oppositio inter meritum Christi & merita nostra; inter evangelium & legem; inter fidem & opera. Quamprimum meritis ac operibus nostris justificatio tribuitur, eo ipso gratuita Dei misericordia ac pretiosum Christi meritum negatur; quisquis enim operibus, sive ex viribus liberi arbitrii, sive ex fide & gratia factis sese coram Deo justificatum statuit, re ipsa negat, gratis nos justificari, solum Christum factum nobis a Deo justitiam. Quod enim Pontificii disputant, gratiam Dei tribuere operibus nostris vim justificandi, cum merito Christi concurrere operum nostrorum merita, illud ἀτερ γραφῆς adseritur, nec convenit cum oppositionibus apostolicis inter gratiam & opera, inter credere & operari. Sane magna est gratiæ Dei & meriti Christi in nobis efficacia, non solum quoad justificationem & remissionem peccatorum, sed etiam quoad sanctificationem ac renovationem, quo sensu non valerent consecutiones apostolicæ; interim tamen illa sanctificatio & renovatio non ingreditur actum justificationis, sed eam immediate consequitur. Urgemus igitur denuo, pseudoapostolos non negasse vel Christum, vel evangelium, vel fidem, sed voluisse Christo Mosen, evangelio legem, fidei opera in actu justificationis conjungere; contra quos consecutiones apostolicas non procedere, abest, ut vel cogitare velimus. 6.) *Excluditur ab apostolo non omnis gloriatio, sed illa solum, quae oritur ex operibus liberi arbitrii sine gratia factis; addit enim, ubi est tua gloriatio, qua in te gloriaris & non in Domino; ex operibus autem ex fide factis gloriamur in Domino, quod non est prohibitum.* Resp. in textu græco non additur vox *tua*, in qua singularem emphasin

Bel-

Bellarminus quærit (*). Omnis omnino gloriatio humana a justificatione excluditur, ut *Deus solus sit justus, qui ex fide justificat credentes.* Rom. III. 26. Excluditur autem *gloriatio per legem fidei;* v. 27. hoc est, per doctrinam evangelii, quæ docet, nos gratis propter Christum, non ex operibus justificari, ex quo etiam infert apostolus, *justificari hominem per fidem sine operibus legis* v. 28. ac quod indefinite dixerat, *exclusam esse gloriationem*, id capite sequente ad Abrahamum etiam transfert, negans, Abrahamum in medio cursu pietatis habere gloriationem justitiæ operum coram Deo. Rom. IV. 2. Quæ omnia evidenter comprobant, excludi gloriationem etiam eam, quæ oritur ex operibus in fide factis, nimirum si quis per ac propter ea se coram Deo justificatum esse gloriari velit. Quamvis enim bona opera renatorum non oriantur ex solis liberi arbitrii viribus, sed ex gratia Spiritus sancti & fide in Christum; nihilo tamen minus si ex illis operibus renati justificarentur, haberent adhuc quandam gloriationem, qua partim in Deo, partim in se ipsis gloriarentur, cum opera illa sint ipsorum renatorum opera, ita enim aguntur a Spiritu sancto, ut etiam ipsi agant. *In solo* autem *Domino*, non in nobis, nec nostris operibus gloriandum. Jer. IX. 24. 2 Cor. I. 17. *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei*, dicit propheta Daniel c. IX. 7. *Non in justitiis nostris prosternimus deprecationes nostras, sed in miserationibus tuis multis.* v. 18. *Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Luc. XVII. 10. Distinguo igitur inter gloriationem *bonae conscientiae*, quam non improbamus, & inter gloriationem *justitiae propriae*, quam omnibus omnino adimimus ac coram Deo ademtam esse statuimus. 1 Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum* (hæc est gloriatio bonæ conscientiæ) *sed in hoc non sum justificatus.* Proinde quod in Domino gloriari jubemur, ex eo non potest nec debet inferri, quod in operibus ex fide factis confidere aut justitiam coram Deo valentem in illis quærere possimus. Sed contrarium potius ex eo inferendum, nimirum quod in sola Dei misericordia, in solo Christi merito omnis fiducia ac justitiæ gloriatio statui debeat:

Glorior in solo sanguine Christe tuo.

Totius fiduciae certitudo est in pretioso sanguine Christi, dicit Augustinus in meditat. Ergo non ex parte in operibus nostris. Quid enim? num opera justa ex fide facere est gloriationem justitiæ coram Deo in operibus quærere? Num opera justa ex fide facere est credere, quod propter opera simus justi? Num opera justa ex fide facere est operum meritis coram Deo confidere? at hæc omnia sibi invicem repugnant. Vera fides hæc est, ut credamus, quod Filius Dei expiaverit peccata nostra & cœlestem Patrem placaverit, si ex fide justa opera facienda sunt, sequitur, quod faciendo justa opera non debeamus illorum meritis confidere. Qui operibus suis confidit, (quod Bellarminus libr. V. de justif. cap. 7. licitum esse disputat) ex operibus suis deos alienos facit, cum fiduciam cordis soli Deo debitam in opera collocet, qua de re plura suo loco. 7.) *Quando apostolus dicit, Abrahamum justificatum esse ex fide, non ex operibus; non rejicit opera facta ex fide, sed adfirmat, illa non esse facta sine fide, quia si talia fuissent, nunquam eum justificassent. Itaque excludit opera, quae Abraham facere potuisset non ex fide. Nam etiam ii, qui fidem habent, aliquando faciunt opera non ex fide, ut cum peccant, aut cum faciunt opera pure moralia sine relatione ad Deum.* Resp. hoc vero est torquere & deprædari, non interpretari scripturas. Apostolus non loquitur de operibus, quæ Abraham sine fide facere potuisset, sed differte agit de operibus in medio cursu pietatis ab Abrahamo factis, ac negat, ex illis Abrahamum coram Deo justificatum esse. Rom. IV. 2. *Non operando, sed credendo.* v. 3. *Fidem ei imputatam esse* dicit *ad justitiam.* v. 9. *non per legem, sed ex fide ipsum justificatum.* v. 13.

(*) Sed nec in latinæ versionis omnibus exemplaribus additur *tua*, ad quæ tamen Pontificii sunt adstricti. GERHARDUS.

v. 13. & 16. Quis induci poterit, ut cum Bellarmino statuat, apostolum in adeuratissima illa disputatione tanto conatu id adseverare & confirmare, de quo nemo unquam in populo Dei dubitavit, videlicet, an justificemur ex peccatis vel ex operibus pure moralibus sine relatione ad Deum factis? Improbamus igitur serio impudentem illam Bellarmini sophisticam, qua clarissimo textui nebulas inducere non fuit veritus (*). Andradius in defensione concilii Trident. fatetur, hunc locum adeo perspicuum esse, ut inter ipsos Pontificios aliqui egregiæ eruditionis viri in hac salebra hæreant, nec se explicare possint Bellarminus eluctari conatus est, sed næ admodum infeliciter. 8.) *Paulus* Phil. III. 8. *tantum de operibus ante fidem factis loquitur; blasphemia enim est, opera ex fide & gratia Christi facta nominare stercora, quae sunt fructus Spiritus, quibus promissa merces, in quibus ambulare jubemur & c.* Resp. Distinguendum illud, quod *absolute* dicitur ab eo, quod *comparate* adseritur. Bona opera simpliciter & absolute vocare stercora, vere esset blasphemia, sed apostolus & nos cum eo comparate κατὰ σύγκρισιν loquimur. *Quae mihi fuerunt lucra*, (inquit) *haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.* v. 7. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei;* v. 8 hoc est, omnia longissime postpono cognitioni Christi sive fidei in Christum. Proinde extra articulum justificationis bona opera prædicanda, urgenda, extollenda: sed si quis laudem justitiæ coram Deo valentis tribuere illis velit, imperfectio illorum & adhærens immundities ostendenda, perinde ut apostolus legem Dei prædicat, urget & extollit, vocat *mandatum sanctum, justum & bonum;* Rom. VII. 12. Sed in negotio justificationis veluti contemtim & ignominiose de ea loquitur, ut ex Luthero in epist. Gal. V. tom. IV. Latin. pag. 149. monuimus in tractatu de lege §. 5. Opponit igitur apostolus *justitiam suam, quae ex lege est, justitiae in fide, quae ex Deo est;* v. 9. ubi per justitiam suam ex lege intelligit justitiam operum juxta legem factorum. Bellarminus ita pervertit textum, ut per justitiam ex lege intelligat opera facta sine fide, per justitiam in fide ex Deo opera justa ex fide facta, quæ vere coram Deo justificent. Atqui manifesta sunt apostoli verba: *ut inveniar in* CHRISTO *non habens meam justitiam, quae ex lege est:* jam vero justitia divo Paulo inhærens ac nova ipsius obedientia est certe Pauli justitia, quippe cujus mens per Spiritum sanctum renovata ejus est causa, utique ergo illa ipsa operum justitia excluditur. Adde, quod non possit esse opus justum sine fide Rom. XIV. 23. quomodo igitur opera sine fide facta poterunt dici justitia? Conjungimus autem cum hoc dicto apostolico locum Esai. LXIV. 6. *Omnes nostrae justitiae sunt velut pannus mulieris menstruatae*, in quem sic commentatur Bernhardus serm. V. de verb. Esai. col. 250. *Nostra si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter ajebant:* Omnes nostræ justitiæ, tanquam pannus menstruatæ mulieris. *Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc culpa non potest deesse?*

§. CLIV.

(*) Nihil absurdius a Bellarmino proferri potuisset: *Excludit apostolus illa Abrahae opera, quae facere potuisset absque fide. Ergo*, inquam, *ea, quae non fecerat.* Quis unquam dubitavit Abrahamum non fuisse justificatum iis operibus, quæ opera nunquam fecisset? *Operari*, inquit, *possunt fideles non ex fide, ut cum peccant.* At iterum rogero, quis unquam dubitavit, Abrahamum non fuisse justificatum iis operibus, quæ formaliter sunt peccata? Imo non tum duntaxat, verum etiam cum operantur sine relatione ad Deum. At Bellarminus concedit, *non excludi quævis opera a Paulo, sed opera ex lege, justitiam ex lege.* Quomodo autem potest justitia ex lege esse non *relative* ad Deum, quandoquidem lex in omnibus operibus requirat amorem Dei. Tum qui operatur institutus ex lege, non potest non operari relate ad Deum, quandoquidem ipsa lex est auctoritas ipsius Dei jubentis aut vetantis: ideo qui operatur ex lege, operatur, quia Deus sic vel præcepit vel prohibuit. Relative ergo ad Deum operatur. Denique negat Paulus, ex circumcisione constitisse Abrahæ justificationem. At circumcisio opus fuit non sine relatione ad Deum. GERHARDUS.

§. CLIV. II.) *Alterum* argumentum dicit Bellarminus libr. I. de justificatione cap. 20. nos petere ex illis locis, in quibus sola fides nominatur, ceteris omnibus operibus vel dispositionibus prætermissis. Matth. IX. 22. Luc. VII. 50. *Fides tua te salvum fecit.* Luc. VIII. 50. *Crede tantum, & salva erit filia tua.* Joh. I. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* Joh. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus.* Excipit autem: 1.) *de miraculo in excitatione filiae faciendo Dominum loqui*, Luc. VIII. *non de justificatione impii.* Resp. quemadmodum sola fides adprehendit promissionem de beneficiis corporalibus; ita quoque sola adprehendit promissionem de gratuita peccatorum remissione in evangelio oblata. Perpetua est relatio inter verbum promissionis & fidem, qualis inter promissiones & opera non occurrit, proponitur igitur in hoc Christi dicto fides tanquam unicum & commune instrumentum impetrandi omnia corporalia & spiritualia beneficia; quare cum inter spiritualia beneficia sit remissio peccatorum sive justificatio, utique ex hoc loco recte colligitur, fidem solam justificare. 2.) *Quamvis sola fides nominetur, ex eo tamen inferri nequit, quod sola justificet. Nam interdum quoque sola nominantur aliae virtutes, aut sacramenta, ut* Luc. VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tob. XII. 9. *Eleemosyna a morte liberat.* Rom. VIII. 24. *Spe salvi facti sumus.* Eccles. I. 26. *Timor Domini expellit peccatum.* Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Eph. V. 26. *Mundans eam lavacro aquae in verbo. Nec tamen ullus colligit dilectionem, aut eleemosynam, aut timorem, aut baptismum sine fide justificare, sed cum ad unum effectum multae causae concurrunt, scriptura modo uni causae, modo alteri effectum illum tribuit, nec propterea significare intelligitur, unam causam sine aliis sufficere posse.* Resp. argumentum nostrum ex dictis antea citatis & similibus petitum tale est: ubicunque describitur modus & ratio nostræ justificationis, quantum ad adplicationem, seu, quod idem est, instrumentum adprehendendi Christum, ibi nominatur fides nec quicquam aliud. Ergo sola fides adprehendit Christum, & per consequens sola fide justificamur. Ex quo facile adparet, quid de hac exceptione Bellarminiana sit statuendum. Scriptura enim nusquam sacramentis vel operibus nostris tribuit adprehensionem Christi. Sacramenta sunt quidem media justificationis & salutis, sed offerentia & exhibentia ex parte Dei; interim ex parte nostri unicum instrumentum recipiens est fides in Christum, quemadmodum in dono cujusque acceptione requiritur manus offerens & manus adprehendens. Deus offert nobis gratiam suam in verbo evangelii, in sacro baptismate, in sacra cœna; nos sola fide eam recipimus, quemadmodum ex tribus canaliculis vinum effluit, atque interim solo ore hauritur. Opera non recipiunt Christum, sed testantur de gratiosa Christi & Spiritus sancti inhabitatione, ideo in *Christo* dicimur *conditi ad bona opera*, Eph. II. 10. quæ sint *fructus Spiritus.* Gal. V. 22. Concedimus igitur sacramentis tanquam mediis offerentibus ex parte Dei justificationem tribui, ideoque ea ad causas instrumentales justificationis pertinere, ut ostendimus superius §. 60. ac proinde ut particula *sola* non opponitur gratiæ Dei & merito Christi, ita nec sacramentis, sed opera ad causas instrumentales justificationis referri negamus, neque ex allatis dictis illud demonstrari poterit. Luc. VII. 47. non tribuitur remissio peccatorum dilectioni mulieris tanquam causæ, sed proceditur ab effecto ad causam, hoc est, ex dilectione tanquam consequente ostenditur antegressa peccatorum remissio, ut ostendimus in tractatu de pœnitentia §. 91. ubi etiam dictum Tobiæ exposuimus, quod commoda interpretatione mollienmus, ne repugnet perpetuæ Spiritus sancti sententiæ in canonicis libris propositæ, quod *sanguis Christi nos mundet ab omni peccato.* 1 Joh. I. 7. Sensus igitur est, quod Deus ex gratia compenset eleemosynam ereptione ex morbis, aliisque pœnis temporalibus. Quando apostolus dicit, *spe nos esse salvos*; Rom. VIII. 24. non tribuit spei salutem tanquam effectum causæ, sed

2.) *Sola fides adprehendit promissionem evangelii.*

docet, pios sese spe sustentare sub cruce & calamitatibus, exspectantes scilicet promissam liberationem. Itemque salutem & vitam æternam, quam in Christo per fidem quasi præsentem adprehendimus, & tenemus, esse adhuc absconditam; Col. III. 3. ideo plenam ejus revelationem ac possessionem in calamitatibus & pressuris hujus vitæ spe certa & immota exspectari. 1 Joh. III. 2. *Filii Dei sumus, & nondum adparuit, quid erimus.* Dictum Eccles. I. 26. suam habebit inferius explicationem. Timor Domini expellit peccatum, non præteritum expiando, sed futurum solicite cavendo. 3.) *Ideo apostolus frequentius tribuit justificationem fidei, quam dilectioni aut aliis rebus, quia fides est initium gratuitae justificationis, ut docet concilium Tridentinum sess. VI. cap. 8.* Resp. fides non justificat vel *meritorie*, vel per modum dispositionis, ut volunt Pontificii, sed *organice* & per modum adprehensionis, quatenus meritum Christi in verbo evangelii oblatum complectitur. Nusquam dilectioni nostræ justificatio in scripturis tribuitur, sed gratiæ Dei, merito Christi, & fidei, nec incipimus tantum fide justificari, sed vere justificamur. Rom. III. 28. *In fide etiam stamus*, Rom. V. 2. *& virtute Dei custodimur ad salutem per fidem;* 1 Petr. I. 5. quia *finis fidei nostrae est vita aeterna.* v. 9. Confundit Bellarminus justificationem cum renovatione. *Justificatio* consistit in remissione peccatorum, quæ non nisi fide in Christum obtinetur, & cum sit actus judicialis, semper est totalis ac plenaria, juxta versiculum Prosperi:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.

Item:

Ex toto veniam dabit & non dimidiabit.

Sed *renovatio de die in diem crescit.* 2 Cor. IV. 16. Alienum igitur est a scripturis, quod Bellarminus hoc loco scribit, *fidem inchoare primum justificationem, ac deinde adsumta spe & caritate eandem perficere;* imo vero nusquam vel spei vel dilectioni complementum nostræ coram Deo justificationis tribuitur, sed gratia Dei propter meritum Christi vera fide adprehensum nos justificat. Ad justitiam novæ obedientiæ sive bonæ conscientiæ una cum fide spem, caritatem & reliquas virtutes concurrere, haud inviti concedimus; (quo sensu veteres fidem vocant fundamentum, radicem & matrem justitiæ ac bonorum operum) sed ad nostri coram Deo justificationem, quæ in remissione peccatorum consistit, ita concurrere fidem, spem & caritatem, ut fides solummodo eam inchoet, spes & caritas perficiant, id vero totis viribus negamus. 4.) Dictum apostoli: *revelatur justitia Dei ex fide in fidem*; exponit Bellarminus hoc modo: *Ex fide imperfecta in fidem perfectam & caritate formatam, ut sit sensus: in evangelio revelari justitiam Dei, quae incipit a fide inchoata, & perducitur ad fidem caritate formatam ac perfectam.* Resp. Quid de fide formata per caritatem statuendum sit, ostendimus superius §. 117. & seqq. fidem habere suos gradus ratione qualitatis, eandemque augeri & crescere non negamus; sed per caritatem fidem justificantem formari illud est, quod negamus, cum caritas sit fidei justificantis non forma, sed effectus, ut in hoc ipso capite fatetur Bellarminus, quando dictum apostoli Gal. V. 6. non amplius *passive*, sed *active* vertit: *Fides per caritatem operans.* Verba apostoli, quod *reveletur justitia Dei* in evangelio *ex fide in fidem*, commodissime accipiuntur de fide Dei promittentis, & fide nostra promissionibus divinis adhibita; interim non repudiamus aliorum expositiones, modo non repugnent analogiæ fidei, quod in Bellarminiana interpretatione fieri manifestum est. Dictum propheticum Habac. II. 4. *Justus fide sua vivet*; exposuimus, & ab adversariorum corruptelis vindicavimus superius §. 122. Sane fides illa, qua justus vivit, est efficax per caritatem, cum sit fides vera & viva, sed ex eo non sequitur, quod caritas sit forma & vita fidei. Per fidem cum caritate conjunctam & per caritatem operantem continuari vitam, ambigue dicitur. Si enim intelligitur de toto cursu vitæ christianæ, concedimus, eam non per fidem solam, sed etiam caritatem continuari: si vero intelligitur hoc modo, quod fides formata per caritatem vitam in Christo adprehendat, vel quod fides & caritas uno eodemque modo sese habeant ad vitam spiritualem; negamus per fidem

cum

cum caritate conjunctam hoc sensu continuari vitam, siquidem fides per quam participes reddimur spiritualis vitæ, non formatur per caritatem, & caritas non est causa sive meritum spiritualis vitæ, sed ejus effectum. Quisquis enim spiritualis vitæ particeps factus per fidem, is eandem exserit per caritatem, sicut per externas operationes vita hominis naturalis manifestatur. 5.) Verba Mosis: *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam*, ita interpretatur Bellarminus, *quod Abraham justus ex novo quodam actu fidei factus sit justior.* Resp. tutius insistimus textui apostolico, quam figmento Bellarminiano. Apostolus Rom. IV. 5. dictum illud sic interpretatur: *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.* v. 6. *Sicut & David beatitudinem dicit hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus.* Abrahamum multis bonis operibus corruscantem non operando, sed credendo justificari, longe aliud est, quam Abrahamum justum ex novo quodam actu fidei factum esse justiorem. Concedimus tamen continuationem justificationis esse omnibus renatis necessariam; ea tamen itidem non nisi fide obtinetur, quippe quæ sola promissionem evangelicam de gratuita peccatorum remissione, quam quotidie orant sancti, adprehendit, & justitiam Christi sibi applicat.

3.) *Homo justificatur gratis. Ergo sola fide.*

§. CLV. III.) *Tertium* argumentum dicit Bellarminus cap. 20. nos petere ex illis locis, in quibus homo *gratis* dicitur justificari. *Idem enim est gratis, & non ex operibus, ac per hoc idem est gratis & sola fide.* Rom. III. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Rom. IV. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* v. 5. *Ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Rom. XI. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia,* Eph. II 8. 9. *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus. Hoc argumentum non solum probat sola fide justificari hominem, sed etiam justificari sola fide relative, id est, non propter dignitatem aut meritum fidei, quia tunc gratia non esset gratia.* Excipit autem, 1.) *particulam* gratis *duobus modis accipi posse; uno modo, ut opponatur debito ex justitia, sive meritis de condigno, quae sunt absolute & simpliciter merita, & hoc modo justificatio gratuita non excludit opera, quae dicantur concurrere ad justificationem ut dispositiones; vel ut merita de congruo: juxta hunc modum non est idem, hominem justificari gratis, & justificari ex sola fide. Nam justificari gratis est justificari sine merito de condigno. Justificari sola fide est, nihil requiri ad justificationem nisi fidem, quod falsum. Altero modo potest accipi particula gratis, ut opponatur operi facto sine ulla gratia ex solis naturae viribus; & hoc modo gratuita justificatio non excludit merita absolute, sed merita propria, id est, quae sint ex nobis & non ex Deo. Nam merita, quae sunt nobis ex Deo, id est, quae originem ducunt ex gratia praeveniente, non pugnant cum gratia. Ut ergo gratia non excludit fidem, ita nec opera poenitentiae & dilectionis.* Resp. de merito *congrui* & *condigni*, (quidam addunt etiam meritum *digni*) in loco de bonis operibus ex professo agetur, hac vice dicimus, particulam *gratis* omne omnino excludere meritum, sive dicatur meritum de congruo, sive meritum de condigno. Ut enim habet apostolica oppositio: Rom. XI. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus;* ita pari modo concludere possumus: si gratis, jam non ex merito. Rom. IV. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* v. 5. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam;* quod ipsum ut manifestius fiat, repetemus ex Chemnitio ea, quæ de vera significatione particulæ *gratis* nervose scribit part. II. locorum pag. 738. Vox illa (inquit) opponitur *primo* solutioni pretii. Gen. XXIX. 15. Exod. XXI. 2. Num. XI. 5. 2 Sam. XXIV. 24. Matth. X. 8. 2 Cor. XI. 7. *Deinde* significat idem, quod sine justa causa, temere, ex levitate, vel petulantia. Psalm. XXXV. 19. LXIX. 5. CIX. 3. CXIX. 176. Prov. XXIV. 28. Gal. II. 21. *Tertio* opponi-

tur meritis sive ad bonum, sive ad malum. 1 Sam. XIX. 5. 1 Reg. II. 31. Ezech. VI. 10. XIV. 23. Jer. XV. 13. Ut enim David dicit, quod hostes *odio* ipsum *prosequantur gratis*, propterea quod causa odii non erat in Davide, sed in malevolentia hostium: sic cum dicitur Deus nos *gratis* justificare, significatur causam illius acceptationis non esse in nobis, sed in bonitate Dei. Ezechiel dicit, Deum non punire *gratis*, in quibus scilicet non invenit causam pœnæ & damnationis; justificat autem gratis, eos scilicet, in quibus nullam invenit justificationis causam meritoriam, sed potius meritum damnationis. Ergo particula *gratis* duo notat; *primo* in nobis nullum esse meritum, nullam dignitatem, vel causam justificationis & salutis meritoriam; *secundo* sed propter naturæ corruptionem & peccata actualia nos esse dignos ira Dei, & mereri æternam damnationem, & tamen ex mera gratia propter Filium mediatorem nos recipi & justificari, non solum præter, sed etiam contra nostrum meritum, quod Augustinus breviter complectitur serm. XV. de verb. apostol. *Si gratia est ex merito, emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, salvos faciet eos. Quid est pro nihilo salvos facies? nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita praecedis, ut dona tua consequantur merita tua, prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.* Ergo particula *gratis* additur gratiæ, ne quis existimet, eodem modo nos gratia Dei justificari, sicut de Josepho dicitur: Gen. XXXIX: 4. *Joseph invenit gratiam in oculis domini sui, quia erat vir fortunatus;* id est, propter virtutes; sed illud hic non habet locum, Deus enim non solum non invenit in nobis meritum salutis, sed etiam, invenit in nobis causam damnationis. Ex quibus omnibus satis perspicue eluescit, particulam *gratis* opponi non solum merito de *congruo*, sed etiam merito de *condigno*, & excludere non solum opera ex solis naturæ viribus facta, sed etiam renatorum opera, ubi obiter notamus, Bellarminum sibi contradicere. Si enim particula *gratis* opponitur merito *de condigno*, sequetur, non dari justificationem secundam, pro qua tamen stabilienda graviter laborat Bellarminus libr. IV. de justif. cap. 18. Siquidem justificatio secunda ex hypothesi Bellarmini est actualis, & oritur ex merito operum proprie sic dicto, hoc est, ex merito *condigni*: jam vero apostolus nullam aliam novit aut describit justificationem, quam quæ sit gratis. Notamus etiam dissensum Pontificiorum. Nam Dominicus a Soto libr. II. de natura & gratia cap. 14. negat, dispositiones illas posse vocari merita, & *justificari hominem gratis*, statuit esse, *justificari sine ullo merito, sive de condigno, sive de congruo, sive procedente ex auxilio Dei speciali, sive ex viribus solis naturae.* Id ipsum comprobat rationibus firmissimis, quas num everterit Bellarminus, paulo post adparebit. Vega libr. VIII. de justif. cap. 8. & in opusc. de merit. quæst. 7. pag. 821. *Doctissimos & pientissimos quosdam viros adhuc video in ea sententia persistere, ut credant, patres antiquos solum agnovisse meritum de condigno, & eo propendeant, ut ecclesia hoc meritum, quod ajunt, congrui, repellat, ut recens inventum*, Bennius de efficacia gratiæ cap. 5. §. Quamquam. & cap. 17. §. venio. *Non ex ullo merito prima gratia profluit, ne de congruo quidem, quia impar est, & infinitis partibus impar peccatoris conatus & labor ac largitas gratiae.* Item: quidam statuunt, meritum *de congruo* fundari in sola promissione & acceptatione Dei, non in operis dignitate; (Biel. libr. II. sentent. distinct. 27. q. un. *Meritum de congruo est actus libere elicitus, acceptatus ad aliquid retribuendum, non ex debito justitiae, sed ex sola acceptantis liberalitate.* Bellarminus libr. II. de pœnit. cap. 12. *Meritum de congruo non in justitia, sed in liberalitate fundatur.*) quidam vero contra adserunt, meritum de congruo potius fundari in aliqua operis dignitate, quam in promissione & acceptatione Dei. (Costerus in enchiridio cap. 7. de meritis operum. *Omne meritum innititur justitiae propter aequalitatem, quae inter mercedem & meritum esse debet.* Bellarminus sibi contrarius hoc loco col. 1014. *Ad illud, quod objiciebatur, meritum de congruo non fundari in dignitate operis, sed in sola promissione Dei, respondemus contrarium esse verum,*

rum. Et postea: *Nos existimamus, meritum de congruo potius fundari in aliqua dignitate operis, quam in promissione.*) Plures hujusmodi dissensiones de merito congrui & condigni recenset Wilhelmus Holderus in peculiari quodam tractatu ex Scholasticis concinnato. 2.) Quod Bellarminus dicit, *gratuitam justificationem non excludere opera fidei, sive merita, quae sint nobis ex Deo, cum originem ducant ex gratia praeveniente;* ad illud respondemus, perpetuam esse in hoc argumento oppositionem inter *gratiam* & *opera*, inter *fidem* & *opera*, inter *credere* & *operari*. Rom. IV. 4, 5. XI. 6. Eph. II. 8. Quamvis enim bona opera (quæ an possint proprie vocari merita, suo dispicietur loco) sint fructus veræ & justificantis fidei, item, effectus gratiæ Dei in hominibus justificatis, quo respectu nec fidei nec gratiæ opponuntur; tamen in articulo justificationis opera opponuntur gratiæ & fidei. Bellarminus sic ratiocinatur: gratia non pugnat cum gratia; bona opera procedunt ex gratia, ergo non opponuntur gratiæ. Sed apostolus modo contrario procedit. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. XI. 6. Gratia non est gratia ullo modo, si non sit gratuita omni modo. Adfirmata igitur gratia negatur meritum, adfirmato merito negatur gratia, ac proinde est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ, statuere quoddam meritum, quod in gratia fundetur. Nec tamen ex eo inferri potest: si bona opera in articulo justificationis opponuntur gratiæ; sequetur, gratiam pugnare cum gratia; ut enim non debet donis Dei tribui, quod soli Deo competit, nec tamen ex eo inferendum, quod Deus pugnet cum suis donis: ita quoque operibus non est tribuendum, quod soli gratiæ & soli fidei competit, nec tamen ex eo inferri potest, quod absolute & simpliciter loquendo gratia & dona per gratiam, fides & opera etiam extra articulum justificationis sibi invicem opponantur vel repugnent. Breviter, gratia justificans atque opera non simpliciter per se sive *essentiae* respectu sibi invicem ab apostolo opponuntur; (hac enim ratione sunt conjunctissima, tanquam causa & effectus) sed opponuntur ratione unius ejusdemque effectus, qui in justificando consistit, hic enim effectus si gratiæ tribuatur, mox excluduntur opera, rursus si eundem effectum operibus tribuas, mox tollis gratiam, vi oppositionis apostolicæ. Vide Hutterum in explic. form. concord. art. III. pag. 288. 3.) *Justificatio gratuita non excludit fidem. Ergo nec excludit pœnitentiam & dilectionem, sive opera pœnitentiae & dilectionis, quoniam etiam ista sunt ex gratia.* Resp. est dispar ratio *fidei & operum* in articulo justificationis, gratia non excludit *fidem*, quia fides promissionem de gratuita peccatorum remissione amplectitur, est igitur relatio inter gratiam & fidem: sed gratia in articulo justificationis excludit *opera;* Rom. XI 6. quia opera nec sunt merita, nec media gratiæ, sed sunt fidei fructus & gratiæ effectus. Monendum tamen, licet gratuita justificatio excludat opera ab ipso justificationis actu, non tamen excludere ea a justificatis, quod ipsum quoque de pœnitentia (quæ ὁλικῶς accepta fidem tanquam partem essentialem complectitur, μερικῶς de contritione accepta est veræ fidei prævia) & dilectione (quæ est fidei justificantis fructus) dictum volumus. 4.) Flagellat Bellarminus Chemnitium, qui *concilio Tridentino tribuit, quasi pugnet pro merito congrui, cum in eo non fiat ulla mentio meriti de congruo, sed in medio relinquatur.* Resp. res ipsa in sess. VI. cap. 7. satis luculente continetur. Adserunt enim patres istius concilii, quod justitia a Deo nobis infundatur secundum dispositionem & cooperationem uniuscujusque. Atqui hæc est ipsissima descriptio meriti de congruo, ut constat ex Scholasticis, & manifeste probatur a Chemnitio in examine concilii Trident. sub tit. de fide justificante. p. 156. Plura de meritis dicentur in tractatu de bonis operibus, ubi excutientur, quæ pro stabiliendis bonorum operum meritis hoc loco Bellarminus adfert. 5.) Rationibus, quas Dominicus a Soto opponit *merito congrui*, frigide respondet Bellarminus. *Merito*, inquit Dominicus, *correspondet merces; atqui justificatio nullibi adpellatur merces pœnitentiae vel fidei debita, ergo justificatio non est ex merito.* Bellarminus respondet, *merito de congruo respondere mercedem de congruo, quæ magis debeatur ex gratia, quam ex justitia;* quo adcommodat dictum apostolicum Rom. IV. 4.

Et,

Ei, qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed ex debito. Ergo erit aliqua merces, quae imputari possit secundum gratiam. Atqui hoc est petitio principii & inanis tergiversatio. Unde enim probat Bellarminus, dari mercedem de congruo? & meritum de congruo & merces de congruo figmenta sunt monachalia. Apostolus non solum non dicit, esse mercedem, quae imputari possit secundum gratiam, sed etiam aperte contradicit. Cum enim dixisset: *Ei, qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum;* in antithesi subjicit: *Ei vero, qui non operatur, imputatur fides ejus ad justitiam.* Ubi non meminit mercedis alicujus, sed fidei, quam ex gratia dicit imputari ad justitiam, nimirum, quia justitiam Christi in verbo evangelii oblatam adprehendit. Quare cum ultro fateatur Bellarminus, justificationem nusquam mercedem, brabejum, stipendium dici, semper vero gratiam & misericordiam adpellari, cur pro merito congrui adhuc pugnat? Statuere tale meritum, cui merces debeatur ex gratia, est σιδηρόξυλον ἢ ἀντικείμενον ἐν πρόσκειμένῳ, cum sit perpetua oppositio inter meritum & gratiam sive gratuitam compensationem. *Meritum* (ait Costerus in enchiridio cap. 7. de meritis operum) *est actio libera, cui merces debetur ex justitia.* Et postea: *Omne meritum innititur justitiae propter aequalitatem, quae inter meritum & mercedem esse debet.* Altera Dominici ratio contra meritum *congrui* itidem satis congrua & invicta. *Cum gratis* (inquit) *justificari nos apostolus adserit, excluditur omnis operis dignitas, ipsaque justificatio fundatur in sola promissione Dei, qui per & propter Christum poenitentiam agentibus & credentibus peccatorum indulgentiam promisit, quod autem ex sola promissione debetur, id is non debet nisi valde improprie mereri.* Regerit Bellarminus, *promissionem, qua Deus justificationem promisit, requirere conditionem operis, poenitentiae scilicet & fidei, quae conditio cum expletur, justificatio utique in operis dignitate, & non in promissione fundatur.* Resp. poenitentiae & fidei promittitur justificatio, non quod in his donis ac operibus sit quaedam dignitas, ob quam justificari coram Deo mereamur; (id enim gratuitae justificationi manifeste repugnat) sed quia hoc ordine & modo Deus nos justificare constituit, ut per poenitentiam & contritionem corda nostra ad desiderium gratiae prius excitentur, ac postea per fidem promissionem evangelicam de gratuita peccatorum remissione propter Christum firmiter adprehendant. Non nisi poenitentibus & credentibus promisit Deus justificationem, at non propter poenitentiam aut fidem justificare promisit, sed gratis propter Christum, cujus meritum per fidem adprehenditur, cujus (fidei) anteambulo est contritio, pedissequa vero bona opera. Breviter, fides justificat non *meritorie*, sed *instrumentaliter*. Ipsum autem justificationis meritum non fundatur in nobis vel in opere aliquo nostro, (alias apostolus non dixisset: *fidem imputari ad justitiam*) sed in sola Christi justitia, quae credentibus in eum, qui justificat impium, ex gratia per fidem imputatur. Nos immotis hisce Dominici rationibus addimus etiam has sequentes: *primo*, quod apostolus meritum justificationis nusquam constituat in nobis, sed in solo Christi merito. Rom. III. 24. *Justificamur gratis Dei gratia per redemtionem, quae facta est in Christo Iesu. Secundo*, Meritum congrui sunt opera nostra, sive ex solis liberi arbitrii viribus, sive ex viribus arbitrii Dei gratia moti dicantur orta. Jam vero omnia opera ex actu justificationis excluduntur. Rom. III. 28. *Fide justificamur sine operibus legis.* Ergo justificatio non contingit per meritum congrui. *Tertio*, ubi opus est remissione peccatorum, ibi cessat omnis ratio meriti; ubi enim peccatorum remissio est, ibi necesse est esse peccata, ubi vero sunt peccata, ibi meritum damnationis & mortis est, non autem justitiae & vitae aeternae. Atqui justificatio nostra consistit in remissione peccatorum docente apostolo Rom. IV. 7. Ergo in ea non concurrit meritum nostrum. *Quarto*, quod est multis modis imperfectum, ac quod jam ante debitum, illud non est meritum justificationis. Atqui poenitentia, fides, timor, spes & reliquae (quas ita vocant) dispositiones sunt multis modis imperfectae, & jam ante debitae. Ergo non sunt meritum justificationis. Non est, quod obvertat Bellarminus, *operibus illis, in quibus meri-*

meritum de congruo statuit, dignitatem suam constare ex eo, quod sint opera gratiae & dona Spiritus sancti; fatemur enim, esse quandam operum dignitatem, sed ex eo non potest inferri, quod illa sit dignitas meriti, hoc enim esset procedere a non distributo ad distributum. Accipimus solum *primitias Spiritus*, Rom. VIII. 23. qui operatur in tali corpore, in quo *habitat adhuc peccatum*, Rom. VII. 17. quod omnia inficit ac corrumpit; unde non potest operibus, quae proficiscuntur ex viribus liberi arbitrii a Deo excitati ac moti, talis tribui dignitas, ob quam mereamur justificationem. Adde, quod haec exceptio Bellarmini repugnet Scholasticis, qui meritum congrui statuunt in operibus sine gratia factis; sic enim scribunt: *Cuilibet facienti, quod in se est, & per hoc sufficienter dispposito ad susceptionem gratiae, Deus infundit gratiam, sed perfectissimus modus faciendi, quod in se est, est diligere Deum super omnia, quod voluntas potest ex puris suis naturalibus.* Item: *Meritum congrui est, quod procedit ex libero arbitrio, congruum autem est, ut, dum homo virtute liberi arbitrii bene utitur, Deus etiam secundum excellentiam misericordiae suae excellentius operetur, & hoc merito congrui potest aliquis primam gratiam promereri,* Vide tractationem de libero arbitrio §. 52.

4.) *Omnes credentes justificantur.*

§. CLVI. IV.) *Quartum* argumentum (dicit Bellarminus cap. 22.) depromunt ex illis testimoniis, quae docent omnes, qui credunt, justificari & salvari. Joh. III. 16. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Act. X. 43. *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in nomen ejus.* Act XIII. 39. *In hoc omnis qui credit, justificatur.* Rom. I. 16. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* X. 11. *Omnis, qui credit in eum, non confundetur.* 1 Joh. V. 1. *Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.* Quod quidem non esset infallibiliter verum, si non sufficeret fides. Excipit autem: 1.) *particulam* omnis *exponendam esse negative, ut sit sensus, nemo sine fide justificatur.* 2.) *Particulam eandem referri ad omnia hominum genera, ut sit sensus, non solis Judaeis, sed & gentibus, fidem Christi esse viam ad salutem.* 3.) *Particulam illam interdum referri affirmative ad singulos credentes, sed tamen non significari, illis sententiis solam fidem sufficere, sed fidem justificare & salvare ex parte sua, modo addantur alia, quae simul requiruntur, id inde esse ita perspicuum, quod in scripturis etiam de spe dicitur: Omnis, qui sperat in eum, non confundetur;* Eccles. II. 11. *& de dilectione: Omnis, qui diligit, ex Deo natus est;* 1 Joh. IV. 7. *& de humilitate: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur;* Luc. XVIII. 14. *de oratione: Omnis, qui petit, accipit.* XI. 9. *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit;* Rom. X. 13. *de obedientia: Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis aeternae.* Hebr. V. 9. *Et tamen nemo diceret, solam spem aut orationem aut humilitatem aut alia sufficere sine fide.* Resp. fatetur ipse Bellarminus, priores duas solutiones non satisfacere omnibus dictis. (apostolus enim non solum demonstrat, neminem sine fide justificari, sed etiam nos justificari fide sine operibus legis: nec solum docet, omni hominum generi per fidem Christi esse apertam viam ad salutem, sed etiam beneficia Christi in evangelio oblata non nisi fide recipi, ac proinde fidem esse unicum medium, per quod justitiam in Christo nobis propositam adprehendimus. Act. IV. 12. & X. 43.) Ad tertium igitur effugium respondemus, non solum in illis propositionibus contineri descriptionem subjecti, hoc est, eorum, qui justificantur, in quibus fatemur non esse solam fidem, sed cum spe, dilectione, invocatione & aliis virtutibus conjunctam; sed etiam descriptionem modi ac rationis justificandi, ut manifestum est ex propria sede hujus articuli. Rom. III. 4. Gal. II. 3. Eph. II. Ideo argumentum nostrum plene ac plane evolutum tale est: Omnis, qui credit in Christum, justificatur, & quidem credendo justificatur, Rom. IV. 5. sive fide in Christum sine operibus legis, Rom. III. 29. Ergo sola fide justificatur. At tales non sunt propositiones de spe, dilectione, humilitate, invocatione &c. sed solum

lum describunt subjectum, hoc est, eos, qui justificantur & salvantur. 1 Joh. III. 14. *Scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quia fratres diligimus.* Ergo per dilectionem nostram non nascimur ex Deo, sed ex Deo nati demum diligimus, sicque ex dilectione cognoscimus, nos regenitos esse. Idem judicium de reliquis virtutibus, quæ non minus ac dilectio sunt fructus justificantis fidei, Gal. V. 6. In dicto Hebr. V. 9. per obedientiam proprie intelligitur *obedientia fidei*, ut exponit apostolus Rom. I. 5. XVI. 26. 1 Petr. I. 2. Ideoque sententiam nostram apertissime confirmat, tantum abest, ut eam minima ex parte labefactet, quo etiam pertinet, quod nomen spei sæpius pro ipsa fide accipiatur. Proferat autem Bellarminus unicum solummodo dictum, in quo sive vis, sive modus, sive actus, sive meritum justificandi dilectioni, humilitati vel aliis virtutibus tribuatur, illud certe ex nullo dictorum illorum, quæ protulit, evinci poterit. *Spes non confundit*, quia oritur ex fide promissionibus divinis firmiter innitente. Dilectio non non est regenerationis causa, sed effectus ac nota; publicanus se humilians exaltatus fuit & justificatus non merito quodam humilitatis, sed quatenus humiliatus peccatorum agnitione, fide ad Christum unicum propitiatorium confugit. In oratione fides est, quæ omnia impetrat.

5.) *Verbum sola fide adprehenditur.*

§. CLVII. V.) *Quintum* argumentum (scribit Bellarminus cap. 23.) ducunt ab illis testimoniis, quæ prædicant efficaciam verbi Dei. Verbum enim sola fide adprehenditur. Psalm. CVI. 20. *Misit verbum suum, & sanavit eos.* Joh. XV. 3. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Rom. I. 16. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* 1 Cor. XV. 1. *Notum vobis facio evangelium, quod prædicavi vobis, quod accepistis, in quo statis, per quod & salvamini.* Jac. I. 21. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Excipit autem 1.) *Verbum Dei quidem sanare & salvare, sed ut hoc faciat, non satis esse, ut fide apprehendatur, nisi etiam caritate impleatur, cum non solum offerat promissiones, sed etiam imperet facienda, unde audiens & non faciens sermones Christi confertur viro stulto ædificanti super arenam* Matth. VII. 26. 2.) *Verbum, quod fide adprehenditur, non esse ipsam salutem, sed semen salutis, quod non solum efficit, sed etiam calefieri & excoli debet, ut fructum faciat, id est, excipi debet in corde bono & retineri cum patientia tempore tentationum.* Matth. XIII. 23. Resp. argumentum nostrum non agit in genere de omni Dei verbo, (quia lex non est verbum sanans & salvans Rom. IV. 15. Gal. III. 21.) sed in specie de verbo promissionis evangelicæ, ac plene evolutum tale est. Promissionem evangelii propriam de gratuita peccatorum remissione in Christo & propter Christum obtinenda sola fides recipit; hanc autem adprehendendi vim non habet ulla virtus aut ullum opus. Ergo sola fide justificamur. Connexio est manifesta, quia remissio peccatorum in promissionibus evangelicis oblata est ipsa justificatio, docente apostolo Rom. IV. 6. Proinde quamvis caritas a credentibus requiratur, & cum fide justificante perpetuo & indivulso nexu sit conjuncta; tamen ad justificationem non concurrit, sed est effectus hominum fide justificatorum. Et quamvis donum renovationis itidem sit Christi beneficium non minus, quam justificatio, illa tamen non sunt invicem confundenda. Ad verum & sincerum christianismum fateniur requiri regenerationem & renovationem, fidem & opera, justificationem per fidem & fructus fidei justificantis; interim tamen hæc sunt adcuratis limitibus discernenda, cum non omnia ad actum justificationis pertineant, quæ ad christianismum pertinent. Quod igitur Bellarminus dicit, verbum impleri caritate, id si de verbo evangelii intelligat, falsum est, quia verbum evangelii proprie sic dictum est concio de gratuita peccatorum remissione propter Christum mediatorem, illa non impletur caritate, sed recipitur fide: ac si illa promissio penderet ab impletione per nostram caritatem, nunquam foret firma, quia caritas nostra est multis modis imperfecta, contra vero apostolus pronunciat Rom. IV. 16. *Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio.*

Adde

Adde, quod caritas sit *impletio* (non evangelii sed) *legis*, ut diserte scribit apostolus Rom. XIII. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit*, & v. 10. πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη. Hæc omnia erunt magis perspicua & manifesta, si repetantur hoc loco ea, quæ in tractatu de evangelio, de vero discrimine legis & evangelii fuerunt dicta. Quod verbum evangelii tanquam semen salutis non solum sit excipiendum, sed etiam fovendum & excolendum, ut fructificet, recte quidem dicitur, interim tamen distincta non sunt confundenda. Spiritus sanctus per verbum evangelii operatur in cordibus fidem, qua promissa in evangelio bona amplectimur, idem deinde verbum in corde fideli quasi calefactum & excultum fructificat bonis operibus, quæ *non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum*. Augustinus de fide & operibus cap. 14. Utique ergo sola fides justificat. Denique quæ Bellarminus contra Lutherum hoc loco disputat, facilem habent explicationem. Scribit Lutherus in libr. de libertate christiana: *Fidem implere omnia mandata, dum præcepta Dei servari non posse videns, ad promissa se confert, quæ docent, omnia esse posita in fide, & credentem in Christum omnia habere. Deinde fidem exhibere Deo summum obsequium, quia credendo confitetur, eum veracem esse in suis promissis exemplo Abrahae*, Rom. IV. *Denique fidem copulare animam Deo*. Hos. II. 19. *Despondsabo te mihi in fide, ideoque omnia, quæ Christi sunt, effici communia cum anima fideli*. Quid sanctissimis hisce pronunciatis obvertit Bellarminus? a.) In genere dicit, *haec nobis ipsis repugnare, si enim fides ideo justificat, quia summum cultum Deo exhibet, sequetur, nos merito fidei, id est, propter virtutem & dignitatem ipsius fidei justificari*. Resp. Fidem justificantem summum obsequium Deo exhibere dicit Lutherus, sed quod hæc exhibitio obsequii sit meritum quoddam, quo fides justificationem impetret, id vero nusquam dicit, nec ex verbis illis colligi potest. Fides justificat adprehendendo Christum; eadem vero justificans fides hanc habet proprietatem, quod Deo summum obsequium præstet, & gloriam veritatis ei tribuat; est ergo unicum illud medium, per quod promissionibus divinis de remissione peccatorum innitimur, & hac ratione bonorum in illis oblatorum participes reddimur. b.) In specie singulas fidei proprietates a Luthero adductas examinat, ac *primo* quidem dicit *virtutem illam, quod fides impleat omnia mandata, furtim surripuisse Lutherum caritati, de qua dicitur: Qui diligit, legem implevit*, Rom. XIII. 8. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Resp. perfecta & numeris omnibus absoluta dilectio legem implet, sed quia perfectio illa in hac vita ne a renatis quidem obtineri potest, cum *lex spiritualis sit, ipsi vero carnales*; Rom. VII. 14. ideo fides convertit se a præceptis ad promissa, a lege ad evangelium, ab operibus ad gratiam, & perfectam legis impletionem in Christo mediatore quærit, qui nostro loco illam præstitit: *quod* enim *impossibile erat legi, quia infirmabatur per carnem, hoc Deus praestitit, misso Filio suo in similitudine carnis peccati, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem, ut justificatio legis in nobis impleretur*, Rom. VIII. 3. & 4. *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti*, Rom. X. 4. Alio igitur modo caritas implet legem, alio vero fides; caritas implet legem operando, sed quia renatorum caritas non est perfecta, ideo etiam impletio legis per caritatem est imperfecta & tantum inchoata, ideoque non possunt ea niti coram Dei judicio. Fides sive cor fidele implet legem credendo, hoc est, adprehendendo Christum, qui sanctissima sua obedientia & satisfactione legem implevit, quæ ipsius obedientia per fidem nobis imputatur. Nec Lutherus somnians, ut nugatur Bellarminus, huc adcommodavit dictum apostoli Rom. XI. 32. *Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur*; & dictum Johannis c. I. 12. *Dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus*. Vera enim explicatio dicti apostolici patet ex Gal. III. 22. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio & fides daretur credentibus*. Nimirum quod voce *legis* omnes homines convincantur esse peccatores, ideo gratuita Dei misericordia per fidem in Christum, qui legem nostri loco implevit, credentes justificari. Vide Ambrosium & Theophylactum in c. III. Gal. Frivolum est, quod Bellarminus ex verbo *fieri* in dicto

Joh. I. concludit, credentes hoc ipso, quod credunt, non esse Dei filios, sed fieri demum, si renascantur ex aqua & Spiritu; neque enim verbum *fieri* respicit tempus fidei, quasi præsente vera fide nondum adsit υἱοθεσία, sed tempus primæ nativitatis, ex qua per baptismum & fidem renascimur. Vera fides & υἱοθεσία sunt perpetuo conjuncta, quia per fidem recipitur Christus, ut ibidem evidentissime adscritur, utique ergo per fidem in Christum reddimur Dei filii. Gal. III. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu.* 1 Joh. V. 1. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus.* At qui ex Deo natus, is utique est Dei filius. Hilarius l. de Trinit. *Qui receperunt, aucti sunt in filios Dei, non ortu carnis, sed fidei.* Augustinus in expos. c. III. Gal. *Efficiuntur filii sapientiae praeparante ac praestante id fide mediatoris.* Quæ absurditas esset, iis, *qui filium Dei receperunt & ex Deo nati sunt, necessarium adhuc esse, ut aliunde fiant filii Dei, quasi per ipsum non acciperent adoptionem?* ut recte scribit Chemnitius in harmon. cap. I. p. 73. ubi monet, vocem ἐξουσίας significare non solum *facultatem* aliquid faciendi vel acquirendi, sed etiam *dignitatem*, præeminentiam ac jus aliquod, item γενέσθαι significare & *fieri* & *esse*, ac positum esse indefinite τέκνα θεῦ γενέσθαι ut facti sint, vel ut fiant filii Dei per fidem, non ut aliquando demum fiant per spem & caritatem. Sensus igitur huius loci est, quod illis, quibus natura hoc jus non competit, qui scilicet sunt servi peccati, hostes Dei, mancipia diaboli, & natura filii iræ, quod illis etiam, si Christum fide recipiant, conferat hanc præeminentiam, excellentiam, jus & dignitatem, ut credendo non tantum in familiam ejus adsciscantur, sed adoptentur in filios Dei. Per ἐξουσίαν igitur intelligitur potestas non *ad* rem, sed *in* re. Pergit Bellarminus c.) *Non solam fidem, sed etiam bona opera & passiones fidelium Deo gloriam dare* Matth. V. Joh. XXI. *Ergo hoc non esse fidei tanquam proprium tribuendum.* Resp. fides innititur promissionibus evangelicis, & hac ratione dat Deo gloriam misericordiæ, veritatis ac potentiæ, eadem postea se exserit per bona opera, quibus itidem glorificatur Deus, eadem firmam consolationem ac robur præstat in omnibus adversis, quorum tolerantia inde & ideo placet Deo, quia proficiscitur ex fide. Alio igitur modo glorificat Deum fides, alio vero opera & passiones. Fides eo modo glorificat Deum, ut apprehendat promissionem evangelicam & in ea beneficia Christi mediatoris; proinde cum Christus sit nobis factus a Deo justitia, ideo qui Deum honorat fide, is honoratur a Deo justificatione, hoc est, justitia Christi per fidem ei imputatur. Operibus autem & passionibus nostris non glorificatur Deus, nisi ex fide procedant, *sine qua Deo placere impossibile est*, Hebr. XI. 6. Quæ de fide dæmonum Bellarminus adducit, plane sunt aliena, ipsorum enim fides non est justificans, nec respicit promissionem, quippe quam non acceperunt, sed nolentes volentes fulgore veritatis coacti Deum veracem confitentur. d) Denique quod Lutherus dixerat, *fide animam nostram Deo copulari, & quae Christi sunt, nobis cum eo fieri communia;* id Bellarminus dicit, *fortasse carere fundamento, cum dictum propheticum* Ose. II 19. *accipiendum videatur, non de fide, qua credimus Deo, sed de fide, qua Deus praestat promissa, ac magis hoc convenire caritati, quod per eam Christo sponsemur, qui enim manet in caritate, manet in Deo;* 1 Joh. IV. 16. *& caritas est vinculum perfectionis.* Col. III. 14. Resp. In præcedentibus verbis promittit Dominus, quod nos sibi *desponsaturus sit in justitia & judicio, in misericordia & in miserationibus;* quæ sunt beneficia illa Dei, quæ in spirituali illa desponsatione nobis contingunt, necessario igitur addendum fuit, quid ex parte nostra requiratur, alias descriptio illa spiritualis conjugii non foret plena; ac proinde per fidem intelligitur fiducia, qua promissioni huic credimus, eidemque firmiter innitimur, *per quam fidem Christus in cordibus nostris habitat*, ut loquitur apostolus Eph. III. 17. Ideo denuo repetitur: *desponsabo te mihi in fide*, qua scilicet beneficia promissa tibi applices. Bernhardus serm. LXVII. in Cant. *In fide desponsavi te mihi, & non in operibus legis, desponsavique in justitia, sed in justitia, quae est ex fide, non ex lege.* Idem patet ex eo, quod diserte in dicto prophetico additur: *Et*

cogno-

tognoſces Dominum, per quam cognitionem ſive notitiam uſitata ſcripturæ phraſi fidem intelligi, in propatulo eſt. Per caritatem cor noſtrum fertur ad Deum tanquam objectum, interim tamen ſpiritualis illa deſponſatio proprie non tribuitur caritati, ſed fidei, per quam Dei filii & Chriſti ſponſæ efficimur, ut poſtea eum diligamus. Quando *caritas vinculum perfectionis* dicitur, non agitur de caritate, qua Deum diligimus, ſed de ea, qua proximum proſequimur: neque agitur ibi de modo conjunctionis noſtri cum Chriſto, ſed de conjunctione fraterna chriſtianorum inter ſeſe, ut evidentia textus luculenter comprobat. *Super omnia* (ait apoſtolus) *caritatem induite, quae eſt vinculum perfectionis;* hoc eſt, quæ inſtar perfectiſſimi cujusdam vinculi mutuam chriſtianorum ſocietatem conſtringit. *Manens in caritate in Deo manere*, rectiſſime dicitur, quia caritas illa eſt fructus fidei, per quam Deo reconciliamur & unimur, ſublatis prius peccatis, *quae inter Deum & nos dividebant.* Eſa. LIX 2. Fides igitur eſt, quæ nos Chriſto inſert, qua Chriſtum induimus & in filios Dei adoptamur, ex illa poſtea oritur caritas, quæ non format fidem, nec conjunctionem per fidem cum Deo factam tanquam imperfectam complet, ſed eſt fructus fidei, quo flexu quodam reciproco quaſi ad Deum convertimur, & intuitu ſummorum beneficiorum in Chriſto nobis præſtitorum ei adhæremus.

6.) Irrita erit promiſſio, ſi lege aut operibus nitatur.

§. CLVIII. VI.) Sextum ac poſtremum argumentum (dicit Bellarminus cap. 24.) ex ſcripturis illis accipiunt, quæ docent, irritam fore promiſſionem, ſi lege aut operibus nitamur, & non ſola fide accipiatur. Rom. IV. 14. *Si ex lege eſt haereditas, exinanita eſt fides & abolita promiſſio.* Item: v. 16. *Ideo ex fide, ut ſit firma promiſſio.* Gal. III. 22. *Ut promiſſio ex fide daretur credentibus.* Gal. V. 4. *Evacuati eſtis a Chriſto, quia per legem vultis juſtificari.* Excipit autem, *ſe illud argumentum alibi ſolviſſe hoc modo, quod apoſtolus doceat, inanem fore fidem noſtram & irritam promiſſionem Dei, ſi juſtificatio haberi poſſit per ſolam cognitionem legis aut opera facta ſolis naturae viribus; nuſpiam autem dicere ſcripturam, juſtificationem non pendere ex conditione operum, cum in infinitis locis potius teſtetur, quod juſtificatio pendeat ex conditione pœnitentiae & operum.* Reſp. & nos ſuperius oſtendimus, omnia omnino opera ab actu juſtificationis excludi. Argumentum noſtrum, imo ipſius apoſtoli, nititur relatione inter promiſſionem evangelicam Dei offerentis, & inter fidem, eam recipientem. Promiſſio continet bona, quæ Deus nobis offert & gratis donat propter Chriſtum. Lex præſcribit opera, quæ nos Deo præſtare debeamus. Firmum ergo ac fixum manet, irritam fore promiſſionem, ſi ex lege vel operibus quibuſcunque juſtificari volumus. Pſeudo-apoſtoli nequaquam pugnabant, vel per ſolam legis cognitionem, vel per opera legis ſine fide in Chriſtum facta haberi poſſe juſtificationem, quia jactabant auctoritatem apoſtolorum, Jacobi, Petri, & Johannis, ut conſtat ex Galat. I. & II. ſed pugnabant præter fidem Chriſti ad juſtificationem requiri circumciſionem & obſervationem legis moralis. Act. XV. 5. Finge, Paulum excludere ſolummodo opera ſolis naturæ viribus facta; ſequetur, totam illam tractationem pſeudo-apoſtolis oppoſitam eſſe a quæſtione alienam. Scripturam præter fidem requirere pœnitentiam & opera concedimus, ſed in juſtificatis, non autem ad juſtificationis actum.

Ἀνακεφαλαίωσις argumentorum noſtrorum.

§. CLIX Atque hæc ſunt argumenta noſtra, quibus exceptiones ſuas Bellarminus opponere voluit, quæ omnia huic includimus ſyllogiſmo: 1.) Si ipſe Spiritus ſanctus expreſſe utitur particulis excluſivis, 2.) & ab actu juſtificationis diſerte removet opera, 3.) & res ipſa oſtendit, opera non poſſe juſtificare; 4.) ſoli autem fidei id competere, conſequens erit, ſola fide nos juſtificari, quod eſt ἔνδηλον. Atqui Spiritus ſanctus 1.) expreſſe utitur particulis *excluſivis*. Marc. V. 36. *Noli timere*, μόνον πίστευε. Luc. VIII. 50 μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, καὶ σωθήσεται. (Quamvis vero ibidem non agatur proprie de

fide justificante; manifestum tamen est, fidem statui unicum illud medium, per quod divinorum beneficiorum, ac proinde & remissionis peccatorum & justitiæ reddamur participes, *credenti enim omnia possibilia*, Marc. IX. 23.) Gal. II. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως.* 1 Joh. V. 5. *Quis est, qui vincit mundum, εἰ μὴ ὁ πιστεύων, nisi qui credit, quoniam Jesus est Dei Filius.* Particulas autem illas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ exclusivas esse patet ex Matth. XIX. 9. *Qui dimiserit uxorem, εἰ μὴ nisi ob fornicationem, mœchatur;* quem locum conjunge cum Matth. V. 32. *Qui dimiserit uxorem, παρεκτὸς, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Item ex Marc. XIII. 32. *De illo die nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, εἰ μὴ nisi Pater:* quem locum conjunge cum Matth. XXIV. 36. *De illa die & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, εἰ μὴ μόνος nisi solus Pater.* Gal. VI. 14. *absit mihi gloriari εἰ μὴ nisi in cruce Christi.* Joh. XV. 4. *Palmes non potest fructum ferre, nisi in vite permanserit*, id est, solus ille palmes fert fructum, qui in vite permanet. Denique ex Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, εἰ μὴ, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* 2 Reg. V. 17. *Servus tuus non sacrificabit ulterius diis alienis, nisi Domino*, id est, sed soli Domino. Ipse Dietenbergerus (*) particulas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ in versione germanica expressit per vocem *allein*, in plerisque allegatis dictis. 2) Diserte removet opera ab actu justificationis, ut patet ex Rom. III. 28. IV. 5. Gal. II. 16. &c. 3) Res ipsa ostendit, opera non posse justificare; sunt enim imperfecta, immunda & jam ante debita, ergo non justificant meritorie. Carent vi apprehendendi justitiam in verbo evangelii oblatam. Ergo non justificant *instrumentaliter*. 4) Soli autem fidei competit justificatio, nam inter verbum promissionis & fidem est perpetua relatio, sola fides adprehendit ac recipit Christum, ipsa sola excludit omnem gloriationem, & conscientiam de favore Dei reddit certam. Consequens igitur est, nos *sola* fide justificari.

§ CLX. Id ipsum comprobant piæ antiquitatis suffragia, quæ collegit Hamelmannus in libro peculiari, in quo ex 40. patribus græcis & latinis testimonia pro usu particulæ exclusivæ producit, uti etiam Chemnitius parte II. locorum theologicorum p. 339. 340. Nos potiora recensebimus. Justinus in epist. ad Diogn. p. 385. ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Irenæus libr. IV. adv. hæres. cap. 5. p. 236. *Lex non prohibebat eos credere in Filium Dei, sed adhortabatur dicens, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, & omnia ad se trahit & vivificat mortuos.* Clemens Alexandrinus libr. IV. strom. *Deus per solam fidem dat salutem.* Libr. VII. strom. *Per fidem solummodo efficitur fidelis perfectus.* Libr. I. pædag. c. 6. f. 42. μία καθολικὴ τῆς ἀνθρωπότητος σωτηρία ἡ πίστις, *una & universalis humani generis salus est fides.* Irenæus libr. IV. cap. 13. *Omnes oportet credere, sicut Abraham credidit, & imputatum est ei ad justitiam.* Postea subjungit: *Fides, quæ est ad Deum, justificat hominem.* In præfat. III libri: *Sola fides vera est & vivificat;* verba sic habent: *Memento igitur eorum, quæ diximus in prioribus duobus libris, & hæc illis adjungens plenissimam habebis a nobis adversus omnes hæreticos contradictionem, & fiducialiter & instantissime resistes eis pro sola vera ac vivifica fide, quam ab apo-*

Testimonia veterum.

(*) Jo. Dietenbergerus, a natali Moguntinæ diœceseos vico *Dietenberg* ita dictus, ordinis Dominicani monachus ac theologiæ in suo monasterio quondam professor, edidit biblia germanica, cum adnotationibus. Prima horum bibliorum editio prodiit Moguntiæ MDXXXV. Vid. de hac versione Dietenbergiana Le Long in biblioth. sacr. part. II. p. 190. & Fabricium in hist. biblioth. part. I. p. 29. Notanda quoque hic est Jac. Beringeri editio novi testamenti germanica Spiræ anno MDXXVI. edita in fol. in qua verba apostoli *Rom. III. 28.* ita redduntur: *So halten wirs nun, daß der Mensch gerechtfertiget werde, on Zuthun der Werck des Gesetz,* allein *durch den Glauben.*

apostolis ecclesia percepit, & distribuit filiis suis. Libr. III. cap. 25. *Firma est autem & non ficta, sola vera, quae secundum nos est, fides.* Origenes libr. III. in epist. Rom. III. c. 3. f. 157. *Dicit apostolus sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Immineret igitur nobis, qui integram esse scripturam apostoli conamur adserere, & ordine suo cuncta constare, ut requiramus, quis sine operibus sola fide justificatus sit? Quemadmodum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus clamavit ei.* Et postea de latrone converso. *Clamavit de cruce, Domine Jesu memento mei, cum veneris in regnum tuum, nec aliud quicquam describitur boni operis ejus in evangeliis, sed pro hac sola fide ait ei Jesus, Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Item de muliere peccatrice: *Ex nullo legis opere, sed pro sola fide ait Jesus ad eam: remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Sed fortassis haec aliquis audiens resolvatur & bene agendi negligentiam capiat, si quidem ad justificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus, quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio justificantis gratiam sprevit. Neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rursum sibi putet peccandi licentiam datam: indulgentia namque non futurorum, sed praeteritorum criminum datur.* Ibidem: *Exclusa est gloriatio Judaica non per legem operum, sed per legem fidei, quae est in Christo Jesu. Quis enim recte super castitate sua gloriabitur, cum scriptum sit: quia si quis adspexerit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo? Quis autem super justitia sua gloriabitur, cum audiet prophetam dicentem, quia omnis justitia nostra, sicut pannus menstruatae? Sola igitur nostra gloriatio est in fide crucis Christi, quae excludit omnem illam gloriationem, quae descendit ex operibus legis.* Libr. IV. comm. in epist. ad Rom. *Justificatur homo per fidem, cui ad justificandum nihil conferunt opera legis* Ibidem: *Non ex operibus radix justitiae, sed ex justitiae radice fructus operum crescit, illa scilicet radice justitiae, qua Deus accepto fert justitiam sine operibus.* Cyprianus in expos. symboli. c. 39. f. 575. *De remissione peccatorum sufficere deberet sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis est.* Idem epist. LXIII. ad Pam. *Si Abraham Deo credidit, & deputatum est ei ad justitiam, utique quisquis Deo credit, & fide vivet, justus invenitur, & jampridem in Abraham fideli benedictus & justificatus ostenditur, sicut apostolus Paulus probat.* Epist. II. *Quantum illuc fidei capacis adferimus, tantum gratiae haurimus.* Libr. testimoniorum adv. Jud. *Fide autem stare justitiam & illic esse vitam, praedictum est apud Habacuc: Justus ex fide vivit.* Ibidem: *Fidem in totum prodesse & tantum nos posse, quantum credimus.* Item ut tit. glossa part. III. de consecr. dist. 4. c. Baptismi vicem &c. *Sicut enim puero sufficit aquae baptismus solus, quia aetatis necessitas fidem excludit: similiter adulto sola fides sufficit, cum necessitas excludit aquae baptismum.* Nicephorus libr. III. eccl. hist. c. 13. *Hebionaei docuerunt, quod non facile quisquam per solam fidem in Christum salvus fieret, nisi etiam legis ceremonias servaret, & eam vivendi rationem sequeretur,* quae verba repetit Gabriel Prateolus de vitis, sectis & dogmatibus omnium haereticorum libr. V. c. 1. Epiphanius in Ancor. *Ex fide est justitia citra opera legis.* Arnobius libr. II. contra gentes. *Nemo sive operibus sive precibus commendatitiis aut sacrificiis salvus fit, sed solo auxilio Christi.* Athanasius (vel potius Theophylactus) in c. III. Gal. *Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. Ostendit igitur lege exsecrabiles reddi homines, & maledictioni subesse, fide vero benedictis accumulari. Nunc plane demonstrat, fidem ipsam vel solam justificandi in se habere virtutem, & Habacuc dicentem inducit, quia ex fide, non a lege victurus est justus. Lex namque non solam exigit fidem, sed opera.* In c. 1. ad tit. *Ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis, erit enim id salutiferum, cum nihil, quod adulterinum sit vel externum & accersitum, in fide induxerit, quae vel sola potest per*

se

se salutem adferre, mortiferum vero, si contra egerint. Eusebius libr. III. hist. c. 27. refert Ebionitas hæreseos damnatos, quod docerent, *per opera legis hominem debere salvari, & non per solam fidem Iesu Christi. Custodiendam* (inquit) *censent etiam legis observantiam, nec sufficere ad salutem solam Christi existimant fidem.* (fatemur tamen de operibus legum ceremonialium ibi proprie agi.) Athanasius orat. I. contra Arian. p. 119. *Abraham patriarcha non morte ad coronam venit, sed fide in Deum, aliique item sancti non effuso sanguine, sed per fidem justificati sunt.* Hilarius libr. VI. de Trinit. *Haec sola fides confessa Christum Dei Filium omnium beatitudinum gloriam meruit Petro.* Can. VIII. in Matth. f. 270. *Movet scribas remissum ab homine peccatum: hominem enim tantum in Christo intuebantur & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat,* Can. XXI. in Matth. de duobus filiis vineam ablegatis. f. 311. *Inviti licet, confitentur, quis obsecutus sit voluntati, junior scilicet filius obediens professione, licet non efficiens in tempore, quia fides sola justificat. Atque ideo publicani & meretrices in regnum cœlorum eunt priores, quia Iohanni crediderint. Principes autem sacerdotum & pharisaei videntes haec & contemnentes justificati per fidem non erant.* Basilius in homilia περὶ ταπεινοφροσύνης f. 217. ἅυτη ἡ τέλεια καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δε μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένον. *Ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter justitiam suam quis extollitur, sed agnoscit, se quidem vera justitia destitui, sola autem fide in Christum justificatum esse.* Idem in Psalm. XXXII. Πῶς καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐλπίζουσιν; ὁ γὰρ μὴ πεποιθὼς καὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀνδραγαθήμασι, μήδε προσδοκῶν ἐξ ἔργων δικαιωθήσεσθαι, μόνην ἔχει τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ θεοῦ. Idem Basilius in conf. fidei: *Sola fide in Christum justificamur.* Nazianzenus in orat. περὶ εὐταξίας, f. 155. δικαιοσύνη καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον. *Etiam solum credere justitia est.* Ambrosius in præfat. epist. ad Rom. *Vnde omni industria id agit, ut a lege eos tollat, quia lex & prophetae usque ad Johannem, & in sola fide Christi illos constituat, & quasi contra legem evangelium vindicet, non destruens legem, sed praeferens christianismum.* In c. I. Rom. *Nam misericordia Dei ad hoc data est, ut lex cessaret, quod saepe jam dixi, quia Deus consulens infirmitati humanae sola fide addita legi naturali hominum genus salvare decrevit.* In cap. III. Rom. *Manifeste beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiae opera, nisi tantum, ut credant.* In cap. IV. Rom. *Hoc consequimur, quod credimus, credentes enim Christum esse Dei Filium, a Deo adoptamur in filios, nihil ultra potuit donare credentibus, quam ut filii Dei dicantur perfidis abdicatis.* Et mox: *Pro infinita magnificentia sua Deus hoc donavit diligentibus se, quod sua dignum est majestate, non quod homines mereantur, quia in dono plus dantis quam accipientis consideratur sublimitas.* In c. VIII. Rom. *Fides data est, quae justificat confugientes ad se, ut remittat eis, quos lex tenet reos, ut agentes sub fide liberi sint a peccato.* Ibidem: *Sola fides posita est ad salutem.* In apol. David. 2. *Arbitramur secundum apostolum justificari hominem per fidem sine operibus legis, justificetur ergo ex fide David, qui per legem peccatum agnovit, sed peccati veniam ex fide credidit.* In 2 Cor. II. *Lex Spiritus dat libertatem solam fidem poscens.* Idem in cap. III. Rom. *Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes sola fide justificati sunt dono Dei.* In cap. IV. Rom. *Quomodo ergo Iudaei per opera legis justificari se putant, justificatione Abrahae, cum videant Abrahamum non ex operibus legis, sed sola fide justificatum?* Ibidem: *Impius per solam fidem justificatur apud Deum.* Ibidem: *Sic decretum dicit a Deo, ut cessante lege solam fidem gratiae Dei posceret ad salutem. Sicut David dicit &c. Hoc ipsum munit exemplo prophetae beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus. Beatos dicit, de quibus homini sanxit*

xit Deus, ut sine labore & aliqua observatione sola fide justificentur apud Deum. In cap. IX. Rom. *Sola fides posita est ad salutem.* In cap. XI. Rom. *Hoc decrevit Deus, ut solam fidem poneret, per quam omnia peccata abolerentur, ut, quia nulla spes per legem omnibus hominibus erat, Dei misericordia salvarentur.* In 1 Cor. I. *Datam dicit gratiam a Deo in Christo Iesu, quae gratia sic data est in Christo, quia hoc constitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Praefat. comm. in epist. ad Gal. *A praedicatione baptistae lex jam cessat, ut sola fides sufficiat ad salutem abbreviata ex lege.* In cap. III. Gal. *Lex ad hoc data est, ut peccatores reos se scirent apud Deum, manifestatis enim peccatis suis concluſi sunt, ut se excusare non possent, sed quaererent misericordiam, ut veniens, qui promissus erat Abrahae, fidem solam abeis posceret, quam haberet Abraham.* Libr. I. de vocat. gentium c. 5. *Quod si & ad illos dirigat mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus aetatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitae fine renovantur, & sine ullo suffragio bonorum operum in regni caelestis consortium transferuntur, quo intellectu divinum judicium comprehendes, nisi ut indubitanter agnoscas, gratuita esse Dei munera?* Libr. II. de Jac. & vita beata. cap. 2. *Non ex operibus justificamur, sed fide, quoniam carnalis infirmitas impedimento est operibus, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quae meretur veniam delictorum.* Serm. XLV. *Sicut sufficit Judae ad scelera Christum deseruisse, ita sufficit latroni ad innocentiam Domino credidisse.* Epist. LXXII. *Ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis suis justificatur, sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum justificatus est, fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur & venia datur.* In cap. VI. Eph. *Induimini vos armis Dei, ut possitis stare adversus nationes. Arma Dei fides est stabilis, per quam solam semper victus est satanas.* In c. V. Gal. *Sola fide opus est in caritate ad justificationem.* Hieronymus in c. IV. Rom. tom. IX. *Convertentem impium per solam fidem justificat Deus, non per bona opera, quae non habuit.* Et paulo post: *Secundum propositum gratiae Dei, qui proposuit gratis per solam fidem peccata dimittere.* Ibidem: *Vt omnes, qui ex gentibus credunt, sint filii Abrahae, dum & illis sola fides ad justitiam imputatur.* Idem in cap. III. ad Rom. tom. IX. *Arbitramur hominem justificari fide absque operibus legis. Dicit autem apostolus de eo homine, qui ad Christum veniens sola, cum primum credit, fide salvatur.* In cap. IV. Rom. *Tam magna fuit Abrahae fides, ut & pristina ei peccata donarentur, & sola prae omni justitia doceretur accepta.* In cap. V. Rom. Justificati igitur ex fide: *Pertractata causa, quare nemo eorum ex operibus justificatus sit, sed omnes ex fide, quod exemplo Abrahae probat, cujus se filios esse soli Iudaei putabant, ostendit rationem, quod non genus nec circumcisio, sed fides faciat filios Abraham, qui ex sola prima fide justificatus est.* In cap. X. Rom. *Ipse Moses distinxit in Levitico inter utramque justitiam, fidei scilicet atque factorum, quod altera operibus, altera sola fidei credulitate fiat.* Et paulo ante: *Ignorantes Dei justitiam, quod Deus ex sola fide justificet, & justos se ex operibus legis, quam non custodierunt, esse putantes, noluerunt se remissioni jubjicere peccatorum, ne peccatores fuisse viderentur.* Ibidem: *Finis legis Christus, &c. talis enim est ille, qui in Christum credidit die, qua credidit, qualis ille, qui universam legem implevit.* In c. XI. Rom. *Vt omnis Israel per solam fidem salvaretur.* In cap. III. ad Gal. *Abraham credidit Deo, &c. ita & nobis ad justitiam sola sufficit fides.* Ibidem: *Quoniam in lege nemo justificatur &c. quia nemo illam servat, ideo dictum est, quod sola fide justificandi essent credentes.* Augustinus libr. de Spiritu & litera c. 13. *His igitur consideratis pertractatisque pro viribus, quas Dominus donare dignatur, colligimus, non justificari hominem praeceptis bonae vitae, nisi per fidem Iesu Christi, hoc est, non lege operum, sed lege fidei non litera, sed spiritu, non factorum meritis, sed gratuita gratia.* Eodem libro c. 25. *Cum*

dicat apostolus, gratis justificari hominem per fidem sine operibus legis; non hoc agit, ut percepta & professa fide opera justitiae contemnantur, sed ut sciat quisque, se per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non praecesserunt, sequuntur enim justificatum, non praecedunt justificandum. Cap. 32. *Haec est, ex qua justus vivit, haec est fides, qua creditur in eum, qui justificat impium, haec est, per quam excluditur gloriatio, sive ut abscedat, qua in nobis inflamur, sive ut emineat, qua in Domino gloriamur; haec est fides, qua impetratur largitas Spiritus, de quo dicitur, nos enim Spiritum ex fide spem justitiae exspectamus, haec est fides, qua salvi fiunt, quibus Dei gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Postremo haec est fides, quae per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando poenam, sed amando justitiam.* De fide & operibus c. 22. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te unum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est: In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus, qui dicit: Qui cognovit eum & mandata ejus non servat, mendax est, & in hoc veritas non est. Et ne quisquam existimaret, mandata ejus ad solam fidem pertinere, quanquam dicere hoc nullus est ausus, praesertim quia mandata dixit, quae ne multitudine cogitationes parerent, in illis duobus tota lex pendet & prophetae, licet recte dici posset, ad solam fidem pertinere Dei mandata, si non mortua, sed viva intelligatur fides, quae per dilectionem operatur.* Libr. de util credendi ad Honoratum contra Manichaeos: *Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem, nisi aliquid crederem. Esne ulla major dementia, quam ut eis sola, quae nulla scientia nixa est, fide displiceam, quae ad eum ipsum me sola perduxit?* Epist. LVIII. *Quid enim his ad salutem, quae sola fide creditur, prodest in legis memoria & meditatione versari?* Ruffinus in expos. symboli. *Verum de remissione peccatorum sufficere deberet sola credulitas.* Arnobius in Psalm. CVI. *Audi Novatiane: Nos dicimus, illi, qui adhuc non sunt redemti, per fidem solam ad indulgentiam pertingunt.* Augustinus libr. de natura & grat. c. 1. *Nisi Christus frustra mortuus est, in illo solo justificatur homo, cum credenti in eum, qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* Libr. I. ad Bonifac. c. 21. *Quantalibet virtute fuisse praeditos antiquos praedices, non eos salvos fecit, nisi fides salvatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Libr. III. cap. 5. *Nostra fides, hoc est, catholica fides, justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit, quia justus ex fide vivit.* In Psalm. LXXXVIII. *De fide dictum est, fide mundans corda eorum, & quia sola fides Christi mundat, non credentes in Christum soluti sunt ab emundatione.* Tract. XLII. in Joh. *Non solum peccato vitiosi erant Iudaei, (nam hoc malum commune erat omnibus) sed etiam praecogniti, quod non fuerant crediturii ea fide, qua sola possent a peccatorum obligatione liberari.* In cap. II. Eph. *Non nostra sponte credidimus, sed vocati accessimus, & eum accessissemus, non exegit vitae sanctitatem & innocentiam, sed sola fide susceptа condonavit peccata.* Serm. LX. de verb. Dom. *Medicina omnium vulnerum & una propitiatio pro delictis omnium est credere in Christo.* Serm. LXVIII. de temp. *Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad justitiam. Ecce sine opere justificatur ex fide, & quicquid illi legali posset observantia conferri, totum credulitas sola donavit.* Leo I. epist. LXX. *Sola fides catholica vivificat & sanctificat.* Chrysostomus in cap. III. Rom. *Exclusa est gloriatio &c. hic virtutem Dei ostendit, quod non solum salvavit, sed & justificavit & in gloriam induxit, nullis ad hoc usus operibus, sed fidem duntaxat exigens.* In cap. VIII. Rom. *Hoc tantum obtulimus Deo donum, quod ipsi futura promittenti credimus, & per hanc solam viam salvati sumus.* Idem in Act. apost. homil. XXXII. *Fide purificans corda eorum. A sola fide hoc adsecuti sunt, & non ex operibus.* In cap. V. Rom. *Per ipsum habemus accessum per fidem. Christus pro nobis mortuus est, liberavitque nos & adduxit, gratiamque dedit ineffabilem. Nos vero solam fidem attulimus, propterea dicit: per fidem.* In cap. I. Col. *Homines lapidibus stupidio-*

diores ad angelorum subito dignitatem evehere, simpliciter nudis verbis solaque fide, sine omni eperum adminiculo, revera gloria est. Tom. IV. serm. de verbis apostoli: Non hoc autem solum sed etiam gloriamur. *Nullis onerosis aut laboriosis aut molestis mandatis impositis, sed fide tantum requisita & justificavit nos & sanctos reddidit &c. Non solum haec dico, quae audivistis, nempe quod sanctificati sumus; quod justificati, quod per unigenitum &c. quod sine laboribus & sudoribus, quod sola fide.* In cap. XI. Hebr. homil. XXII. de Abele dicit: *Nonne ex fide sola habuit hanc virtutem?* Thomas in cap. XXIII. Luc. citat dictum Chrysostomi de latrone converso: *Erat ergo videre salvatorem in medio latronum trutinam justitiae, trutinantem fidem & infidelitatem. Expulit diabolus de paradiso Adam. Christus latronem impulit ante totum orbem & ante apostolos nudo verbo, sola fide in paradisum introivit, ne quis post errores introitum desperaret.* Chrysostomus serm. VII. in Gen. p. 924. *Sed consideremus, num labores & recte facta & fructus exhibuit latro? ne hoc quidem dici potest, sed nudo verbo prolato, sola fide exhibita, in paradisum ante apostolos insilit, ut intelligas, non ejus improbitatem tantum valuisse, verum Domini benignitatem totum negotium peregisse. Quid enim latro dixit, quid fecit? num jejunavit? num flevit? num se adfixit? num longo tempore paenitentiam exhibuit? nequaquam, sed in ipsa cruce post sententiam salutem exhibuit. Vide celeritatem a cruce in caelum, a supplicio ad salutem.* In cap. II. Gal. verba apostoli sic reddit: *scientes, quod non justificabitur homo ex operibus legis, sed tantum per fidem Jesu Christi.* In cap. III. Gal. *Pseudo apostoli dicebant: qui sola fide nititur, exsecrabilis est, hic contra demonstrat, qui sola fide nititur, eum benedictum esse.* Ibidem: *Justus ex fide vivit, & hoc non solum ostendit, ex fide justificationem esse, verum etiam fieri non posse, ut per legem contingat salus. Postea quam, inquit, legem nemo servavit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxii maledictioni, excogitata est facilior quaedam via per fidem, quod idem maximum est argumentum, ex lege neminem posse justitiam adipisci; non enim dixit propheta, Justus ex lege vivit, sed ex fide, lex autem non est ex fide.* Ibidem: *Itaque quoniam celebris magnaeque existimationis apud illos erat patriarcha Abraham, & hunc profert in medium, declarans, hunc quoque fuisse sic justificatum. Quod si is ante gratiam ex fide justificatus est, idque cum & operibus bonis floreret, multo magis nos, quid igitur illi detrimenti attulit, quod non esset sub lege? nihil, sed sufficiebat ei fides ad justitiam.* Homil. V. in cap. II. Eph. ἀπὸ πίστεως μόνης ἔσωσεν. Homil. IV. in 1 Tim. I. *Incredibile videbatur esse,* (Judaeis) *siquidem homo, qui omnem priorem vitam frustra atque inaniter consumsisset, duxissetque per mala opera, postmodum ex fide sola salvandus diceretur; ideo addit, fidelis sermo.* Hom. III. in epist. ad Tit. *Quare fides non justificare sufficiat sola?* Tom. VI. f. 838. homil. de fid. & leg. nat. tom. III. p. 327. *Ante opera fides primum judicanda est. Eum, qui operatur opera justitiae, sine fide, non possum probare vivum fuisse. Fidelem autem absque operibus possum monstrare & vixisse, & regnum caelorum adsecutum. Nullus sine fide vitam habuit, latro autem. Latro credidit duntaxat, & justificatus est a misericordissimo Deo, atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo juste viveret, & honesta faceret opera; neque enim de hoc contenderim ego, sed illud unum adseveraverim, quod sola fides per se salvum fecerit, nam si supervixisset, fideique & operum fuisset negligens, a salute excidisset.* Gennadius in cap. III. Rom. *Propterea omnes, qui credunt in Christum, gratis justificantur, tantum fidem adferentes.* Beda in collectan. ex Augustini operibus in omnes epistolas Pauli in III. cap. Rom. tom. VI. f. 59. *Quod credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad justitiam, quod credidit Deo intus in corde, in sola fide est.* Libr. I. in Luc. cap. II. tom. V. f. 211. *Qui vel ante tempora circumcisionis vel etiam post datam circumcisionem de exteris gentibus exstitere fideles &c. sine victimis hostiarum se suosque ab originali peccato seu certe sola fide salvabant, quia justus ex fide vivit.* Hesychius in cap. XIV. Levit. *Miseratus Deus humanum genus, cum illud*

illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvari, sed per gratiam hominem voluit. Gratia vero & misericordia atque compassione praebetur, & fide comprehenditur sola, non ex operibus, ut Paulus dicit: nam gratia jam non erit gratia. Idem libr. I. in Levit. cap. II. *Homo jam non ex operibus, utpote pauper virtutibus, sed sola Dei cognitione salvatur.* Ibidem: *Gratia sola fide comprehenditur, non ex operibus.* Claudius Marius Victor libr. III. in genesin histor. de Abrahamo: *Credidit, & nudae fidei consensio sola plenam ad justitiae & meriti reputata coronam est.* Primasius in cap. IV. Rom. *Impium per solam fidem* (Deus) *justificat non per opera, quae non habuit.* Idem in cap. III. Gal. *Ut pollicitationem Spiritus accipiamus, qui per Ioel promissus est omni carni, id est, omni generi hominum, a parte ad totum, secundum synecdochen per fidem solam.* Ibidem: *ut promissio Iesu Christi daretur credentibus, ut necesse esset, sola fide per gratiam salvari credentes.* Ibidem: *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Omnes enim aequaliter & Iudaei & gentes per fidem solam, qua dono Dei, creditis Christo.* In cap. V. Gal. *Ergo evacuatum est scandalum crucis. Ideo enim scandalizantur, quod in sola fide crucis dico esse salutem.* In cap. VI. Gal. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint. Hanc regulam, qua in sola fide spes ponenda est.* Idem in cap. II. Eph. *Gratia enim estis salvati, non meritis vestris, sed gratia gratis data. Hoc contra eos, qui dicunt, quod suis meritis salventur per fidem. Per fidem solam, quam sanctus Spiritus dono suo infundit.* Ibidem: *Ut duos cordat in semet ipsum, in unum novum hominem per fidem solam justificans.* Ibidem: *Faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo. Quia ambo fuerant per peccatum aversi. Per crucem. Per solam fidem crucis, quae neminem deterret; non enim gravis est, quam subito accipere etiam latro potuit crucifixus.* In cap. III. Eph. *Secundum praefinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, quae praefinivit, ut hoc tempore, quando homines aliter salvari non poterant, sola fide Christi salvarentur.* In cap. III. Phil. *Non habens illam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae est ex fide Christi; sed illam, quae proprie a Deo per solam fidem Christi, quam ipse donavit, collata est.* In cap. II. Gal. *Non abjicio gratiam Dei, &c. Non debeo illi ingratus existere, qui me in tantum dilexit, ut pro me mori non recusarit, abjicio enim gratiam, si mihi hoc solum non sufficit.* In cap. III. Gal. *Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam; ita & vobis ad justitiam sola fides sufficit.* In cap. VIII. Rom. *Propositum Dei est, ut sine operibus legis vel quibuscunque aliis meritis per fidem solam justificaret impios, quae fides non ex natura, sed Dei donum est.* In cap. II. Gal. *Non ex operibus legis, sed sola fide per gratiam vitam te habere nosti.* Ibidem: *In fide vivo Filii Dei, in sola fide, quia nihil debeo legi.* In cap. III. Gal. *Quaeritur, utrum fides sola sufficiat christiano, & utrum non sit maledictus, qui evangelica praecepta non servat. Fides sufficit, ut primo credentem & justum efficiat.* Ibidem: *Ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut sola fide gentes benedicerentur in Christo, sicut promissum fuerat Abrahae.* In cap. II. Rom. *Non ex operibus, sed sola fide gratiam habere te nosti.* Ibidem: *Nobis sola fides sufficit ad justitiam.* In cap. IV. Rom. *Ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut omnes, qui ex gentibus credunt, secundum fidem filii sunt Abrahae, dum & illis sola fides ad justitiam reputatur.* In cap. V. Rom. *Ostendit veritatem, quod nec genus, nec circumcisio faciat filios Abrahae, qui ante circumcisionem ex sola credulitate justificatus est, qua ratione conclusa pacem eos hortatur habere ad Deum, quia nemo suis meritis, sed omnes Dei gratia & misericordia sunt salvati.* In cap. V. Rom. *Impium per solam fidem justificat, non per opera.* Theodoretus in cap. III. Rom. *Sola fide aliata peccatorum remissionem accipimus, quoniam velut quoddam redemtionis pretium Dominus noster corpus suum obtulit.* Et rursus: *Quem proposuit Deus propitiatorium, &c. Dominus autem Christus & Deus est & propitiatorium & pontifex & agnus, & in suo sanguine procuravit salutem, solam a nobis exigens fidem.*

Idem

Idem in cap. III. Gal. f. 105. *Lexne vobis dedit divini Spiritus operationem, an fola fides in Dominum?* In cap. II. Eph. f. 715. *Gratia Dei nos his donis dignata eſt. Nos enim ſolam fidem attulimus. Quin ejus etiam divina gratia fuit adjutrix. Hoc enim ſubjungit: Et hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* In cap. II Of. tom. I f. 608. *Simul enim ut chriſtianiſmum adeunt, ſtatim eos ſolam fidem repoſcimus. Nam juſtitia ſunt deſtituti & vacui, eam autem ſuſcipiunt per lavacrum regenerationis a Deo ſalvatore.* Libr. VII. de ſacrificiis. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Neque enim ullis operibus noſtris, ſed per ſolam fidem myſtica bona conſecuti ſumus. Hinc & apoſtolus teſtatur:* Eph. II. *Gratia ſalvati eſtis.* Idem in cap. II. Eph. *Non noſtra ſponte credidimus, ſed vocati acceſſimus, & cum acceſſiſſemus, non exegit vitae puritatem & innocentiam, ſed fola fide ſuſcepta condonavit peccata.* In Cant. *Juſtitia Dei non revelatur omnibus, ſed iis qui habent oculos fidei. Illum ſola fide comprehendi vox eccleſiae quaerentis & invenientis Chriſtum.* Theodulus in cap. IV. Rom. *Ipſa lex, ob quam gloriaris* (Judæe) *nihil profuit ad promiſſiones ipſi Abraham factas, ut quae nondum ſancita eſſet, ſed ſola fides.* Beda in Pſalm. LXXVII. *Per juſtitiam factorum nullus ſalvabitur, ſed per ſolam juſtitiam fidei.* Idem in Pſalm. XXIV. *Inſtruit David, ut nemo vel libertatem arbitrii vel merita ſua ſufficere ſibi ad beatitudinem credat, ſed ſola gratia Dei ſe ſalvari poſſe intelligat.* Libr. I. in Joh. *In redemtoris noſtri ſolum fide regnum mortis & peccati ſuperatur.* In Pſalm. LXXVII *Per juſtitiam factorum nullus ſalvabitur, ſed per ſolam juſtitiam fidei.* Alcuinus in praefat ad Carol. *Fides catholica humanum genus ſola ſanctificat.* Libr. I. de Trinit. *Conſtat, neminem ad veram pervenire poſſe beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminem placere poſſe, niſi per fidem.* Smaragdus in cap. III. Gal. *Neceſſe eſt ſola fide Chriſti ſalvari credentes.* In cap. VIII. Rom. *Secundum quod propoſuit non ex operibus legis, nec legalibus ſacrificiis, ſed ſola fide & ſanguinis ſui effuſione ſalvare nos praeſcierat, multo magis glorificavit operantes.* Giſelbertus in alterc. ſynag. & eccleſ. libr. I. cap. 1. *Credendum eſt, quia* (mortui ante octavum diem) *ſola fide ſalvati ſunt.* Cap. 13. *Manifeſtum eſt, Abraham, patrem noſtrum prius placuiſſe per fidem, quam per circumciſionem, dum videmus infinitum numerum periiſſe circumciſum, & alios abſque hoc ſigno etiam ante Chriſti adventum ſola fide gratiam Chriſti promeruiſſe.* Anshelmus in 1 Cor. I. *In gratia Dei, quae data eſt in Chriſto, non Petro vel Paulo, gratia enim data eſt in Chriſto, quia hoc conſtitutum eſt a Deo, ut, qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere ſola fide, & gratis accipiat remiſſionem peccatorum.* Ansbertus in Apoc. libr. VIII. cap. 9. *Sola ejus miſericordia ad tantam dignitatem perveuimus.* Paſchaſius Ratbertus, abbas Corbeienſis, in expoſit. cœnæ domin. S. patrum cap. 8. *Nunquam caro Chriſti niſi de manu ejus & ſublimi ara, ubi Chriſtus pontifex futurorum bonorum pro omnibus adſiſtit, vere accipitur, ac cum carne una omnia Chriſti ſanguine parta bona, quorum ſola fides capax eſt.* Haymo in cap. I. Rom. *Pluribus modis oſtendit Paulus, juſtitiam & ſalutem non eſſe per legem, ſed per fidem in Chriſtum, ut a lege abducat, & in ſola fide Chriſti eos conſtituat.* In evang. de circumciſ. Domini. *Sola tantummodo fide* (gentes) *ſalvabantur, ſicut ſcriptum eſt* Hab. II. *Juſtus fide ſua vivet.* In cap. XI. Hebr. *Magnam conſolationem & exhortationem apoſtolus illo in loco omnibus praebet, quia ſi meretrix infidelis & idololatra ſola fide ſalvata eſt, multo magis illi ſalvabuntur, qui in graviora crimina non ſunt prolapſi.* Idem in cap. III. Gal. *Lex non complebatur fide, ſed opere. Evangelium vero completur fide magis, quam operibus, quia ſola fides ſalvat.* Gloſſa ordinaria (quæ prodiit circa annum 840. cujus auctor exiſtimatur Strabo Fuldenſis) in epiſt. ad Rom. cap. III. *Sequuntur opera juſtificatum, non procedunt juſtificandum, ſed ſola fide ſine operibus praecedentibus homo fit juſtus.* In epiſt. Jac. cap. II. *Abraham per opera, quae fecit, juſtus non fuit, ſed ſola fide, oblatio vero ejus eſt opus & teſtimonium fidei & juſtitiae.* Theophylactus in 2 Theſſ. II. *Ait namque vel vobis*

nil laborantibus pro sola fide daturus est illa aeterna bona. In epist. ad Gal. cap. III. *Demonstrato eo, quod lex maledictos faciat, fides autem benedicat, ostendit jam nunc, quod & fides sola justificet, adducitque Habacuc dicentem, quod ex fide justus sit victurus, & non ex lege, lex enim non solum fidem postulat, sed & opera, pulcre autem dixit: apud Deum; apud homines enim justi forsan videri queant lege detenti, quales pharisaei justificantes se ipsos coram hominibus, quia igitur lex ob difficultatem operum non justificabat, sed potius maledictioni subjugabat, venit gratia facilem viam ostendens, fidem scilicet, per quam justificati benedicimur,* Ibidem: *Fides sola habet in se justificandi virtutem.* Oecumenius in cap. III. Rom. *Gratis, hoc est, absque tuis rectis operibus salvaris ac rursus ita, ut nihil conferas aliud praeter fidem.* Sedulius in cap. II. Rom. *Non dixit operatus est per legem, sed sola fide credidit.* In cap. IV. Rom. *Conversum impium per solam fidem justificat Deus, non per opera bona, quae non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus, hoc dicit, quia sine operibus legis credenti impio in Christum reputatur fides ejus in justitiam.* Et postea: *Quomodo Abraham credens per solam fidem justificatus est, ita ceteri fidem ejus imitantes salvantur.* Bernhardus serm. I. in vigil nativ. col. 36. *Sit in corde justitia, & justitia, quae ex fide est, haec enim sola habet gloriam apud Deum.* Et serm. XXII. in Cant. Cantic. col. 554. *Quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, & solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum.* Epist. LXXVII. col. 827. *Ab his duabus columnis, (Augustinum loquor & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor, cum his inquam me aut errare aut sapere fateor, credens & ipse, sola fide posse hominem salvari cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quaecunque vis invincibilis obviaverit. Vide etiam, ne forte ob hoc salvator cum diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, caute & vigilanter non repetierit: Qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Quapropter etsi martyrium vicem baptismi implere posse conceditur, non plane hoc facit poena, sed ipsa fides. Quae ergo martyrio praestat, absque ulla dubitatione pro baptismate reputetur, ipsa ita infirma & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere.* Rupertus in libr. 2 Reg. cap. 39. *Sola fides Jesu Christi justificare potest.* Libr. de victor. verit. IV. cap. 21. *Justitia haec in fidem tendit, quia non propter opera, sed propter fidem possibile est quemquam coram illo justificari.* In Sophon. libr. II. cap. 3. *Sperare in nomine Domini est deponere pertinaciam, qua se justificari arbitrantur ex operibus, & omnem justificationem credere in solo nomine Domini in fide Jesu Christi.* Libr. V. in Joh. cap. V. *In Jesu Christo nec circumcisio, nec praeputium; nec gentilis, nec Judaeus, sed sola fides requiritur.* Faustus episcopus Gall. libr. I. de gratia Dei & humanae mentis lib. arbitr. cap. 7. orthodoxograph. f. 1491. *Tempus gratiae, quo redemti sumus, merita hominum non exspectavit, opera penitus non quaesivit. Sola Deus fidei nostrae devotione contentus fuit secundum illud: Credidit Abraham Deo* &c. Julianus Pomerius libr. II. contra Judaeos, orthodoxogr. f. 1989. *Haec ergo est justitia fidei, qua justificamur, ut credamus in eum, quem non videmus, & fide mundati eum, in quem nunc credimus, postea videamus.* Fortunatus episcopus Pictaviensis in exposit. symboli libr. XI. *Ad remissionem peccatorum nobis in hoc sermone sola credulitas sufficit.* Oecumenius in cap. IV. Rom. *Quid ergo dicemus, Abraham Patrem nostrum invenisse secundum carnem? Vides, quod nihil omnino habeat, ne vestigium quidem operum ad hujusmodi beneficia, quae a Deo recepit. Unde ergo dignus habitus est? ex sola fide. Credidit enim Abraham Deo, ait scriptura, & reputatum est ei ad justitiam.* Ibidem: *Nonne habuit Abraham opera? nonne haec illum justificabant? absit.* In cap. III. Gal. *Nos, qui jam sub lege fuimus, & eam solverimus, solaque fide contenti fuerimus, quis redimet ab exse-*

exsecratione legis, cum scriptum sit: Exsecrabiles sunt, qui non manserint in lege? hoc igitur solvit ostendens, quod Christus sui exsecratione nos a legis exsecratione redemit. Acacius apud Oecumenium in cap. I. Rom. p. 251. edit. Veron. anno 1538. *Nos per peccata mortificatos sola fide resuscitavit & vivificavit.* Photius patriarcha in cap III Gal. *Omnes conclusi erant sub peccatum, ideo ex sola fide possunt consequi promissionem.* In cap. V. Rom. *Sola fide constat justificatio.* In cap. II. Col. *Etenim transgressi ea, ad quae obligati eramus, tenebamur hierographo. Sufficit autem credere solum, & baptismate deletur chirographum.* Lyra in cap. III. ad Gal. *Ad quid lex fuit utilis? quasi diceret: Si lex non justificavit, sed sola fides, quare ergo posita est & data?* Taulerus in conc. f. 105. *Alle wahre Seligkeit leidt allein in rechter Gelassenheit.* f. 192. *Niemand mag zu ihn kommen, er werde denn durch den Glauben eingeführet.*

Exceptiones Bellarmini.

§. CLXI. Ad hæc patrum testimonia eludenda varias Bellarminus profert exceptiones: lib. I. de justif. cap. 25. *Patres* (inquit) *dicendo solam fidem justificare excludunt a justificatione alii opera externa, alii legem Mosis, alii opera sine fide & gratia facta, alii opera ceremonialia legis veteris, alii docent neminem sine fide salvari, alii loquuntur de fide viva, alii excludunt fidem falsam & sectas haereticas, alii baptismi necessitatem;* urget etiam, quod alibi dicant, *fidem solam non sufficere.* Resp. 1.) Quamvis sententiæ veterum sint dissimiles, certum tamen est, eandem esse sententiam particulæ exclusivæ, quæ est apud apostolum in oppositione fidei & operum, cum toties solenniter protestentur, se velle ex libris canonicis judicium fieri de suis scriptis. Jam vero apostolus non solum aliqua opera, sed in genere omnia, nec tantum partem legis, sed totam legem a justificatione excludit, eodem igitur sensu dicta veterum accipienda. 2.) Si in specie ac sigillatim dicta veterum excutiantur, adparebit, illis per effugia Bellarmini haud quaquam satisfieri, cum *indefinite* de operibus pleraque loquantur, & omnia in universum a justificatione exclusa esse doceant, juxta celebre Augustini dictum: *Bona opera non praecedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.* lib. de fid. & operibus, cap. 14. (*) 3.) Libenter fatemur, de fide viva loqui veteres, quum soli fidei justificationem tribuunt, fides enim sine operibus est mortua & inane fidei simulachrum, cui neutiquam justificationem tribuimus; sed ex eo non potest nec debet inferri, quod opera, ac inprimis caritas, sit forma fidei, a qua justificandi vim fides mutuetur; minime vero, sed caritas est fidei justificantis fructus immediate ei conjunctus, ac proinde quamvis vera fides nunquam sit sola, hoc est, a caritate & bonis operibus separata, tamen sola adprehendit Christum & in eo justitiam coram Deo valentem. 4.) Quando fides dicitur salutis fundamentum, cui accedat profectus per spem, perfectio per caritatem, ibi non agitur de modo justificationis, sed de toto christianismo, in quo tanquam spiri-

(*) Bellarminus excipit: a) *Opera externa tantum a justificatione excludi*, ita eludit testimonium Origenis. Resp. hoc nec omnino verum, nec causam Pontificiorum juvat, nam fides est internum illud opus, quod actum justificationis ingreditur. Joh. VI. 28. b.) *Opera ceremonialia tantum excludi*, ita Ambrosii testimonium eludit. Resp. non opus erat patribus ad populum christianum loquentibus tam emixe ceremonialia rejicere, unde periculum nullum metuebatur. Diserta patrum verba evincunt, eos de moralibus scripsisse. Anshelmus in cap. I. Rom. sat clare: *Nam si quis mox, ut per fidem in baptismo justificatus est, ex hac luce migraverit, hic sola fide sine ullis operibus vitam consequetur.* In cap. IV. ad Rom. *Reputatur fides ejus ad justitiam, id est, sola fides sufficit ei ad justitiam & ita ad salutem.* Ibidem: *Quia Paulus sine praecedentibus operibus dixit, hominem sola fide justificari posse.* In cap. V. ad Gal. *Nam sive circumcisus sive praeputiatus sit quisque, non propter hoc aut dignior, aut vilior est in christiana religione, sed sola fides est ibi magnae dignitatis, & fides, quae per caritatem operatur, id est, non mortua, sed viva.* Lib. de excellentia gloriosiss. virginis Mariæ. c. 3. *Certe sola fide Abraham fertur Deo placuisse, & hoc, quia Deo credidit, & ad justitiam illi reputatam fuisse.* GERHARDUS.

spirituali quodam ædificio fides bonis operibus semper debet proficere. 5.) Sola fide sine operibus salvari nihil aliud est, quam neminem sine fide salvari, patres non solum posterius, sed & prius dicunt, secuti clarissimum apostoli contextum. 6.) Salus aliquando sumitur tanquam æquipollens justificationi, præsertim in disputationibus apostolicis Rom. III. & IV. Gal II. & III. Eph. II. Quandoque vero notat ultimam salutis æternæ adquisitionem sive manifestationem, ad quam in cursu bonorum operum festinandum est, postquam fide in Christum justificati hæreditatem regni cœlestis adepti sumus. Sic ergo *bona opera sunt via regni, non autem causa regnandi* teste Bernhardo lib. de gratia & lib. arb. circa finem. 7.) Quando veteres negant fidem ad salutem sufficere, loquuntur de inani persuasione fidei, quæ sese non exserit aut exercet in operibus bonis, in quibus omnino ambulare debent per veram in Christum fidem justificati.

Confessio adversariorum. §. CLXII. Addamus denique confessionem scholasticorum & quorundam scriptorum pontificiorum, quam veritatis fulgore etiam clausos oculos quandoque feriente protulerunt. Lombardus lib. III. dist. 23. D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere & ejus membris incorporari, per hanc fidem justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.* Nicolaus Gorranus in cap. IV. Rom. *Sufficit ad justificationem, quod aliquis credat, nec exigitur, quod operetur ad hoc.* Ibidem: *Si solum credit in Christum, licet non operetur, reputatur ideo fides ejus sola ad justitiam sufficientem.* Thomas Aquinas in cap. III. Rom. lect. 4. *Ostendit apostolus hic, Judaeos & gentes esse aequales, quantum ad statum gratiae, ostendendo sola fide Christi fieri justificationem.* Idem in cap. III Gal. *Secundum glossam hoc, quod dicitur, quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, intelligendum est de operibus teremonialibus, vel dicendum, quod loquitur hic apostolus de omnibus operibus tam ceremonialibus, quam moralibus, opera enim non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius exsecutiones & manifestationes justitiae.* Ibidem: *Dicendum, quod nemo justificatur ex lege, id est, per legem, nam per eam quidem cognitio peccati habebatur, sed non habebatur per eam justificatio. Ex operibus enim legis nullus justificabitur. Sed contra Iacobi II. dicitur: Nonne Abraham ex operibus justificatus est? Respondeo dicendum, quod justificare potest accipi dupliciter, vel quantum ad exsecutionem justitiae & manifestationem, & hoc modo homo justificatur, id est, justus ostenditur ex operibus operatis. &c.* Idem in 1 Tim. I. lect. 3. *Non est in eis* (operibus) *spes justificationis, sed in sola fide.* Rom III. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Bonaventura in IV. sent. dist. 15. q. 1. *Homo non potuit pro tanta offensa satisfacere, ideo Deus dedit ei mediatorem, qui satisfaceret pro offensa, unde in sola fide passionis remittitur omnis culpa, & sine fide ejus nullus justificatur.* Cap. Firmissime. dist. 4. de consecr. *Ab ira Dei nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi.* Cap. Caritas est aqua, dist. 2. de pœnit. *In Christum credere est amando in ipsum contendere. Haec est fides, ut definit apostolus, quae per dilectionem operatur, huic duntaxat remissio peccatorum promittitur, quod si caritas a fide christianorum sejungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo qui caritatem non habuerit, fidem christianorum habuit, id est, in Christum credidit.* Cap. Caritas. dist. 2. de pœnit. *Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in Christum, id est, amando tendere in ipsum; cum ergo reprobus in eum non credit, quae non manducavit, & ita fidem christianorum, qua sola peccata relaxantur, non habuit, quomodo judicium perpetuae damnationis effugiet?* Pelbartus de Themeswar serm. II in Dom. 3. Adv. *Quia sine fide impossibile est placere Deo, & quia per solam fidem in Christum habetur beatitudo cœlestis, ideo Christus dicit: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Glossa ord. Jac. II. *Abraham per opera, quae fecit, justus non fuit, sed sola fide: oblatio vero ejus est opus & testimonium fidei & justitiae.*

stitiae. Georgius Cassander in consult. art. IV. scribit, *exempla suppetere, ubi quoque justificatio, quae est post regenerationem, sola fide constare dicitur, ut illud Bernhardi: Quisquis pro peccatis compunctus &c.* Erasmus alicui scribit: *Vox sola tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero reverenter auditur & legitur in patribus.* Roffensis art. I. adv. Luth. *Fides, quae justificat, ferax est bonorum operum, nec vero inficior, quin fides absque partu bonorum operum, hoc est, cum opera nondum peperit, justificet, at jam operum gravida est & paritura, cum occasio fuerit.* Anno 1512. cum quidam vicarius in templo arcis Grimmensteinensis rythmos quosdam sacros componere jubereretur, hosce protulit:

Sind das Christus ist geboren,
Ist keine gläubige Seel verlohren.
Wüste das die Christenheit,
Das wehre uns München und Pfaffen leyd.

Joh. Hoffmeisterus in harm. Aug. conf. Fabric. p. 46. ed. Colon. anno 1587. *Ante exortum hunc in ecclesia Dei tumultum nemo fuit offensus particula illa sola, quam jam tenerae quorundam aures vix ferre queunt, nemo siquidem unquam in jus vocavit Ambrosium, quod affirmarit, hominem sola fide justificari.* M. Gian Francesco Virginio Bresciano hoc scripsit ex epist. Pauli ad Rom. III. & inscripsit Madamæ Renatæ ducissæ Ferrariensi di Bolognia anno 1551. Venetiis. *Houi jo pure homai scoperti per impij & iniqui: e' fatto chiaramente vedere, che non per la osservatione della lege, ma sola per la fiducia ne i meriti di Giesu Christo, pote te giusti ficarvi presso a Dio e' salvarvi: Dem. vstravi hattenus, nos esse impios & injustos, & clare ostendi, quod non per observationem legis, sed per solam fidem & fiduciam in meritum Christi coram Deo possitis justificari.* Piggius (teste Vega lib. VIII. de justif. c. 21.) aliique catholici doctrina & pietate insignes, (teste Stapletono lib. VII. de justif. cap. 9.) Colonienses canonici, quin etiam auctores libelli oblati a Cæsare colloquutoribus protestantibus in comitiis Ratisbonensibus (teste Vega lib. XV. cap. 21.) dicunt, *tantum per imputationem justitiae Christi, quatenus fides nostra adprehendit misericordiam Dei, propter meritum Christi nos justificari coram Deo.* Ut prætereamus Cassandrum, Stapulensem, Peraldum, Ferum, & alios Romanæ ecclesiæ alumnos, qui ad eandem protestantium doctrinam tanquam unicam animarum anchoram totis viribus adhæserunt. Cornelius a Lapide in comm. cap. III. Rom. *Justitiam ab apostolo fidei prae aliis virtutibus tribui, eo quod fides clare ostendat homines justificari non propria virtute aut merito, sed Christi, in quem credentes salvi fiunt.* Nec dubium, quin laudatissimus & æterna memoria dignissimus imperator Carolus V. adductis sententiæ nostræ fundamentis, præsertim vero quod in comitiis Augustanis anno 1530. ab adversæ partis theologis audierat, *confessionem Augustanam ex patribus quidem, non autem ex scripturis refelli posse;* quin (inquam) his & similibus argumentis adductus paulo ante finem vitæ cœlestem hanc veritatem de gratuita justificatione per fidem in Christum amplexus sit, referente non solum Chytræo in orat. funebri, sed etiam secretario Pauli IV. pontificis act. 2. An decreta concilii Trident. armis imperanda f. 108. edit. Pfortheim. *Metuo* (inquit) *ne sit oleum additum camino, cum ad sanctitatem vestram Toletanus episcopus scripserit, ipsum Carolum morientem dixisse, sibi videri veram esse Lutheranorum de justificatione sententiam. Fama idem statim per universam Europam tulit, & simul quod sanctitas vestra dixerit, se nolle ipsi propterea, quod cum Lutheranis in praecipuo religionis capite sensisset, ullas exsequias celebrare.* Idem refert Gerardus Busdragus, episcopus Argolicensis, in epistola ad cardinalem quendam anno 1558. scripta, quam recitat Wolffius præf. tom. I. lect. memorabilium (*).

§. CLXIII.

(*) Jacob Augustus Thuanus libr. XXIII. hist. refert, *Augustinum Cacallam & Franciscum Bivetorum, ambos concionatores Caroli quinti, simul ustulatos fuisse Valdolidi, Constantinum vero Pontium, qui*

Antithesis adversariorum.

§ CLXIII. Atque hæc sunt præcipua sententiæ nostræ fundamenta, quibus demonstramus, fidem solam justificare, cui adeo infensi sunt pontificii quidam scriptores, ut nos adpellent *fide solarios*, uti patet ex analysi Gregorii de Valentia & aliis) perinde ut Julianus fidelibus olim objiciebat: ὅθεν ὑπὲρ τὸ πίστευτον τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας, referente Sozomeno libr. V. hist. eccl. cap. 18. Cyprianus in exposs. symb. apost. *Pagani nobis objicere solent, quod religio nostra, quae quasi rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat.* Unde etiam fulmen illud Tridentinum prodiit sess. VI. can. 14. *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi & justificari ex eo, quod se absolvi & justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credit se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit;* cujus canonis insidias aperuit Chemnitius in examine. Bellarminus libr. IV. de notis eccles. c. 9. cum *Simonianis & Eunomianis* profligatissimis hæreticis propter hanc doctrinam nos comparat. Fevardentius in præfat. comm. in epist. Jac. *dogma hoc scribit minime apostolicum esse, sed Simonis magi, Eunomii, Basilidis, Joviniani ac pseudo apostolorum haeresin teterrimam.* Quid vero, si par pari referre & convitiis certare velimus, an non æquissimo jure possemus dicere, sententiam de justificatione operum esse Thalmudicam, Mahometicam & Arianam? Thalmud plenum est illis dictis, quod fides & opera conjunctim justificent. *Filii Israel credunt, & recte vivunt, ex his vero justificantur.* Alcoranus: *fiduciam habemus & operamur, & salus accidit animae nostrae.* Catechesis Neariana: *Non sola fides, sed cum fide & opera justificant.* Sed faceſſant convitia, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet, videbimus igitur, quid in nostra sententia adversarii desiderent, & quibus arietibus eam oppugnent.

§. CLXIV. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 12. antequam nostram sententiam oppugnare incipiat, prius dissensiones nostrorum ostendere conatur, quas ad tria capita revocat: I.) Alii dicunt, *fidem esse veram causam justificationis*, ut Lutherus in cap. II. Gal. *Fides est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter caritatem.* Alii tamen plurimi & fere omnes hoc tempore docent, *fidem non justificare per modum causae formalis vel meritoriae, sed solum relative, quia respicit ac recipit oblatam indulgentiam.* Resp. proprie & exacte loquendo fides non est causa *formalis* justificationis, cum enim justificatio sit actio Dei, quomodo fides nostra erit formalis ejus causa? Qua de re inferius late disputabitur, hac vice dicimus, non esse exactam oppositionem inter causam *instrumentalem & veram*, cum instrumentalis itidem sit vera causa, licet nec *principalis*, nec *meritoria*, nec *formalis* sit. Qui fidem dicunt causam *formalem* justificationis, *formae* termino latius utuntur pro modo ac ratione, qua coram Deo justificamur, ut sit sensus, justificationis nostræ hunc esse modum ac rationem, ut fides amplectatur Christum, & in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum & justitiam coram Deo valentem. Est, qui respondet, fidem accipi dupliciter; *primum* pro dono Spiritus sancti sive facultate credendi in corde hominis, quo modo est instrumentum adprehendendi Christum: *deinde* pro ipsa fiduciali Christi in evangelio adprehensione, quo modo exprimit adplicationem causæ formalis, hoc est, modum & formam justificationis. Fide enim, hoc est, credendo sive Christum adprehendendo justificamur. Quemadmodum vocabulum *intellectus & voluntatis* in homine utrumque significat; *primo* ipsam naturalem intelligendi & volendi facultatem, qua dicitur homo velle & intelligere: *de-*

An nostrates hac in re dissentiant.

1.) Quidam dicunt, fidem esse causam formalem justificationis, quidam vero negant.

qui eidem a sacris concionibus & solitudinis, tolerantiae, devotionis usque ad mortem consors fuerat, accepimus brevi tempore post ad inquisitorum tribunal raptum in foedo squalore carceris visam exspirasse, cumque cadavere ipsius viginti octo alios ex praecipua regionis nobilitate, speciante Philippo, rege palis alligatos & crematos fuisse. GERHARDUS.

deinde ipsum actum intelligendi & volendi, hoc est, ipsam intellectionem & volitionem: ita vocabulum *fidei* notat tum ipsam credendi facultatem (sive donum a Spiritu sancto per ministerium evangelii in corde hominis accensum) qua homo dicitur credere; tum ipsum etiam credendi actum sive creditionem, (ut ita loquamur). Cum hac responsione coincidit, quod alii in hac propositione: *fide justificamur*, agnoscunt synecdochen, ut sit sensus: *fide justificamur*, id est, per Christum fide adprehensum, in quo est nostra justitia; ubi monendum, quod vox *synecdoches* accipiatur in significatione grammatica pro comprehensione, non autem pro figura rhetorica, qua pars pro toto vel contra totum pro parte accipitur. Sensus enim est, quod fide Christum adprehendente & complectente justificemur, quod a quibusdam (præsertim a Bugenhagio Pomerano) declaratur similitudine annuli aurei gemmam nobilem continentis, qui æstimatur centum coronatis non propter aurum, sed propter gemmam, quam inclusam habet: ita quoque fides justificat, non *propter se*, ut est in homine qualitas, sed *propter Christum*, quem adprehendit & tenet, quo modo recte dicitur, neque Christus nos justificare sine fide, nec fides sine Christo, sed *comprehensive* fides tenens Christum, vel Christus fide adprehensus. Quidam etiam utuntur similitudine manus mendicæ eleemosynam recipientis, quæ nec est ipsa eleemosyna, nec ejus causa meritoria, sed *relative* solum concurrit ad eleemosynam obtinendam, cum dare & recipere sint relativa: ita quoque fides justificat *relative*, quatenus Christum, qui est nostra coram Deo justitia, adprehendit. Ex quo Bellarminus vitiose colligit, nos nihil fidei tribuere, sed eam plane contemnere ac nihili facere, quid enim? an non insigne est fidei præconium, quod ipsa sola polleat vi adprehendendi Christum, ac proinde, quod per eam Christus recipiatur & habitet in cordibus nostris, quod dona Dei per eandem nobis adplicentur. Cæterum ne D. Lutheri verba, quod fides sit *formalis* nostra justitia, morosius a Bellarmino urgeantur, referemus huc quædam ex epistola ipsius Lutheri ad Brentium hac de re scripta. *Ego* (inquit) *soleo, ut hanc rem melius capiam, sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qualitas, quae fides vel qualitas vocetur, sed in loco ipsarum pono ipsum Christum, & dico, haec est justitia mea, ipse est qualitas & formalis, ut vocant, justitia mea, ut sic me liberem ab intuitu legis & operum. &c.*

§. CLXV. II.) *Dissentiunt de actibus aliarum virtutum, quarum praesentiam alii dicunt requiri, vel ut signa verae fidei, vel aliis de causis, alii vero negant.* Resp. particula *sola* non excludit virtutes reliquas, spem, dilectionem, timorem, &c. a fide, sed a justificatione; non a justificatis, sed ab actu justificationis, hoc enim vult, fidem esse unicum instrumentum adprehendendi Christum, & hanc unicam esse rationem & modum justificationis, ut in Christum credamus; breviter particula *sola* non limitat subjectum, sed prædicatum (*). Præsentia illorum actuum est in hominibus, qui credunt, sed illi actus non pertinent ad justificationem. Quia enim sola fides Christum fiducialiter recipit, quod nulli actui alterius virtutis competit, ideo sola justificare dicitur sine actibus aliarum virtutum. Ergo, quod Lutherus dicit, *fidem nisi sit sine ullis etiam minimis operibus non justificare, imo non esse fidem*; tom. I. Lat. Jen. f. 488. id accipiendum de fide in actu justificationis occupata, non autem ut sese in ipsis justificatis habet, ac per bona opera exserit, ea enim a vera fide nunquam abesse, sexcentis in locis inculcat Lutherus. Monendum tamen, per actus virtutum intelligi

2.) *Quidam requirunt praesentiam aliarum virtutum, quidam vero minime.*

(*) *Dum solam fidem in negotio salutis urgemus, non fidem a bonis operibus separatam, sed potius vivam & per caritatis opera efficacem intelligimus. Quamvis enim sola fides Christi meritum adprehendat, adeoque sola justificet, non tamen sola existit, nulla hic fingenda est separatio quoad existentiam, quamvis urgenda semper sit distinctio quoad essentiam & officium. Solius fidei hoc munus est, non operum, ut justificet, haec ipsa vero fides justificans in nullo subjecto datur, quod simul Deum diligat & bene operari studeat.* Hæc ex MEISNERO adnotavit GERHARDUS.

hoc loco potissimum interiorem cordis renovationem, quæ cum remissione peccatorum semper est conjuncta; si enim exteriores actus virtutum respiciantur, fatendum, eos non solum a justificatione, sed etiam a fide justificante quandoque abesse, quod ipse Bellarminus non omnino negat, sic enim scribit libr. I. de justif. cap. 25. col. 1621. *Origenes opponit fidem operi externo, ac docet, posse hominem interdum justificari, etiamsi nullum opus externum faciat; ponit enim exemplum peccatricis & latronis, qui non leguntur jejunasse aut eleemosynas fecisse, antequam justificarentur, itaque per vocabulum* solam *excludit Origenes necessitatem operis externi, quando videlicet aut potestas aut occasio deest ejusmodi operis faciendi.* Ibidem col. 1023. *Chrysostomus docet fidem solam, id est, sine opere externo interdum sufficere, opus externum sine fide nunquam sufficere, & rationem reddit, quia fides parit opera, opera non pariunt fidem.*

§. CLXVI. III.) *Alii censent acerrime dimicandum esse pro particula* sola, *alii statuunt voculam illam* sola *in propositione, quod fides justificet, subintelligi, etiamsi non exprimatur, ideoque non esse de ea pertinacius altercandum, præsertim cum non contineatur in sacris literis, imo posse utiliter reticeri concordiæ causa.* Rec. Novimus in actis synodicis p. 109. ed. Germ. quosdam secutos formulam interreligionis sive *interim* sic scribere: *Non pugnamus de particula* sola, *sed dicimus & confitemur, oportere in nobis & alias virtutes & bonum propositum inchoari: sed tamen ultra illas virtutes requiri fiduciam in Filium Dei, quæ reliquas virtutes omnes obumbret, &c. Ac si secundum mentem apostolicam doctrinam de justitia fidei tenerent & explicarent, particulam* sola, *qua illi tantopere offenduntur, non ita mordicus urgemus, &c.* Verum enimvero cum per oppugnationem particulæ *exclusivæ* sinceritas doctrinæ cœlestis ab adversariis oblique petatur & labefactetur, ideo non patiemur eam nobis extorqueri. 1.) Quia diserte ponitur in scriptura. 2.) Evidenter & necessaria consequentia ex ea deducitur. 3.) Consensum habet orthodoxæ antiquitatis. Quæ membra ex superioribus patent (*). 4.) Emphatice complectitur omnes *exclusivas*, quas scriptura hac in re adhibet; quod enim apostolus asserit, *fide sine operibus nos justificari, credenti non operanti fidem imputari ad justitiam, non justificari hominem ex operibus, nisi per fidem Jesu Christi, &c.* id brevissime & nervosissime sic exprimitur, nos sola fide justificari (**). 5.) Hodierni scriptores pontificii videri volunt duriores quasdam scholasticorum disputationes improbare, nec dubitant adfirmare, nos sola Dei gratia, solo Christi merito, & fine operibus justificari, sed novis corruptelis illas propositiones in alienum sensum postea detorquent, quibus nostra propositio: *fide sola justificamur*, non tam facile obscurari potest. 6.) Debitum Christo honorem adserit, & solidam territis conscientiis consolationem præstat. 7.) Similia in scripturis exempla habet, ut in vindicatione versionis germanicæ Lutheri postea videbimus. 8.) Denique est instar symboli puræ & evangelicæ doctrinæ. Quemadmodum per *schibboleth* Galaaditæ suos contribules explorabant: Jud. XII. 6. Ita per particulam *sola* insidiæ adversariorum dete-

3.) *Quidam acriter pugnant pro particula* sola, *quidam vero minime.*

(*) Basilius, referente Theodoreto libr. II. c. 27. Valentis imperatoris præfecto unius literulæ veniam suadenti respondit: *Qui divinis innutriti sunt eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus ne unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, omnes etiam mortis species amplectuntur.* Leonas Constantii aulicus & in concilio Seleucensi vicarius patribus de ὁμοουσίῳ vehementer, uti par erat, contendentibus: *abite*, inquit, *& in ecclesiis nugas agite.* Socrates libr. II. c. 32. GERHARDUS.

(**) Usus particularum exclusivarum necessarius est. a.) Ad δοξολογίαν Christo soli debitam: Esaj. LXIII. 3. Act. IV. 12. b.) ad πληροφορίαν, ut conscientia firmo nitatur solatio: Rom. IV. 16. Gal. II. 21. c.) ad διάκρισιν promissionum legalium & evangelicarum, quarum illæ conditionem operum, hæ solam requirunt fidem: d.) Aliud organum dari nequit, quo Christum adprehendamus. GERHARDUS.

deteguntur, inde etiam tanto eam prosequuntur odio, ut nos fide solarios propter ejus usum adpellent. Ecquis igitur de retinenda in hoc negotio particula *exclusiva* dubitare velit?

Argumenta contra justitiam fidei.

§. CLXVII. His ita præmissis aciem contra nos instituit Bellarminus, & in quinque classes distribuit argumenta, quibus contra nos pugnat. Videbimus, quantum insit eis roboris. I.) *Scripturae & patres tribuunt vim justificandi non soli fidei, sed & aliis virtutibus, quas concilium Tridentinum inter dispositiones ad justitiam numeravit.* Argumentum Bellarmini tale est: *Fides justificat per modum dispositionis. Atqui tales dispositiones sunt complures. Ergo non sola fides justificat.* Resp. fidem justificare scriptura adserit, sed quod per modum dispositionis una cum aliis virtutibus justificet, id vero nusquam adserit. Πρῶτον ψεῦδος consistit in eo, quod Bellarminus fidem statuit esse tantummodo adsensum, non autem fiducialem Christi adprehensionem. Quæ ergo de fide *per modum dispositionis*, sive ut alibi loquitur, *radicaliter ac inchoative* justificante, Bellarminus profert, ea 1.) non ex fontibus Israëlis, sed ex Scholasticorum lacunis sunt petita. 2.) Non ad scripturæ normam, sed ad physicas regulas actum justificationis exigunt. Physici enim docent, *nullam formam recipi, nisi in materia prius ultimate dispositа.* 3.) Naturalibus liberi arbitrii viribus nimium tribuunt, quasi per eas ad gratiam se ipsum possit homo disponere ac præparare. 4.) Renovationem ac justificationem confundunt; quæ enim virtutes ad renovationem proprie pertinent, eæ ad justificationem perperam trahuntur. 5.) Denique quod fidei solius est, aliis virtutibus, præsertim vero caritati, Bellarminus tribuit, a qua fidem dicit formari, & vim justificandi a caritate fidei communicari. Sed videamus, quomodo probet fidem justificare per modum dispositionis, & cum fide etiam alias dispositiones ad justificationis actum concurrere, nos enim utrumque negamus.

1.) Fides justificat per modum dispositionis. Sed sunt plures dispositiones ejusmodi.

Prima dispositio est fides.

§. CLXVIII. *Prima*, inquit, *dispositio est fides, quae justificat ut initium & radix primae justificationis, ex quo sponte sequitur, ipsam non solam justificare, sed sic eam in hoc negotio agere, quod suum est, ut etiam ceteris virtutibus locum relinquat. Fidem autem esse initium justificationis, docet apostolus* Hebr. XI. 6, accedentem ad Deum oportet credere, *ubi fidei tribuitur prima motio in Deum, per quam is, qui longe erat, jam incipit propinquare. Idem apostolus:* Rom. X. 13. 14. Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, sed quo modo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Ubi hunc ordinem justificationis proponit apostolus, ut primo sit missio praedicatorum; secundo ipsa praedicatio evangelii; tertio fides; quarto invocatio; quinto salus & justificatio, quae est sanitas animae a morbo peccati. Et Johannes cum ait* cap. I. 12. Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus; *aperte docuit, eos, qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse fieri, si pergant ulterius, ut etiam sperare & diligere incipiant, dilectio enim proprie filios Dei facit.* 1 Joh. II. 5. *Patres fidem vocant justitiae fundamentum & originem, primam ad salutem inclinationem, ostium vitae &c. accedit ratio naturalis, nam potest aliquis credere, quod non sperat, nec diligit, non potest sperare aut diligere, quod non credit: igitur fundamentum spei & caritatis est fides, non contra fundamentum fidei spes aut caritas. Rursus in corporalibus morbis initium salutis est credere se aegrotum esse, & medico curare volenti fidem habere, non tamen sola illa fides est integra sanitas.* Resp. posset non immerito ambigi, an fides sit conversionis initium seu prima dispositio, cum terror, tremor & contritio præcedat fidem, non solum ratione fiduciæ, sed etiam quandoque ratione adsensus; sed transeat hoc, dicimus ergo, 1.) fidem in homine justificato esse initium & radicem reliquarum virtutum, sed in actu justificationis solam esse instrumentum adprehendendi Chri-

sum. 2.) Ergo quod fidem reliquæ virtutes, timor, spes, dilectio, &c. comitentur & sequantur, id nemo nostrum negat, idque allatis scripturæ & patrum testimoniis probari non difficemur; sed quod fides sit tantum initium justificationis, quam tantummodo inchoet, ita ut opera fidem subsequentia complementum & perfectionem eidem addant, id vero totis viribus negamus, nec ex allegatis dictis eviaci potest. *Fide* enim *nos justificari, fidem ad justitiam imputari, per fidem ad salutem nos custodiri*, apostolus adserit, nuspiam vero complementum justificationis vel caritati, vel aliis virtutibus tribuit. 3.) Fide nobis patere aditum ad Deum, fidem ex auditu verbi prædicati in cordibus oriri, ex fide invocationem promanare, &c. nemo nostrum negat; sed ex eo nulla consequentiæ necessitate inferri potest, quod fides sola non justificet. 4.) Fide non solum accedimus ad Deum, sed etiam fide justificamur. Rom. III. 24. *Justificati fide pacem habemus apud Deum.* Rom. V. 1. *fide* etiam *stamus.* v. 2. *Et virtute Dei ad salutem custodimur per fidem.* 1 Petr. I. 5. Ergo non solum initium, sed etiam complementum salutis fidei tribuendum. Nec tamen caritatem & reliquas virtutes a fide sejungimus, sed duplicem ἐνέργειαν fidei tribuimus: unam quidem *formalem* (ut vocant) qua adprehendit Christum, cujus justitia per fidem nobis imputatur; alteram *effectivam*, qua per dilectionem & alia bona opera sese exserit, in quibus consistit justitia novæ obedientiæ, cujus fundamentum, mater & origo est fides. 5.) Dictum Johannis a depravatione Bellarmini superius vindicavimus §. 156. Johannes in illa epistola neutiquam adserit, quod dilectio nos faciat Dei filios, sed quod tales nos esse demonstret: 1 Joh. II. 5. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc caritas perfecta est, in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.* 1 Joh. III. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli, omnis, qui non facit justitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* v. 18. *Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* v. 19. *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus;* perinde ut & Christus dilectionem constituit veram piorum notam. Joh. XIII. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 6.) Neminem sperare, aut diligere id, quod nondum credit, ac proinde fidem esse spei & caritatis fundamentum, nemo nostrum negat; sed ex eo illud tantum sequitur, quod fides sit fundamentum & radix bonorum operum, non autem quod sit radix & fundamentum justificationis, nisi præsupponatur id, quod adhuc in quæstione est, videlicet operibus nos coram Deo justificari. Per fidem veram & justificantem non solum credimus, nos esse ægrotos, (quod fidei historicæ proprie competit) sed etiam pretiosam medicinam in Christo nobis propositam ad salutem animæ recipimus; ita enim describitur fides Joh. III. 14. & 15. quod sit spiritualis & efficax Christi in cruce pendentis intuitus, quo a vulneribus animæ nostræ liberemur ac sanemur. Proinde fides in Christum longissime distat a fide ægroti, quæ nec causa nec pars est sanitatis; adde, quod sanitas corporis sit qualitas magis & minus recipiens, justificatio autem in relatione consistit, cum qua confunditur in hac similitudine renovatio, per quam natura incipit sanari, & ad primævum statum reduci.

§. CLXIX. *Secunda dispositio* (ait Bellarminus) *est timor, qui eo fere modo concurrit ad justificationem, quo ipsa fides.* Resp. duplex est timor, *servilis* & *filialis*. Timor *servilis* justificationem præcedit, quia antequam peccata in justificatione remittantur, vera eorundem ex lege agnitio ac serius de illis dolor requiritur; Deus prius mortificat, antequam vivificet; prius in infernum deducit, antequam reducat, nec infundit misericordiæ oleum nisi in vas contritum; postea accedit fides, quæ terrores illos superat, & in Christo mediatore remissionem peccatorum quærit. Longe ergo alio modo timor servilis ad justificationem se habet, quam fides, ille enim est velut προπαρασκευὴ & antecedens quoddam justificationis, hæc vero ejusdem causa instrumentalis. Timor *filialis* est justificationis consequens;

Secunda dispositio est timor.

sequens & veræ fidei fructus, neque enim locum habet timor filialis in corde hominis, nisi per fidem prius sit Dei filius: ex quo iterum adparet, aliter ad justificationem concurrere fidem, quam timorem filialem, id quod ipse Bellarminus quodammodo agnoscere videtur, addit enim voculam *fere*, cujus additamentum non erat necessarium, si timor & fides eodem modo ad justificationem se haberent; sed videamus, quomodo probet Bellarminus, quod timor eo fere modo concurrat ad justificationem, quo fides. 1.) *Sine fide impossibile est placere Deo* Hebr. XI. 6. *Idem dicitur de timore* Eccles. I. 27. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Resp. Spiritus sanctus non solum hoc adserit, quod sine fide non possimus Deo placere, sed etiam quod *fides imputetur ad justitiam;* Rom. IV. 4. & quod *justificati fide pacem habeamus apud Deum.* Rom. V. 1. Ergo fides est illud unicum medium, quo adprehendimus Christum, & in dilecto illo diligimur, id vero de timore non potest dici. Ecclesiasticus non est in canone, verba græca sic habent: ὁ δυνάσται θυμὸς ἀδίκῳ (al. θυμωθῆς ἀνηρ) δικαιωθῆναι, *non poterit vir iracundus justificari:* qui præceps fertur suis cupiditatibus, & pravis adfectibus excusso Dei timore indulget, nec Deo placere, nec exitium vitare potest, quem esse verbum hujus dicti sensum, patet ex sequentibus: ἡ γὰρ ῥοπὴ τῦ θυμῦ αὐτῦ πτῶσις αὐτῷ. *Iracundia animositatis ejus est subversio illius.* Est ergo dispar ratio harum propositionum: *Sine fide impossibile est Deo placere; & qui sine timore est, non poterit justificari.* Prior describit ipsum justificationis modum, nimirum illud ipsum, per quod Deo placemus: posterior describit qualitatem personæ, quæ justificatur, quod ex filiali timore Deo sese reverenter subjiciat. 2.) *Fides justificat, quia est initium justitiæ & salutis: at timor Domini est initium sapientiæ;* Psalm. CXI. 10. Prov. I. 7. *ubi per sapientiam intelligitur justificatio, per timorem servilis illegitimor, qui est in peccatore, ut docent patres.* Resp. hypothesis est falsa, quod scilicet fides justificet tanquam instrumentum & radix, quin potius concurrit ad eam ut causa instrumentalis. In Hebræo sic legitur רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָה *Principium* sive caput *sapientiæ*, hoc est, summa sapientia *est timor Domini;* intelligitur autem timor non *servilis*, sed *fiducialis*, talia enim effecta timori ibidem tribuuntur, quæ non possunt de *servili* timore intelligi; is enim fugit Deum, & horret ad eum accedere, cum vera fides nos ad Deum deducat, quippe per quam accedimus ad thronum gratiæ, sumus Dei filii, & clamamus: Abba Pater! ex hac fide oritur *filialis* timor, qui solicite caveat, ne Deum benignissimum illum Patrem offendat, ac justitiæ & salutis jacturam faciat. Quid quod ipsius Bellarmini hypothesibus contrarium est, servilem timorem hoc loco intelligere; si enim servilis timor est initium sapientiæ sive justificationis, sequetur, timorem potius, quam fidem, esse initium ac originem justificationis, cujus contrarium in verbis præcedentibus Bellarminus statuit. 3.) *Fides justificat, quia per eam accedimus ad Deum. Idem facit timor.* Psalm. LXXVIII. 34. *Cum occideret eos, quaerebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Psalm. LXXXIII. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum Domine.* Jon. III. *ad timorem incussum a Iona rex & populus Niniviticus ad Deum rediit;* ubi etiam flagellatur Lutherus, quod scripserat in cap. II. Gal. *Impossibile esse, ut peccator audiens ex lege judicium Dei non fiat impatiens, & non murmuret & odiat Deum.* Resp. timor *servilis* concione legis & sensu pœnarum extortus, quatenus in se consideratur, & solus adhuc est absque fide, omnino fugit Deum tanquam iratum judicem, & severum peccatorum vindicem; (sicut servi fugiunt iratos dominos, ut adparet exemplo Adami. Gen. III. 10. *Vocem tuam audivi, & timui, & abscondi me.*) tantum abest, ut nos ad Deum deducat, id enim soli fidei competit ex prædicatione evangelii per Spiritum sanctum in cordibus accensæ. Fides est, per quam ad Deum accedimus, timorem servilem superamus, & propter Christum nos Deo dilectos esse statuimus. Dicta a Bellarmino adlata agunt de effectu pœnarum divinarum ac concionum legalium, quomodo scilicet per prædicationem legis tam *verbalem* quam *realem*, hoc est, pœnas ac calamita-

mitates corda hominum conterantur, & ad veram peccatorum agnitionem deducantur, ut ad Christum animarum medicum suspirent; sed necesse est, ut ad hos terrores accedat fides, per quam Christus mediator adprehendatur, alias sola legis prædicatio vel in præsumtionem fastuosam erigit, vel in desperationem damnabilem præcipitat 4.) *Fides justificat, quia per eam Christus formatur in nobis.* Gal. IV. 19. *At de timore scribit Esaias cap. XXVI. 18. secundum interpretationem LXX. e timore tuo concepimus & peperimus Spiritum salutis.* Resp. acceptamus, quod fatetur Bellarminus, per fidem Christum in nobis formari, cur ergo disputat, *justitiam Christi nobis non imputari?* cur negat, *animam per fidem Deo copulari?* cur statuit, *fidem a dilectione & aliis virtutibus separari posse?* Si enim Christus per fidem in nobis formatur, utique etiam noster erit cum omni suo merito, utique anima nostra Deo copulabitur, utique Spiritus sanctus ad omne opus bonum nos impellet. Quod vero per timorem (& quidem *servilem*, de eo enim hic disputari in præcedentibus Bellarminus adserit) Christum in nobis formari dicit, id caret scripturæ fundamento. Quomodo enim per timorem servilem Christus in nobis formaretur, cum timor servilis sit metus pœnæ, quo fugiunt homines Deum iratum, eundemque in intimo cordis recessu odio prosequuntur? 1 Joh. IV. 18. *Timor non est in caritate, quia perfecta caritas pellit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Ex eo sic colligo. Vera *fides per caritatem est efficax.* Gal. V. 6. Vera caritas pellit timorem, (servilem puta) ergo timor servilis non consistit cum fide, tantum abest, ut per eum Christus in nobis formetur. Dictum Esaiæ non loquitur de modo justificationis, sed de calamitatibus populi Israelitici. Versio latina (quam concilium Tridentinum sub anathematis fulmine authenticam pronunciavit) sic legit: v. 18. *Concepimus & parturivimus, & peperimus Spiritum salutis, justitiam non fecimus in terra.* Ubi nulla sit mentio timoris, uti nec in textu hebræo, cujus hæc est genuina paraphrasis: *doluimus, peperimus cum suspiriis, neque tamen terræ salutem adferre possumus.* In versione LXX. interpretum additur quidem διὰ τὸν φόβον σου κύριε, sed hæc verba ad præcedentem v. 17. pertinent, & manifestissime ab hoc versu 18. distinguuntur. Adde quod ibi in hebræo sit ἀπὸ προσώπου σου κύριε, & quod duplex translatio imperite conjungatur. 5.) *Fides justificat, quia justus ex fide vivit.* Hab. II. 4. *& de timore dicitur, quod sit fons vitæ.* Prov. XIV. 27. Resp. dictum Salomonis agit de *effectu* timoris *filialis*, quod conservet nos, ne implicemur laqueis diaboli, & petrahamur in æternam mortem, quo sensu timor Dei dicitur fons vitæ proverbiali quadam locutione: longe autem aliter justus ex fide vivit, nimirum quia fides adprehendit Christum, & in Christo justitiam ac vitam æternam. Joh. III. 36. 1 Joh. V. 12. Inscite ergo hæc confundit Bellarminus, sicut multa jura malus confundit coquus. Quæ de timore *filiali* agunt, ea de *servili* accipit: quæ de studio bonorum operum in justificatis agunt, ea de modo justificationis intelligit. (*) 6.) *Fides justificat, quia purgat peccata;* Act. XV. 9. Rom. III. 25. Gal. III. 22. *at de timore quoque legimus: Eccles. I. 26. timor Domini expellit peccatum.* Resp. Ecclesiasticus proprie agit non de *servili*, sed *filiali* timore, qui non est, nisi in illis, qui per fidem sunt justificati, & in Dei filios adoptati. *Filialis* ille timor expellit peccatum, futurum scilicet, hoc est, prohibet, ne ruamus in peccata, & iram Dei accersamus. Græca sic habent: φόβος κυρίου ἀπω-

(*) Salomon non agit de timore *servili*, de quo Bellarminus agit, quia de illo timore se agere dicit, de quo libr. II. de pœnit. cap. 17. tractat, verum de timore *filiali*, qui ex amore in Patrem cœlestem cavet, ne peccatis eum offendat, Mal. I. 6. Hebr. IV. 1 Phil. II. 12. Psalm. II. 11. in quo est fiducia valida, ut Salomon se ipsum explicat. Præterea aliter ex *fide*, aliter ex Dei *timore* vivimus. *Fides* est fons vitæ, quia amplectitur promissionem gratiæ, & accipit remissionem peccatorum, quam sequitur vita. *Timor* Domini *filialis* est scaturigo vitæ, quia cavet peccata recedendo a tendiculis mortis, ut est in textu, confer cap. XIII. 14. Fides vivificat per boni, quod confert, præsentiam, timor Domini, per mali, quod confert, absentiam. GERHARDUS.

ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, depellit peccata, ne committantur. Longe vero aliter fides peccata purgat, scilicet quia in Christo peccatorum remissionem quærit & adprehendit. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei* (per fidem in verbo evangelii & sacramentis nobis adspersus) *mundat nos ab omni peccato.* 1 Joh. I. 7. *Patres idem docent.* Resp. dicta, quæ ex illis adlegat Bellarminus, nihil aliud docent, quam quod timor servilis sive contritio præcedat fidem, quod timor judicii divini exstimulet ac impellat ad quærendam gratiam; interim tamen sola fides manet unicum medium, per quod justitia Christi in evangelio oblata nobis adplicatur. 8.) *Ratio idem docet, natura enim timoris est, ut fugiat mala, & quaerat remedia, quibus illa possit effugere.* Resp. timor *servilis* cor excitat, præparat & impellit ad quærendam justitiam & salutem, sed illud ipsum desiderium gratiæ non est timori servili tribuendum, sed id est solius fidei proprium, per quam cor redditur quietum & pacatum, per quam clamamus: Abba pater! per quam servilis timor fugatur.

Tertia dispositio est spes.

§. CLXX. *Tertia dispositio* (ait Bellarminus) *est spes, quae nascitur ex fide, non secus ac timor: eadem enim fides, quae docet, Deum esse peccatorum vindicem, & gehennam impœnitentibus praeparasse, docet etiam, eundem esse patrem clementissimum & nolle mortem peccatoris. Hanc spem obtinendae veniae esse dispositionem ad justitiam & remissionem peccatorum, docet sapiens* Prov. XXVIII. 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur: & David in* Psalm. XXXVII. 40. *Salvabit eos, quia speraverunt in eo.* Psalm. XCI. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: & Dominus;* Matth. IX. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Resp. 1.) Ex fide nasci timorem *servilem* ambigue dicitur; aut enim intelligitur hoc de fide *justificante*, & sic falsum est, cum timor servilis fugiat Deum, vera autem & justificans fides accedat ad Deum; ipse Bellarminus cap. 6. hujus libri *fiduciam ex fide oriri* dicit, at fiducia & timor servilis sese mutuo tollunt: aut intelligitur de fide *generali* & historica, qua credimus, veras esse comminationes legis divinæ, & hoc sensu concedimus, ex fide oriri timorem, sed tunc propositio est a quæstione aliena, agimus enim hic de fide justificante. 2.) Ex fide oriri spem veniæ obtinendæ, concedimus, addimus autem hanc explicationem: Quemadmodum homo peccator, audiens legem Dei ac comminationes legi additas, eisdemque fidem habens, non potest non timore percelli: ita idem audiens promissiones evangelii, eisdemque fidem habens in spem erigitur, quod ipse quoque peccatorum remissionem obtinere possit. Sic ergo ex fide generali spes concipitur, quæ præparat quidem ad justificationem, non autem ut meritum de congruo. 3.) Dicta autem adlegata proprie non agunt de spe illa ex fide generali concepta, sed de ea, quæ est fidei justificantis propria, sive de ipsa fidei fiducia, qua remissio peccatorum & donum justitiæ non sperantur ut futura, sed ut in verbo evangelii oblata & exhibita in præsenti obtinentur, quemadmodum paralyticus per ipsam in Christum fiduciam remissionis peccatorum actu particeps est factus. 4.) Ergo spes quandoque sumitur pro ipsa fiducia justificantis fidei propria, & sic pro ἐποδυναμεῖσθαι accipiuntur, *sperare in Dominum, confidere in Dominum, credere in Dominum:* quandoque vero sumitur ut effectus fidei justificantis ab ipsa fide distinctus, ita ut fides sit de præteritis & præsentibus, spes autem tantum de futuris. Hac ratione per spem exspectamus liberationem ex calamitatibus, revelationem gloriæ filiorum Dei, plenariam possessionem hæreditatis cœlestis, &c. 5.) Atque in hac posteriori significatione spes non potest esse dispositio ad justificationem, cum sit effectus fidei justificantis. 6.) Pleraque dicta adlata agunt de liberatione ex calamitatibus, non autem modum justificationis describunt, hactenus igitur sunt a quæstione aliena. Prov. XXVIII 25. fontes veritatis ita legunt: *Qui sperat in Domino, satiabitur,* sive pinguis efficietur: sicut & cap. XXIX. 25. dicitur: *Qui sperat in Domino, conservabitur.* Psalm. XXXVII. 40. *Eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos,* (hoc est, auxilium illis feret) *quia speraverunt in eo.* Psalm. XCI. 14. *Quoniam desiderat me, liberabo eum.*

§. CLXXI. *Quarta dispositio* (ait Bellarminus) *est dilectio, quam esse priorem remissione peccatorum vel tempore, si sit dilectio imperfecta, vel certe natura, si sit imperfecta & ex toto corde, atque ad eam disponere*, his dictis Bellarminus probat: Eccles. II. 7. *Qui timetis Dominum, sperate in illo;* & statim additur: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Luc. VII. 47. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Gal. V. 6. *Nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides, quae per dilectionem operatur.* 1 Joh. III. 14. *Translati sumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Resp. 1.) Vera & Deo placens dilectio est fructus fidei, nec locum habet nisi in iis, qui fide sunt justificati, proinde non potest dici dispositio ad justificationem, siquidem per fidem homo prius justificatur, antequam Deum vera & seria dilectione prosequatur. Proinde quamvis vera fides & sincera Dei dilectio tempore sint simul, ordine tamen naturæ fides est dilectione prior. 2.) Dilectionem igitur esse natura priorem remissione peccatorum, ejusdemque causam, διαῤῥήδην negamus, neque ex allatis dictis id evincet Bellarminus. Ecclesiasticus non est in canone, neque agitur ibidem de modo justificationis, sed admonentur pii ad veram spem & fiduciam in Deum collocandam, ut ad sinceram Dei dilectionem. Græca sic habent: οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον, πιςεύσατε αὐτῷ, καὶ ὁ μὴ πταίση ὁ μισθὸς ὑμῶν. Οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον, ἐλπίσατε εἰς ἀγαθὰ, καὶ εἰς εὐφροσύνην αἰώνιον καὶ ἔλεος, ubi non fit mentio illuminationis cordium, quam justificationi æquipollere, & dilectionis divinæ effectum esse, ex hoc loco colligere voluit Bellarminus. Dictum Christi Luc. VII. 47. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, exposuimus in tractatu de pœnitentia §. 91. Dictum apostoli Gal. V. 6. *Fides per dilectionem operatur*, sententiam nostram potius confirmat, quod scilicet dilectio sit ἐνέργεια ac fructus fidei, ac proinde justificatione & fide justificante posterior. Absurde autem & contra grammaticas regulas vocem operari *passive* exponi ostendimus superius §. 125. Dictum Johannis 1 epist. III. 14. *Translati sumus de morte in vitam, quia fratres diligimus*, mutilate a Bellarmino adlegatur, integer enim contextus sic habet: *Scimus quod de morte ad vitam translati sumus, quia fratres diligimus*, ubi manifestum est, argumentum duci ab effecto ad causam, non autem causam translationis e morte ad vitam dilectioni tribui, qui *in Christum credit, ille a morte in vitam transiit*, Joh. V. 24. ac postea demum Deum diligit, qua de re itidem plura diximus superius §. 122. Et sane res ipsa ostendit, dilectionem non posse statui causam translationis hujus de morte ad vitam, cum homo spiritualiter mortuus non possit opera spiritualis vitæ (inter quæ dilectio eminet) exserere, jam vero ante conversionem & vivificationem omnes sumus in peccatis mortui. Eph. II. 1. Col. II. 13. (*). 3.) Sed

Quarta dispositio est dilectio.

(*) Si opponat quis Joh. XVI. 27. *Pater amat vos, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε. Ergo amor noster erga Christum tantum promeretur, ut ἀντιφιλήσεως adfectu Pater cœlestis nos prosequatur.* Resp. hoc repugnat 1.) textui: α.) τὸ ὅτι non accipitur ἀντιλογικῶς, sed συλλογιστικῶς ratiocinative, quod non causam rei, sed antegressæ adsertionis probationem denotat; vel σχετικῶς relative pro pronomine relativo *qui*, unde textus syriacus רְחֵמְתוּן דְּנָנִי רְאֻנְתוּן hic non habetur τὸ γὰρ ἀντιλογικὸν sed præfixa litera ᾽ασυγχώριτος καὶ ἀδιάλυτος Dolath. quæ Hebræo vel integro אֲשֶׁר vel amputato שׁ *qui, quæ, quod*, per omne genus & numerum ἄκλιτος existens æquipollet. β.) τὸ ἀγαπᾶν non nudum amoris adfectum, sed fidem in Christum inclusam præsupponit, unde *diligere* in sacris etiam pro *prosequi* & *amplecti* usurpatur. 2 Tim. IV. 10. *Demas reliquit diligens*, id est, sequens *præsens seculum*. 2.) Dicto apostolico 1 Joh. IV. 10. *In hoc est caritas*. 3.) Patrum explicationi: *Factum est*, ait Augustinus, *ut diligeremus, quia dilecti sumus. Displicentes amari sumus, ut esset in nobis, unde placeremus.* Item: *Deus in nobis non faceret, quod amaret, nisi, antequam id faceret, nos amaret.* 4.) Suffragio quorundam adversariorum. Baradius tom. IV. libr. V. cap. 12. p. 197. *Fatemur Christum dixisse, Patrem amare discipulos, quia ipsi*

3.) Sed si vel maxime demus ex hypothesi, inchoatam & obscuram quandam dilectionem ex fide generali & spe veniæ obtinendæ in cordibus justificandorum accendi; (quatenus is, qui peccatorum remissionem a Deo promissam in genere credit, eademque sibi remitti posse sperat, non amplius hostiliter erga Deum adfectus est,) nondum tamen ex eo sequeretur, inchoatam illam dilectionem esse meritum de congruo, vel etiam eodem modo ad justificationem concurrere, quo fides, per quam promissio de remissione peccatorum adprehenditur. 4.) Quæ Bellarminus nostris obvertit argumentis, quibus dilectionem non posse priorem esse justificatione demonstramus, ea facilem habent explicationem. Distinguit inter *dilectionem inchoatam & perfectam; illam sine Spiritu sancto inhabitante, quamvis non sine auxilio Dei speciali haberi posse, & justificatione priorem esse, hanc vero in ipsa justificatione infundi* adserit: quæ distinctio promanat ex falsa hypothesi, quod *homo ante regenerationem habeat liberum arbitrium, ad opera non solum naturalia & moralia, sed etiam pietatis & supernaturalia*, ut scribit Bellarminus libr. VI. de grat. & lib. arbit. cap. 15. vel ut Gabr. Biel loquitur, quod *homo ex puris naturalibus possit Deum super omnia diligere.* Scimus autem hominem ante regenerationem esse in peccatis mortuum, naturæ filium iræ, Dei hostem, satanæ captivum, qui non potest quidpiam boni cogitare, nisi accedat Spiritus sancti illuminatio & interior operatio, qua de re alibi plura.

Quinta dispositio est pœnitentia.

§. CLXXII. *Quinta dispositio* (ait Bellarminus) *est pœnitentia, dolor videlicet ac detestatio peccati, per quam disponuntur homines ad justificationem & remissionem peccatorum.* Act. XI. 18. *Ergo & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam?* 2 Cor. VII. 10. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ezech. XVII. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Ex quo iterum Bellarminus colligit, *non solam fidem, sed etiam pœnitentiam justificare.* Resp. 1.) Pœnitentia accipitur vel μερικῶς, pro *contritione*, vel γενικῶς, pro tota *conversione*; *priori* modo præcedit justificationem, non tamen ut meritum quoddam de congruo, vel ut causa *efficiens* (cujus contrarium ostendimus in tractatu de pœnitentia §. 85.) sed ratione *ordinis* divinitus constituti, non enim vult Deus sanare nisi contrita corda, non infundit misericordiæ oleum, nisi in vas contritum, ut ostendimus in eodem tractatu §. 75. *Posteriori* modo fidem tanquam primariam & præcipuam sui partem includit, cujus ratione & respectu *opus ad vitam* dicitur. 2.) Dictum apostoli 2 Cor. VII. 10. *Tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam ad salutem*, exposuimus in tractatu de pœnitentia §. 46. Dictum prophetici cum Ezech. XVIII. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, vivificabit animam suam*, exposuimus ibidem §. 86. Loquuntur hæc & similia dicta de tota ad Deum conversione, cujus pars præcipua ac veluti anima est vera fides in Christum, per quam hypocritica ac exitialis pœnitentia a vera & salutari distinguitur, qua de re suo loco plura diximus.

Sexta dispositio est propositum suscipiendi sacramenta.

§. CLXXIII. *Sextam dispositionem ad justificationem* Bellarminus statuit esse *propositum ac desiderium suscipiendi sacramenta, qui enim didicit necessariam esse medicinam ad curanda vulnera, is ejusmodi media a Deo ipso instituta desiderat ac requirit.* Resp. 1.) Sacramenta sunt media offerentia gratiam ex parte Dei, quæ non solum pie desideranda, sed etiam in fide percipienda sunt. 2.) Desiderium igitur suscipiendi sacramenta non excludimus a justificato, sed a justificationis actu, aliud est causa justificationis, aliud qualitas justificandi vel justificati. 3.) Dicta, quæ Bellar-

ipsi amaverunt & crediderunt: sed negamus dixisse, amorem discipulorum fuisse priorem amore Patris. Respondemus ergo illum amorem & fidem discipulorum fuisse effectum amoris Dei, quo illos prior prosecutus est, atque adeo fuisse posteriorem amore Dei. GERHARDUS.

minus adfert ex Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum cœlorum.* Joh. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remissa eis erunt.* Act. II 38. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum, &c.* ea necessitatem & efficaciam baptismi, ut & fructum ministerii evangelici ostendunt, non autem de dispositionibus ad justificationem agunt 4.) Ergo non potest ex illis concludi, quod desiderium suscipiendi sacramenta sit dispositio ad justificationem, hoc est, meritum de congruo remissionis peccatorum. 5.) Ubicunque verum & serium sacramenta suscipiendi desiderium, ibi etiam fides (unde in casu necessitatis etiam absque usu sacramentorum salus credentibus contingit) qui vere & serio desiderat sacramenta, is credit, fidem & promissiones divinas illis obsignari. Rom. IV. 11. Utique ergo desiderium illud procedit ex fide, quæ per usum sacramentorum augetur & confirmatur: in infantibus aliter se res habet, in illis enim desiderium suscipiendi sacramenta non præcedit vel usum baptismi vel justificationem, ut constat.

Septima dispositio est propositum novæ vitæ.

§. CLXXIV. *Septimam* denique *dispositionem* Bellarminus statuit *propositum novae vitae & observationis omnium mandatorum*, de qua Dominus loquitur Ezech. XVIII. 31. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor novum.* Resp. 1.) Propositum novæ vitæ ex vera & salutari pœnitentia velut pretiosus quidam fructus efflorescit, ergo non potest esse dispositio ad justificationem, quippe quam fides, pars pœnitentiæ præcipua, jamdum obtinuit. 2.) Ipsa etiam nova obedientia est fructus veræ conversionis, non enim locum habet renovatio, ubi non adest prius regeneratio, per quam reddimur Dei filii, hæc ergo interior renovatio & exterior nova obedientia non præcedit justificationem, ut dispositio, sed sequitur eam ut fructus. 3.) Dictum prophericum continet seriam exhortationem ad agendam pœnitentiam, nequaquam vero naturalibus liberi arbitrii viribus tribuit, quod per eas homo nondum renatus cor novum sibi fingere possit, id enim solius Dei esse, ostenditur Psalm. LI. 12. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* 4.) Jubemur autem delictis externis crassioribus valedicere & ministerio verbi uti, quo per Spiritus sancti gratiam & operationem innovemur. 5.) Per observationem omnium mandatorum respicit Bellarminus ad confictam illam hypothesin, quod lex Dei perfectissime a renatis in hac vita possit impleri, ut libr. IV. de justif. cap. 11. & libr. II. de monach cap. 13. probare conatur, cujus contrarium ostendimus suo loco.

Quæ cumprimis observanda sint in disputatione de dispositionibus ad justificationem.

§. CLXXV. Atque hæ sunt septem illæ dispositiones, quas ex concilio Tridentino Bellarminus propugnat, & ad justificationem necessarias esse existimat. Sed censura Colonienſis septenario numero non est contenta, sic enim loquitur pag. 117. *Fides hoc in nobis agit, ut praeparentur atque adcommodentur animi ad justificationem primam in se recipiendam, neque tamen fides sola id efficit, sed praeterea caritas, sed misericordia & eleemosynae, sed timor Domini, sed pœnitentia, multaque id genus alia, quae longum foret enumerare.* Porro de illis dispositionibus hæc adprime notanda. 1.) Per illas non intelligi a Bellarmino præparationes quasdam a Spiritu sancto in justificandis excitatas, ratione ordinis divinitus constituti requisitas, sed per dispositiones illas intelligit *meritum de congruo*, quod voluntas hominis nondum renati per Spiritum sanctum mota & excitata suis viribus elicere, & ad infusionem gratiæ justificantis hoc modo sese præparare potest. Sic enim scribit libr. II. de pœnit. cap. 12. *Catholici* (Romanenses) *communi consensu docent, contritionem esse causam remissionis peccatorum, quod idem Tridentinum concilium docet, tum* sess. VI. cap. 6 *tum* sess. XIV. cap. 4. *Ex quibus etiam locis intelligere licet, duobus modis contritionem esse causam justificationis, quia videlicet disponit ad justificationem & impetrat remissionem peccatorum.* sess. VI. cap. 6. *numerat concilium actum pœnitentiae inter dispositiones justificationis, & quia dispo-*

sitio

fitio non solum se tenet ex parte materiae, sed etiam (nota optime) *ex parte agentis, ideo actus pœnitentiae, quatenus ab auxilio gratiae & libero arbitrio procedit, & hominem disponit ad justificationem, ipsius justificationis causa dici potest aliquo modo etiam efficiens.* Sess. XIV. cap. 4. *idem concilium scribit, contritionem omni tempore necessariam fuisse ad veniam impetrandam, porro impetrare est esse etiam aliquo modo causam.* (si contritio & reliquæ dispositiones sunt causa efficiens justificationis, cur non & meritum de congruo? non admodum reluctatur Bellarminus, ideo addit:) *Theologi scholastici in eo solum dissentire videntur, quod nonnulli volunt actum pœnitentiae, ut etiam actum fidei & dilectionis esse dispositionem ad remissionem peccatorum, sed non meritum neque de condigno neque de congruo remissionis peccatorum, & hujus sententiae sunt Johannes Capreolus* in II. sent. dist. 40. quæst. unica; *& Dominicus a Soto* libr. II. de natura & gratia cap. 4. *Sed alii, iique plurimi,* (nimirum ut meliora nunquam placent pluribus) *qui non solum dispositionem, sed etiam meritum de congruo justificationis esse volunt ejusmodi actus, quae sententia est magistri sententiarum* libr. II. distinct. 27. *Thomae, Alberti, Bonaventurae, Scoti, Durandi, Gabrielis & aliorum* in II. dist. 28. *& ex recentioribus Andreae Vegae* libr. VIII. in concilium Trident. *decem ultimis capitibus.* Quam posteriorem sententiam Bellarminus ibidem *veriorem & scripturis ac patribus conformiorem* judicat, (ut dubitare non amplius possis, quid per dispositiones intelligat.) Idem libr. I. de justificatione cap. 21. *Justificatio gratuita non excludit opera, quae dicuntur ad justificationem concurrere ut dispositiones, vel ut merita de congruo.* Ibid. *Quaestio videtur esse fere de solo nomine meriti, cum alioquin conveniat inter omnes catholicos, dispositiones requiri, & non sola fide homines justificari. Nos autem intelligere certo non possumus, cur non sit utendum hoc tempore nomine meriti, praesertim cum additione illa de congruo, cum agitur de operibus, quae fiunt ex gratia praeveniente.* Hæc omnia Bellarminus, ex quibus constat, dispositiones illas statui meritum de congruo, & causam efficientem justificationis, itemque dispositiones illas partim auxilio gratiæ, partim liberi arbitrii viribus tribui. Ad hunc ergo scopum dirigenda & æstimanda sunt omnia, quæ de illis septem dispositionibus Bellarminus adfert, & facile adparebit, an illud, quod sibi probandum sumsit, obtineat. Nos dispositionibus illis ex congruo meritoriis opponimus dictum Ambrosii (vel potius Prosperi) libr. I. de vocat. gentium cap. 5. *Vilesceret redemtio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei operum humanorum praerogativa succumberet, si justificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, ut non munus esset largientis, sed merces operantis.* Itemque illud concilii Arausicensis can. XXV. *Hoc salubriter credimus & profitemur, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus meritis & fidem & amorem sui inspirat.* Augustinus epist. XLVI. *Ne quisquam dicat, meritis operum suorum vel meritis fidei suae sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse, quod illi haeretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est.* 2.) Si vel maxime concedatur, præparationes quasdam præcedere, ut fiat justificatio, exempli gratia, peccatorum agnitionem, serium de illis dolorem, timorem, peccatorum odium, fidem generalem de veritate promissionum divinarum; &c. nondum tamen ex eo inferri potest aut debet, hæc omnia cum fide justificare, vel eodem modo ad justificationis actum concurrere, quo fides in Christum ad eam sese habet: requiruntur enim ut ὁρμητήριον & προπαρασκευὴ ratione ordinis, quatenus donum justificationis non obtingit, nisi peccata prius agnoscantur ac deplorentur, ac in genere credatur promissis, interim fides justificans ex parte nostra est unicum illud medium, quo donum justificationis obtinetur, hæc enim sola adprehendit Christum, & promissiones evangelicas in specie sibi adplicat.

§. CLXXVI. II.) *Alterum* principale argumentum fidei justificanti oppositum hac ratiocinatione concludit Bellarminus libr. I. *Alterum argumentum fidei justificanti oppositum.*

Fides a spe & dilectione separata non justificat. Ergo non sola justificat.

de justific. cap. 14. *Si fides a spe & dilectione aliisque virtutibus separetur, sine dubio justificare non poterit, non igitur sola fides justificare potest.* Consecutio argumenti probatur hoc modo: *Si tota vis justificandi esset in sola fide, ita ut ceterae virtutes, quamvis praesentes adessent, ad justificationem nihil omnino conferrent, profecto fides ipsa, tam justificaret illis absentibus, quam praesentibus: igitur si absentibus illis justificare non potest, efficitur, ut vis justificandi non sit in ipsa sola, sed partim in ipsa, partim in aliis.* Resp. 1.) Fides etsi sola justificat, tamen nunquam est sola, hoc est, a dilectione & aliis virtutibus separata: *fides si non habeat opera, mortua est in semet ipsa*, dicit Jacobus cap. II. 17. est inanis jactantia & mortuum quoddam simulachrum vita ac motu destitutum; vera autem fides *per dilectionem est efficax.* Gal. V. 6. Ergo ut sol non est sine luce, ita fides non est sine operibus, lux fidei spargit bonorum operum radios; interim tamen fides sola justificat, hoc est, operibus, quæ profert, non communicat vim justificandi, cum diserte pronunciet apostolus, nos *justificari fide sine operibus.* Declarari hoc potest quibusdam similitudinibus. Lutherus in cap. XV. Gen. *Scio has virtutes esse insignia Dei dona, scio fidem sine his donis non existere. Sed nunc nobis quaestio est, quid cujusque proprium sit, tenes manu varia semina, non quaero ego, quae quibus conjuncta sint, sed quae cujusque propria virtus sit. Hic aperte dico, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit, sola autem fides adprehendit remissionem peccatorum, credit promittenti Deo, Deo porrigenti aliquid admovet manum & accipit, hoc solius fidei proprium est.* Hæc Lutherus. In homine vivo sunt simul anima, sensus & motus, qui negat sensum & motum esse causam vitæ, (quippe cujus sunt effecta,) num is statim negat in homine vivo esse sensum & motum? Anima communicat corpori vim sentiendi & movendi, qui negat vim movendi conferre aliquid ad vim sentiendi, num is animam vi movendi privat? sic cum fide justificante non negantur conjuncta esse opera, licet ad justificationem cum fide conjunctim agere negentur. 2.) Ex his facile adparet, quid ad argutiam Bellarmini respondendum sit: si fides præsentibus etiam aliis virtutibus sola justificat, utique etiam illis absentibus justificabit; ἀναχόλωθον hoc est, quia aliarum virtutum absentia ipsius veræ fidei absentiam arguit, cum vera fides semper conjuncta habeat bona opera, sicut generosa arbor fert bonos fructus: proinde non urgenda est illa hypothesis, si fides esset sola, etiam sola justificaret, quia vera & viva fides nunquam est sola. 3.) Pergit Bellarminus: *Si fides sola justificat, quia relative justificat, non potest esse in animo hominis, quin simul in eodem sit etiam justitia, at sine dilectione non potest esse justitia, igitur fieri nequit, ut fides a dilectione sejuncta justificet, ac per hoc non ipsa sola justificat.* Resp. concedimus totum argumentum, quod fides a dilectione sejuncta & separata non justificet, sed quod veluti corollarium ex illa conclusione adducit Bellarminus, videlicet fidem solam non justificare, id vero negamus: fides a dilectione sejuncta non justificat, quia non potest a dilectione, nisi νοηματικῶς sejungi, & si a dilectione sejungatur, non est vera fides; interim tamen sine dilectione justificat, hoc est, non communicat dilectioni vim justificandi coram Deo, non enim ea, quæ simul juncta, simul etiam agunt; fides vera *absolute* considerata non potest separari ab operibus, *relate* vero absque operibus justificat, sola enim est, quæ adprehendit Christum. Ergo si in propositione illa: fides sine dilectione non justificat, determinatio addita referatur ad *subjectum*, hoc sensu, quod fides, quæ est sine dilectione, non justificet, eam concedimus, non enim est vera fides sine caritate, quid ergo mirum, quod talis fides, hoc est, nuda fidei professio non justificet? Sin vero determinatio referatur ad *praedicatum*, hoc sensu, quod dilectioni & fidei simul competat justificatio, eandem negamus, quia dilectio est ἐνέργεια fidei, cui nusquam vis justificandi tribuitur, sed soli fidei. Proinde ἀπαιδεύτως ex necessaria dilectionis cum fide & justitia conjunctione

ctione colligitur, dilectionem & fidem simul ad actum justificationis concurrere. 4.) Regerit Bellarminus: *si fides a caeteris virtutibus separata posset justificare, posset etiam id praestare cum vitiis istis virtutibus contrariis; ut enim ad officium justificandi nihil prodest fidei praesentia illarum virtutum, quia ipsa sola justificat: sic nec ei oberit praesentia vitiorum, quia per accidens ei junguntur ut & virtutes.* Resp. determinatio *sola* pertinet ad *praedicatum*, fides quatenus justificat, sola ad illum actum concurrit; interim ipsa fides justificans non est sola, multo minus cum vitiis, hoc est, peccatis contra conscientiam consistit, quomodo ergo cum vitiis justificaret? Agere praesupponit esse, fides vera non consistit cum vitiis, ergo non justificat cum vitiis. Fides a virtutibus separata non justificat, quia non est sine virtutibus; interim tamen virtutibus officium justificandi non communicat, ac proinde sola justificat. Hanc responsionem Bellarminus impugnat quatuor fundamentis. a.) *Lutherus in* cap. II. ad Gal. *scribit, fidem sine & ante caritatem justificare, ac fidem, nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificare.* Resp. disputat ibidem Lutherus contra Scholasticos, qui fidem justificantem caritate formari & ab eadem vim justificandi mutuari statuunt, ac fidem, quatenus in ipso justificationis actu Christum adprehendit, considerat, non autem quatenus in sese spectatur; *priori* consideratione negat fidem habere adjuncta opera, scilicet quae in justificandi officio cum ipsa participent; *posteriori* consideratione veram & vivam fidem cum bonis operibus semper conjunctam esse, sexcentis in locis adserit Lutherus, ut Bellarmino non est ignotum. Quod ex Calvino adfertur, *semen fidei manere inter gravissimos lapsus.* Ad illud respondemus, in Augustana confessione artic. XII. sententiam nostram contra Anabaptistas disserte exponi, quod *semel justificati possint amittere Spiritum sanctum*, videlicet per peccata contra conscientiam; ergo non possunt simul stare fides justificans & peccatum repugnans. b.) *Argumentum productum non adsumit, fidem esse posse solam, sed si fides sola justificaret, id praestituram, etiamsi esset sola, qua conditionata propositione concessa, quicquid sit de absoluta, ratiocinationem manifeste concludere.* Resp. totum robur argumenti omnino consistit in illa hypothesi, quod fides possit esse sola, nam ex conditionali propositione nihil concluditur, nisi adfirmando vel negando partem alterutram formes secundam propositionem. At haec hypothesis est falsa. Ergo & illud, quod ex ea deducitur. c.) *Si verum esset, fidem nunquam esse solam, ideo verum esset, quoniam fides vera gignit, tanquam arbor bona fructus bonos, dilectionem aliasque virtutes.* (rectissime) *At hoc concesso, fides est prior dilectione aliisque virtutibus omnibus, si non tempore, certe natura.* (nec hoc male) *Fides autem non potest esse, nec intelligi prior, nec natura quidem ipsa justificatione, cum sint relativa: Deus justificans & fides justificationem accipiens. Relativa enim simul omnino esse debent, ut ne intelligi quidem possit unum sine altero. Igitur fides prius saltem natura justificabit, & cum justitia conjuncta esse intelligetur, quam dilectionem aliasque virtutes attulerit, proinde sequentur haec absurda, ut homo sit justus & non justus, justificatus & sceleratus, vivens & mortuus, quia justus ex fide vivit, & tamen qui non diligit, manet in morte.* Resp. fides dilectione naturae ordine prior est, cum fides sit dilectionis causa, interim tempore sunt simul, ergo non potest dari ullum momentum temporis, quo homo justificatus fide non habeat etiam dilectionem; adde, quod fides tanquam causa justificationis (instrumentalis), non solum cogitari possit, sed etiam natura prior sit justificatione, quamvis itidem ut relata sint simul. (distinguendum enim est inter duplicem causae considerationem, *absolutam & relativam, materialem & formalem.*) Duplicem igitur fides obtinet relationem, *primo* ad Christum, quem fiducialiter adprehendit ad justificationem, *deinde* ad dilectionem, quam exserit ad justificationis declarationem, utraque haec sunt immediate & individue conjuncta, licet ordine naturae prior sit fiducialis Christi adprehensio, ac proinde etiam justificatio. d.) *Falsum est, fidem*

fidem veram non posse esse a virtutibus ceteris disjunctam, & cum peccatis vitiisque conjunctam. Resp. de eo peculiari loco inferius disputabitur.

§. CLXXVII. III.) *Tertium* principale argumentum, quo probet, fidem non solam justificare, desumit Bellarminus a remotione causarum, quæ possunt reddi, cur sola fides justificet. *Omnes enim ejusmodi causae* (inquit) *ad tria capita revocari possunt, primum est auctoritas verbi Dei, alterum voluntas Dei justificantis, tertium natura fidei justificantis, sed illis omnibus nos destituit.* Resp. imo vero hæc tria manifeste nobis suffragantur, ac sententiam nostram de sola fide justificante evidenter comprobant, ut ostendimus superius. Quomodo ergo Bellarminus hæc fundamenta nostra impugnat? Destitui nos hac in parte auctoritate verbi divini, ita probat. 1.) *Nusquam hactenus ostendi potuit in sacris literis particula* sola, *cum de justificatione agitur. Nos autem* (Romanenses) *expressum verbum proferimus, ubi habetur negatio ejus vocis aut synonymae.* Jac. II. 24. *Videtis, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum.* Resp. Fundamenta hujus *exclusivae* produximus superius, quæ adversus omnes adversarii insultus perstant invicta. Locum Jacobi paulo post explicabimus. 2.) *Lutherus in bibliis germanicis addidit particulam exclusivam, sed fallacia cito fuit deprehensa.* Resp. De versione Lutheri itidem suus erit differendi locus paulo inferius. 3.) *Non est idem sola fide justificari, & per fidem sine operibus legis justificari. Si enim illud* (sine operibus legis) *excludit omnia opera & omnem legem, excludet etiam ipsam fidem, nam actus fidei est quoddam opus & quidem insigne, & sic vocatur,* Joh. VI. 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Resp. Inhæremus firmiter oppositioni apostoliæ inter *fidem & opera*; Rom. III. 28. inter *credere* & operari; Rom. IV. 5. inter *gratiam & opera,* Rom. XI. 6. Joh. VI. 29. Fides non vocatur opus nostrum, sed *opus Dei*, hoc est, cultus ille, quem Deus a nobis requirit. Accommodat autem Christus hæc verba ad quæstionem auditorum. *Quid faciemus, ut operemur Dei opera?* respondet Christus: *Opus Dei est, ut credatis in eum, quem misit ille;* hoc est, illud unum Deus a vobis requirit, ac ratum & gratum habet, ut credatis in eum, quem misit in mundum. Fides directe opponitur operibus in justificationis actu, ergo in hac oppositione & hoc respectu fides non potest dici opus, alias periret oppositio apostolica, oppositorum enim hæc est natura, ut non possint de uno prædicati *adfirmative*, sed posito uno alterum tollitur, adfirmato uno alterum negatur. Nec valet exceptio, *sola illa opera excludi, quae fiunt ex naturalibus liberi arbitrii viribus sine gratia*, contrarium enim ostendimus superius, scilicet omnia omnino opera etiam renatorum ab actu justificationis excludi; id quod vel ex solo Abrahæ exemplo Rom. IV. 1. adducto manifestissimum. Relinquitur igitur, quod hæc sint ἰσοδυναμοῦντα, *sola fide nos justificari, & per fidem sine operibus legis nos justificari.* Sane fides quandoque consideratur ut qualitas & donum Dei cordibus nostris inhærens, sed hactenus & hoc respectu non justificat, sed ut est in prædicamento relationis, quatenus scilicet Christum in evangelio adprehendit. Si regeras, *adprehensionem esse actionem, fidem igitur esse opus;* resp. vocem grammaticam esse *activam*, sed significationem revera esse *passivam;* quid enim aliud est adprehendere, quam oblata bona recipere? inde notanter dicit apostolus: Phil. III. 12. *Sequor, si comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu.* & Gal. IV. 9. *Nunc cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo,* μᾶλλον γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ. Veteres dicunt: *Fides est adprehensiva, caritas egressiva:* fides enim non exhibet aliquid Deo, sicut caritas, sed accipit oblata in evangelio bona, patitur sibi benefieri, (ut loquitur Lutherus) & est velut spiritualis manus, quæ oblatum thesaurum recipit. Urgemus igitur oppositionem apostolicam Rom. IV. 5. *Credenti non operanti*, justificamur *non ex lege, sed ex evangelio.* An non ipsi adversarii sic concludunt:

3.) *Nulla potest dari vera & solida causa, cur fides sola justificet.*

Particula sola, *non habetur in sacris literis.*

cludunt: aut fide & operibus justificamur, aut sola fide, aut solis operibus? Concilium Trident. sess. VI. cap. 10. statuit, *nos justificari cooperante fide bonis operibus*, agnoscunt igitur fidem in Christum esse ab operibus distinctam. 4.) Augustinus de prædest. sanct. c. 7. *fidem* vocat *opus Dei gratia factum*, & Rom. III. 27. ponitur quædam *lex fidei*. Resp. Vocabula *operis & legis* in hisce dictis generaliter sumuntur. Evangelium & lex sunt opposita, ergo in sensu proprio & genuino evangelium non est lex, sed in generali quadam significatione evangelium dicitur lex fidei, hoc est, doctrina fidei, ergo ut in verbis Christi Joh. VI. 29. respicitur ad quæstionem populi antegressam, ita in verbis apostoli est elegans *antanaclasis* ad præcedentia respiciens. *Ubi est ergo gloriatio? exclusa est: per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* 5.) *Particula* gratis *excludit ea tantum merita, quae sunt ex nobis, non, autem dona Dei, qualis est dilectio, pœnitentia & similia, alioquin excluderet etiam fidem.* Resp. Ostendimus superius omnibus omnino meritis particulam *gratis* opponi, & cum hoc loco fateatur Bellarminus, hac particula excludi merita, quæ sunt ex nobis, an non evertit *meritum de congruo*, prout a Scholasticis definitur, quod ex puris naturalibus procedat? Proinde etsi dilectio & pœnitentia sint dona Dei, tamen a justificatione excluduntur, quia non habent vim illam adprehendendi Christum; fides autem non excluditur, quin potius vi relationis ponitur; quod enim Deus in verbo evangelii ex gratia offert, id fide a nobis acceptandum. Adde, quod dilectio sit opus, ac proinde cum omnia opera a justificatione excludantur, utique etiam dilectio exclusa intelligitur. Dilectio sane est donum Dei, quod Spiritus sanctus in nobis operatur, interim tamen nos ipsi sumus, qui dilectionem illam ope Spiritus sancti adjuti Deo & proximo præstamus; sumus enim θεῷ σύνεργοι, dilectio igitur est opus nostrum, quod ipsi per Spiritus sancti gratiam præstamus.

2.) *Non est Dei voluntas donare justificationem cum sola conditione fidei.*

§. CLXXVIII. *Alterum* membrum hujus argumenti, quod videlicet non sit Dei voluntas donare justificationem cum sola conditione fidei, ita probat Bellarminus: *Scripturae multo apertius exigunt ad justificationem conditionem pœnitentiae & sacramentorum, quam ipsius fidei.* Ezech. XVIII. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet.* Luc. XIII. 3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum Dei. Ergo non potest dici fidem solam justificare, propterea quod solius fidei conditio requiritur.* Resp. Pœnitentia si pro tota conversione sumitur, includit fidem in Christum, ideo ad justificationem & salutem eam requiri, mirum non est: Sin pro sola contritione ponitur, dicimus eam requiri non ad justificationis actum, sed ad personam justificandam, inde enim definitur justificatio, quod sit peccatoris, ex lege peccata sua serio agnoscentis ac deplorantis, absolutio. Sacramenta non excluduntur particula *sola*, sed potius vi relationis adpellatione fidei comprehenduntur. Ut enim fides ex parte nostra est medium adprehendens & recipiens; ita sacramenta ex parte Dei sunt media exhibentia & offerentia. Ergo ut fides habeat, quod recipiat, necesse est, per verbum evangelii & sacramenta illud offerri. Dicimus ergo aliter requiri fidem, aliter vero contritionem & sacramenta. Fides requiritur tanquam unicum medium adprehendendi justitiam ex parte nostri; dolor de admissis peccatis requiritur ut ὁρμητήριον ad quærendam fidei justitiam; sacramenta requiruntur ut media ex parte Dei, quibus donum justitiæ offertur.

3.) *Fidei non est hæc natura, quod sola adprehendat promissionem justificationis.*

§. CLXXIX. *Tertium* argumenti membrum proponit hoc modo: *Non est haec natura fidei, quod ipsa sola adprehendat promissionem justificationis.* 1.) *Fides non dicitur proprie adprehendere. Adprehensio enim cum refertur ad intellectum, est cognitio rei, prout in specie repraesentatur & distinguitur a judicio, quod rem adprehensam discernit & judicat. Illa autem*

autem cognitio adprehensiua praeexigitur quidem ad fidem, sed non est ipsa proprie fides, nam etiam infideles adprehendere possunt mysteria fidei, cum tamen ea non credant, fides igitur consistit potius in judicio, quam in adprehensione. Resp. Scriptura diserte definit fidem per adprehensionem sive receptionem. Joh. I. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt.* (ϰ ϰατέλαβεν) v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* (ϰ παρέλαβον) v. 12. *Quotquot autem receperunt eum,* (ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus* (*). Duplex ergo cum sit adprehensio, *aliæ* cognitionis in intellectu, *alia* fiduciæ in voluntate, utramque dicimus fidem includere. Quod enim fides sit *adprehensiva* cognitio, ostendimus superius manifestis scripturæ testimoniis, quæ probant, fidem esse notitiam sive cognitionem eorum, quæ in verbo Dei revelata sunt. Ergo non solum adsensus & judicium, sed etiam adprehensiva cognitio pertinet ad fidem, quin imo fidei magis proprie convenit adprehensiva cognitio, quam judicium, neque enim nostrum est, ea, quæ in verbo revelata sunt, disceptare & judicare, sed simplici fidei obedientia eadem recipere & in eis pronte adquiescere. Quid, quod ipse Bellarminus agnoscit adprehensionem esse fidei propriam? Sic enim scribit libr. II. de grat. & lib. arbitrio cap. 3. & libr. I. de justif. cap. 15. *Credere est Christum recipere.* Costerus adhuc clarius in enchiridio pag. 313. *Credere est fide adprehendere* (**). 2.) *Confidere non est adprehendere, sed firmiter adhaerere rei adprehensae: nam qui se doctum esse aut fore confidit, non adprehendit doctrinam ea fiducia, neque incipit esse doctus, quia confidit se esse doctum, sed opinioni de sua doctrina conceptae firmiter adhaeret.* Resp. Fides non solum ratione *notitiae, sed etiam ratione fiduciae* est adprehensio, quod sic probamus: Joh. I. 12. *Quotquot recipiunt Christum, redduntur filii Dei.* Atqui hoc non potest dici de nuda adprehensione notitiæ, multi enim hypocritæ Christum cognoscunt, qui tamen non sunt Dei filii; intelligendum igitur de *fiduciali* illa adprehensione, qua firmiter statuimus, Christum etiam nostrum esse mediatorem, ac nobis in specie, per & propter ipsum contingere peccatorum remissionem. Sic Eph. III 17. *Per fidem Christus habitat* (ϰατοιϰεῖ) *in cordibus nostris*, utique ergo per fidem prius adprehenditur, quod itidem de nudæ notitiæ adprehensione dici nequit. Gal. II. 20. *Vivit in me Christus*, quod ibidem exponitur, *in fide vivo Filii Dei.* Jam vero per nudam notitiam Christus non fit noster, nec in nobis vivit, sed per fiducialem illam adprehensionem, qua Christum in verbo evangelii nobis propositum adprehendimus, ut in nobis habitet & vivat. Audivimus Bellarminum superius cap. 13 differentem, quod *per fidem Christus in nobis formetur.* Jam vero certum est, per solam notitiæ adprehensionem Christum non formari in nobis, ut gratia ac Spiritu suo in cordibus nostris habitet. Quæ vero hæc temeritas est, fidem justificantem conferre cum inani & stolida illa fiducia, qua quis se doctum esse aut fore confidit, licet sit & maneat indoctissimus? Fides justificans *objecti* loco habet immotum ac infallibile Dei verbum, videlicet promissionem evangelii, in quo Deus gratis offert remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam omnibus pœnitentiam agentibus & in Christum credentibus, hoc est, fide promissa bona amplectentibus: relatio igitur est inter Dei promissionem ac nostram fidem; fides innititur promissioni & credendo particeps fit promissorum bonorum, sicut supra ex Augustino serm. VIII. de verb. Domini audivimus. *Credisne o peccator Christo? dicis, credo. Quid credis? gratis uni-*

(*) Col. II. 6. *Sicut παρελάβετε, accepistis Iesum Christum* Vera fides sic nos inserit Christo, ut fiamus ipsi σύσσωμοι concorporales, συμμέτοχοι participes, συγκληρονόμοι cohaeredes, ut Paulus Eph. III 6. emphatice loquitur. GERHARDUS.

(**) Pererius disp. XVIII. in cap. III. Rom. scribit: *Paulum, cum ait*, per fidem justificari hominem, *non aliud significare, quam per fidem pervenire ad justitiam & ipsam adprehendere.* GERHARDUS.

universa tibi peccata per ipsum remitti posse? habes, quod credidisti. Tali fundamento destituitur fiducia illius scioli, qui se confidit esse aut fore doctum. Nulla ergo veritatis specie negari potest, fidei proprium esse adprehendere. Si enim scripturam audire velimus, vera & salvifica fides verbum promissionis adprehendens adprehendit gratiam reconciliationis & justificationis, Rom. III. 22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes eos, qui credunt in eum.* Adprehendit justitiam Rom. IX. 30. *Gentes κατέλαβε adprehenderunt justitiam, justitiam autem, quae est ex fide.* Adprehendit adoptionem filiorum Dei. Joh. I. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* Adprehendit Spiritum υἱοθεσίας. Joh. VII. 38. *Qui credit in me, de ventre ejus fluent aquae vivae* v. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Gal. III. 2. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Adprehendit veram & salutarem scientiam Christi. Joh. VI. 68. *Verba vitae aeternae habes,* v. 69. *& nos credidimus & cognovimus, quod tu es Christus Filius Dei vivi.* Adprehendit vitam aeternam. Joh. III. 36. *Qui credit in Filium, ἔχει, habet vitam aeternam.* Adprehendit dona Dei reliqua, quae ab ipso petimus. Marc. XI. 24. *Quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* 3.) *Sed esto,* ait Bellarminus: *adprehendatur aliquo modo justificatio per fidem, certe non ita adprehenditur, ut re ipsa jam habeatur & inhaereat, sed solum ut sit in mente per modum objecti actione intellectus aut voluntatis adprehensi, at hoc modo adprehendunt etiam amor & gaudium, teste* Augustino libr. VIII. confess. cap. 2. *Si ergo fides justificat, quia justitiam adprehendit, dum credo aut confido me esse justum per Christum, ipsa etiam caritas justificat, dum diligo & gaudeo, me esse justum per Christum.* Resp. in propriis locutionibus non dicimus justificationem adprehendi per fidem; sed dicimus, Christum & in Christo Dei misericordiam, remissionem peccatorum, justitiam & vitam aeternam adprehendi per fidem, & hoc modo fieri justificationem. Concedimus, justificationem non esse quiddam per modum habitus nobis inhaerens, sed esse relationem, hoc est, peccatorum remissionem & justitiae Christi imputationem; interim tamen per justificationem vere habetur, hoc est, obtinetur justitia, non enim solum, quod inhaeret, sed etiam, quod imputatur, vere haberi dicitur. Adde, quod per fidem Christus *recipiatur & induatur*, ut postea *in vobis habitet & vivat*, docente apostolo Gal. II. 20. cap. III. 27. Eph. III. 17. Dilectio non habet talem vim adprehendendi Christum, cum destituatur relatione illa, quam fides habet ad verbum, sed foras potius progreditur & se communicat dilecto. Gaudium est fructus Spiritus & effectus justificantis fidei, *justificati enim fide pacem habemus apud Deum.* Rom. V. 1. Qualis sit adprehensio fidei, ex ipso justificationis actu discendum. Ostendimus autem superius, judiciarium illum esse, quo homo peccator coram Dei judicio propter Christi meritum in evangelio annunciatum absolvitur, docente apostolo Rom. III. & IV. Ex hac fide oritur caritas, qua diligimus Deum, quod *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit.* Rom. VIII. 32. diligimus etiam Christum, *qui dilexit nos & tradidit se ipsum pro nobis.* Gal. II. 20. Hunc dilectionis actum si quis itidem adprehensionem quandam vocare velit, a fidei adprehensione & justificatione eam distinguat, eiusdem effectum & consequens esse agnoscendo. 4.) *Sed quid obsecro respondere poterunt* (ait Bellarminus) *ad adplicationem justificationis, quam ipsi per sacramenta fieri docent? Quodsi sacramenta promissiones adplicant & nostras faciunt, non ergo per modum instrumenti fides sola justificat.* Resp. Corrigimus primo linguam Bellarmini ac monemus, ut sententiam nostram candide referat, non enim dicimus justificationem, sed justitiam Christi per fidem nobis adplicari, nos autem ex fide in Christum justificari pronunciamus: deinde dicimus, sacramenta non tollere exclusivam illam *sola*, quippe quae opponitur nec gratiae Dei, nec merito Christi, nec sacramentis, sed solis operibus nostris. Sacramenta enim sunt veluti salutares Dei manus, gratiam, remissionem peccatorum & justitiam nobis offerentes. 5.) *Non multum refert, quod sacramenta promissionem adplicant*

dando, fides adplicat accipiendo. Nam utrumque est instrumentum Dei, non enim per sacramenta justificat Deus, per fidem justificat homo, sed idem Deus per verbum & sacramenta justificat, & sicut sacramenta dantur a Deo, ita & fides datur a Deo. Resp. Bene est, & fides nobis datur a Deo, quia per ministerium verbi operatione Spiritus sancti in cordibus nostris accenditur: & sacramenta nobis dantur a Deo, interim cuilibet patet hæc duo invicem differre, quod per sacramenta gratia & justitia nobis offeratur, & quod per fidem ea a nobis accipiantur. Quando ergo dicimus *solam fidem* justificare, tunc exclusivam non opponimus vel verbo, vel sacramentis, quæ sunt media ex parte Dei, sed omnibus illis, quæ præter fidem ex parte nostra, vel per modum meriti, vel tanquam causa instrumentalis ad justificationem concurrere finguntur. Nec sequitur, si fide justificamur, ergo nos ipsos justificamus, quia Deus est causa *principalis* justificationis, fides instrumenti solum rationem obtinet. Nemo dixerit manum pauperis ipsum ditasse, sed elargitor dives pauperem ditat, etiamsi manus pauperis donaria accipiat. Manifesta hæc sunt, quæ fumis sophisticationum nunquam poterunt obscurari. Ex Bellarmini vero sententia rectius inferri potest, quod homo se ipsum justificet, statuit enim, fidem & reliquas virtutes concurrere, ut meritum de congruo. 6.) Pergit Bellarminus, & Lutherum nobis objicit, qui in libro de captiv. Babylon. capit. de baptismo & in assertione artic. I. II. VI. & aliorum scribit, *sacramenta non justificare, sed solam fidem.* Resp. Disputat ibidem contra sophistas, qui statuunt sacramenta prodesse ex opere operato, etiamsi non adsit fides sive bonus motus utentis, quibus Lutherus opponit hoc fundamentum, sacramenta non prodesse absque fide. Inspiciatur textus & adparebit, qua fide cum Luthero agat Bellarminus. Quæ hoc loco repetuntur, quod fides non sit instrumentum adprehendens, nisi ut est opus, quod opera non excludantur simpliciter ut opera, sed solum ut *meritoria*, quod actus fidei non sit adprehensio, &c. ea ex superioribus manifesta sunt.

§ CLXXX. IV.) *Quartum* principale argumentum petit Bellarminus ex modo justificandi ipsius fidei. *Fides* (inquit c. p. 17.) *non justificat relative & adprehendendo, sed meritorie, impetrando & inchoando justificationem, quod cum ipsi fit cum aliis virtutibus commune, consequens fuerit, eam non solam justificare.* Antecedens triplici argumentorum genere Bellarminus probat. A.) *Scriptura docet, fidem esse causam justificationis. Justificari enim dicimus ex fide & per fidem.* Rom. III. & V. Eph. II. 8. *Ubi præpositiones* per *&* ex *denotare veram causam, probatur ex contrario. Nam cum apostolus scribit, hominem non justificari ex operibus aut per opera, per legem aut ex lege, sine dubio excludit efficientiam & vim legis & operum in justificando, non autem solam adprehensionem relativam, nemo enim dubitare poterat, quin lex & opera non justificarent relative adprehendendo justitiam. Præterea ii, quos apostolus reprehendit, cum adfirmat & probat, hominem non justificari ex lege aut operibus, non somniabant lege aut operibus quasi manu adprehendi justitiam, sed existimabant, merito operum suorum sibi debitum fuisse justificationis donum. Ergo cum apostolus idem tribuit fidei, quod negat operibus & legi, sine dubio tribuit fidei meritum aliquod & efficientiam respectu justificationis, quod tamen meritum non ex nobis, sed ex Deo est, cujus donum est fides. Idem probatur ex aliis locis, in quibus* per *&* ex *significant causam, dicimur enim per Christum, per sanguinem Christi justificari: sancti dicuntur per fidem vicisse regna. (certe non per fidem adprehenderunt regna, sed re ipsa obtinuerant) Abel dicitur fide majorem hostiam obtulisse, Noe aptasse salutis arcam, Abraham obedivisse, ut exiret in alium locum, ubi apertissime fides statuitur causa. Ideo enim Abel fide seu per fidem majorem obtulit hostiam, quam Cain, quoniam certo credens, Deum esse primum auctorem rerum omnium & summo cultu adorandum, ex ea fide motus est, ut offerret, quod optimum habebat, ergo*

4.) *Fides non justificat relative sed meritorie.*

1.) *Quia dicitur causa justificationis.*

ergo fides fuit causa illius oblationis. Noë fide aptavit arcam, quia credens verbis Dei comminantis diluvium, timore concepto metuens aptavit arcam. Ergo fides fuit causa timoris & consequenter ipsius arcae. Abraham fide obedivit exire in locum, quem nesciebat, quoniam credens Deum omnipotentem & fidelissimum, ex ea fide motus est, ut promte obediret, ergo fides fuit causa obedientiae, ac proinde fide, sive per fidem justificari nihil aliud erit, nisi fidem esse causam justificationis. Resp. 1.) Etiam nos dicimus, fidem esse causam justificationis, puta *instrumentalem.* 2.) Si de causa *meritoria* Bellarminus agit, (ut certe agit) dicimus, causam meritoriam justificationis esse solum Christum mediatorem, cujus merito & gloriæ detrahitur, si vel fidei vel operibus meritum quoddam tribuitur, ut suo loco plenius ostendemus. Recte ergo scribit Costerus in enchiridio pag. 296. *Peccatum non nisi per infinitum meritum potest deleri, nempe solius Christi.* 3.) Tota vis fidei justificantis posita est in adprehensione Christi, ut manifeste ostendit relatio inter promissionem & fidem; ergo fides, non ut meritum, sed ut instrumentum adprehendens ad justificationem concurrit. 4.) Justificatio definitur ab apostolo per remissionem peccatorum. Rom. IV. 7. ex Psalm. XXXII. 1. Ubi peccata, ibi non potest locum habere meritum, quomodo ergo fides promissionem de remissione peccatorum adprehendens meritorie justificare dici potest? 5.) Si per fidem tanquam meritum aliquod justificaremur, non amplius ex gratia & gratis justificaremur; ubi enim est meritum, ibi exsulat gratia; deest gratiæ, quicquid meritis deputas. 6.) Ipse Bellarminus justificationem definit per gratiæ infusionem, causam vero meritoriam justificationis statuit Christum, quomodo igitur fides meritorie justificabit? & quomodo fides erit & *dispositio ad justificationem*, & *causa meritoria & formalis?* 7.) Aliud est διὰ τὴν πίστιν, aliud διὰ τῆς πίστεως justificari, illud causam *meritoriam* notat, hoc vero *instrumentalem.* Non justificamur propter fidem tanquam meritum aliquod, sed per fidem, quæ meritum Christi adprehendit. 8.) His ergo præmissis ad argumentum Bellarmini respondemus, esse in eo fallaciam consequentis. Quæstio erat inter apostolum Paulum ac pseudo-apostolos, quomodo seu qua ratione homo justificetur apud Deum? Pseudo-apostoli docebant, per fidem & opera hominem justificari. (non enim excludebant fidem, cum dicantur πεπιστευκότες, Act. XV. 5.) Sed Paulus docet, *fide sine operibus hominem justificari:* in illo ergo tertio quærenda est convenientia *generica*, quod scilicet utraque propositio agat de modo justificationis coram Deo, non autem necesse est, quia meritum & efficientiam justitiæ apostolus derogat operibus, statim inde consequi, quod fidei illud meritum tribuatur. *Justificari ex operibus* phrasi apostolica & apostolice intellecta non est justitiæ habitum ex operibus justis adquirere, vel justum fieri ex operibus, sed justum judicari & pronunciari propter obedientiam legi præstitam. Negat ergo apostolus, ullum hominem justificari ex operibus, cum in nullius natura & actionibus ea reperiatur sanctitas & justitia, quæ normæ legis divinæ perfecte correspondeat, ideoque justificationi ex operibus opponit justificationem ex fide, quæ perfectam legis impletionem & satisfactionem pro peccatis in Christo quærit & adprehendit. 9.) Bellarmino ipsa etiam fides est opus, ut vidimus superius. Ergo si apostolus derogat operibus meritum & efficientiam iustitiæ, utique etiam fidei illud meritum derogabitur. 10.) Invertimus igitur argumentum. Si operibus legis efficientia & meritum iustitiæ derogatur, multo magis fidei. Consequentia patet, quia de obedientia legis dicitur: *Hoc fac & vives.* Item: *haec faciens homo vivit in eis.* 11.) Proinde dispar est ratio fidei & operum in hoc negotio. Opera habent rationem iustitiæ propriæ sive inhærentis, & sic videri poterant meritum aliquod seu efficientiam justificationis obtinere; (ideo apostolus illud derogat eis) sed fides habet rationem justitiæ imputatæ, alienam enim, nimirum Christi justitiam adprehendit, ideoque nulla ratione meritum aliquod iustitiæ propriæ fidei tribui potest. 12.) Fides non *per se* & simpliciter opponitur operibus, cum opera sint fidei effectus, sed respectu *effectus*

ctus, videlicet justificationis, & respectu *objecti*, quod est justitia merito Christi partа: ea nimirum est, quæ directe & proprie operibus in actu justificationis opponitur, & quæ *meritorie* ac *formaliter* (nimirum per fidem nobis imputata) nos justificat: operibus autem non competit meritorie justificare, vel per se vel propter aliud objectum, quod adprehendant, cum vi illa adprehendendi destituantur. 13.) Quæ ex cap. XI. Hebr. Bellarminus profert, ea maxima ex parte agunt de variis fidei exercitiis post justificationem, non autem de fide in actu justificationis occupata. Duplex enim est fidei ἐνέργεια: *prior*, qua adprehendit Christum, & hoc modo obtinet rationem instrumenti; *posterior*, qua sese per opera exserit, & hoc modo obtinet rationem efficientis. Sophisticum igitur est hoc argumentum: *Sancti fide vicerunt regna non adprehendendo ea. Ergo fides non justificat adprehendendo*; imo vero confunduntur ea, quæ sunt distinguenda, videlicet proprium fidei justificantis officium in actu justificationis & varia eiusdem exercitia post justificationem. 14.) Ut nihil dicam de imperfecta definitione fidei in Abele, Noacho & Abrahamo. Inde enim & ideo fide maiore Deo hostiam obtulit Abel, quam Cain, quia Abel fide respexit in promissum semen mulieris, in eo remissionem peccatorum quæsivit & ex fide sacrificium obtulit, quod & de Noacho ac Abrahamo, quibus utrisque repetita est promissio de semine venturo, intelligendum esse, res ipsa manifeste ostendit.

2.) *Quia fides est initium justitiæ.*

§. CLXXXI. B.) *Alterum* antecedentis fulcrum petit Bellarminus ex illis locis, quæ testantur, *fidem esse initium justitiæ, ac per hoc causam formalem justificationis.* Rom. IV. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Ubi ipsa fides censetur justitia, ac per hoc non adprehendit fides justitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia. Et si quidem sit fides viva & perfecta, per caritatem erit perfecta justitia, sin minus, erit saltem inchoata & imperfecta justitia.* 1 Cor. III. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, &c. *Ubi per fundamentum intelligitur fides, constat enim, fundamentum in quovis aedificio partem & inchoationem aedificii esse, quod per additionem parietum & tecti perducitur ad fastigium.* Act. XV. 9. *Fides dicitur purificare corda, quia liberat hominem a sordibus errorum, quod non tam efficienter quam formaliter facit; puritas autem cordis quid est, nisi justitia inchoata? Idem docent patres fidem & dilectionem invicem conjungendo ac fidem inchoationem spiritualis aedificii vocando.* Resp. An fides sit initium justificationis, & per caritatem postea formetur, de eo diximus suo loco. 1.) Quomodo fides imputetur ad justitiam, ex distinctione superius adlata intelligi potest. Fides aut sumitur *absolute* pro corde fideli, aut *relate* pro ipsa fiduciali adprehensione Christi; *priori* modo non imputatur fides, hoc est, qualitas nobis inhærens ad justitiam; sed modo *posteriori*, & hac ratione idem sunt Christus per fidem adprehensus ac fides Christum adprehendens. Ergo fides ad justitiam nobis imputari dicitur, quia est instrumentum, quo justitiam illam Christi, quæ nobis imputatur, adprehendimus. Quemadmodum annulus, cui inclusa est gemma pretiosissima, dicitur valere aliquot coronatis, ubi annulus non est gemma, & tamen propter gemmam annulus tanti æstimatur: ita fides, quæ adprehendit Christi justitiam, dicitur nobis imputari ad justitiam, quippe cujus est organum adprehendens. Quæ responsiones non sunt sibi invicem contrariæ, sed subordinatæ, ut patebit inferius, ubi de causa *formali* justificationis agetur. Hoc loco probe notari velim, apostolum non simpliciter dicere, quod fides sit nostra justitia, sed quod fides imputetur ad justitiam, ut ipso verborum sono indicet, fidem censeri ac dici justitiam, non *per se* ac in se, ut est qualitas, sed in *objecto* suo, videlicet merito redemtionis Christi, quod ad justitiam imputatum fides adprehendit & suum facit. 2.) Apostolus 1 Cor. III. 11. proprie non agit de modo justificationis, sed de spirituali ecclesiæ structura, cujus fundamentum est Christus, sive quod idem est, sincera ac solida de Chri-

Christi persona & officio doctrina. Huic fundamento quidam architecti spirituales superstruunt *aurum & argentum*, hoc est, sinceram & veram doctrinam in reliquis fidei articulis: quidam vero superstruunt *fœnum & stipulas*, hoc est, somnia humanæ rationis, quæ in igne tentationum non subsistunt. Ipse Bellarminus libr. I. de purgat. cap. 5. longe aliter hunc textum exponit, quam hoc loco. Age vero, statuamus per fundamentum hoc loco intelligi fidem, quid ex eo contra nos vult Bellarminus deducere? *Ergo*, (inquit) *fides est solummodo initium justificationis, quæ completur ac perficitur per opera.* Atqui illa collectio non procedit. Sit sane fides initium virtutum christianarum, origo spiritualis ædificii, dilectionis ac spei genitrix, &c. ut ex patribus Bellarminus probat, num proinde saltim erit initium justificationis? minime vero, sed distinguendi sunt duplices fidei respectus; *priori* enim modo respicit Christum, quem fiducialiter adprehendit, & hoc modo justificat: *posteriori* vero per dilectionem & alios fructus Spiritus sese exserit, hoc modo non justificat, sed justificationem factam esse demonstrat; boni fructus non faciunt arborem bonam, sed arboris bonitatem demonstrant. Propria sedes doctrinæ de justificatione exstat, Rom. III. & IV. Gal. II. & III. Eph. III. Philip. III. ex qua debebant argumenta peti, non ex locis peregrinis. 3.) Fide purificantur corda, non ex *merito* quodam, sed ut *instrumento*, quo Christus adprehenditur, cujus *sanguis nos mundat ab omni peccato.* 1 Joh. I. 7. Adde, quod cum fide perpetuo nexu conjuncta sit donatio Spiritus sancti, qui enim per fidem ex Deo nati sunt, illis datur Spiritus adoptionis, qui incipit naturam eorum renovare, carnem peccatricem domare & veterem Adamum mortificare, utroque igitur modo fides purificat corda, primo *imputative*, deinde etiam *inchoative.* Neque enim per purificationem hoc loco intelligitur tantummodo liberatio a sordibus errorum & pravarum opinionum, sed cumprimis emundatio a sordibus peccatorum, ut adparet ex toto contextu.

§. CLXXXII. C) *Tertium* antecedentis fulcrum petit Bellarminus ex illis locis, quæ docent, *quod fides impetret, & suo quodam modo etiam mereatur remissionem peccatorum.* Luc. VII. 50. *Fides tua te salvum fecit; non autem recte diceretur fides salvum facere, videlicet a peccatis, hoc est, justificare, si revera nihil faceret in ordine ad justificationem, sed tantum acciperet indulgentiam. Quis enim diceret egenti, qui solum ad eleemosynam porrigeret manum: manus tua tibi fecit eleemosynam? aut quis ægroto manu pharmacum capienti diceret: manus tua te curavit a morbo? Confirmat hanc efficaciam fidei, quod* Matth. XV. 28. *legimus Cananeæ dictum: O mulier magna est fides tua. Et* Marc. VII. 29. *propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia; hic enim aperte tribuitur fidei efficacia impetrandæ sanitatis.* Rom. IV. 20. *Causam reddit apostolus, cur fides Abrahæ reputata sit justitiæ, quoniam credendo dedit gloriam Deo. Itaque placuit Deo fides illa, per quam glorificatus est, & ideo merito illius fidei Abrahamum justificavit.* Rom. X. 14. *Paulus sicut facit causam fidei prædicationem verbi, ita facit causam invocationis ipsam fidem & causam salutis, id est, justificationis invocationem. Ex quo intelligimus, fidem per invocationem impetrare justificationem. Denique* Hebr. XI. 6. *fide dicuntur homines Deo placere, ac per hoc fidem esse magni pretii ac meriti apud Deum. Augustinus etiam passim dicit fidem impetrare & mereri justificationem.* Resp. 1.) Adlata scripturæ testimonia sunt dissimilia, quædam loquuntur de peccatorum remissione per fidem impetrata non tanquam per meritum, sed medium: quædam loquuntur de beneficiis corporalibus: quædam de exercitiis fidei, quæ sunt a quæstione aliena. 2.) Manus mendici non potest quidem dici eum ditare, interim rectissime dicitur, quod mendicus per acceptionem thesauri a divite oblati, quem manu sua adprehendit ac tenet, sit ditatus: ita quoque fides Christum adprehendens nos justificat non *meritorie*, sed *instrumentaliter.* Quando enim fidem manui conferimus, intelligimus

3.) *Quia fides impetrat & meretur remissionem peccatorum.*

hoc

hoc non de manu absolute, sed ut ipso actu adprehendit. Augustinus libr. X. de Gen. ad literam cap. 12. *Ita etiam loquimur, cum dicimus, manus tua subvenit homini, cum aliquid porrecta manu datur, quo cuiquam subveniatur.* 3.) Fides non debet conferri manui adprehendenti poculum, in quo continetur salutaris portio, sed est spirituale illud os, quo ex fonte salutis bibimus, est spiritualis pastus animæ, est ipsa spiritualis bibitio, cœlestis potus, ut patet ex cap. VI. Johannis. 4.) Est etiam in argumento Bellarmini fallacia consequentis. Fides dicitur salvum facere, ergo *meritorie* justificat? Quinimo quidquid dicitur salvum facere, illud aut *efficienter* aut *meritorie* aut *instrumentaliter* nos salvat. Deus salvat *efficienter*, Christus *meritorie*, verbum & sacramenta *instrumentaliter* ex parte Dei, fides itidem *instrumentaliter* ex parte nostri. Quid enim? num & hoc modo argumentabimur: *Evangelium est potentia Dei ad salutem.* Rom. I. 16. Ergo meritorie nos salvat? Timotheus per prædicationem verbi *& se & auditores suos salvos facit.* 1 Tim. IV. 16. Ergo meritorie? 5.) Tota fidei efficacia pendet ab *objecto*, quod adprehendit, ut patet exemplo Chananææ, cui dicitur: *propter hunc sermonem vade, exiit daemonium;* quasi dicat Christus: quia non solum verbis, sed re ipsa testaris, per fidem te vicisse omnes tentationes, ideo etiam me ipsum quasi tibi victum præbeo, propter hunc sermonem victoriæ per fidem obtentæ indicem ac testem vade, impetrabis quod petiisti. 6.) Distinguimus autem inter impetrationem & meritum proprie dictum. Fide impetrari peccatorum remissionem non negamus, sed ex eo nondum sequitur, quod proprie loquendo eandem mereatur: plures enim esse modos impetrandi, quam ex merito, docent mendici eleemosynam petentes & accipientes. 7.) Justitia tribuitur fidei Abrahæ non propter dignitatem ac meritum quoddam fidei, sed quia adprehendit Dei promissionem de benedicto semine, in quo & propter quod benedictio, justificatio & salus Abrahæ obtigit. 8.) Fides per invocationem sive in invocatione impetrat salutem, non propter aliquod suum meritum, sed propter promissionem, cui inhæret atque innititur, quæ cum sit Dei omnipotentis ac veracis promissio, & cum Christi beneficia in ea nobis offerantur, ideo, qui illi confidit, bonorum promissorum particeps efficitur. Concludimus igitur cum Wesselo Groningensi in libro de incarnatione & passione cap. de gratia Dei & fide. *Justificat fides non ex merito credentis, sed proposito & acceptatione Dei, in quem credidit.* Item in cap. quod fide justificamur. *Fide mundificat corda fidelium, sed non propter fidem, sed propter sermonem & verbum Dei vivificans hominem.* Agnoscit hoc Schopperus presbyter Colonienfis in concion. I. super epist. in festo Andreæ pag. 2. *Per fidem justificamur: hoc autem non eo pacto intelligi debet, quasi fides per se tantum possit, aut quod sit justificationis salutisque causa, sed quod nulla alia re gratiam ejus nos purgantem ac innovantem possimus accipere. Fides in solam Dei misericordiam & gratiam respicit, quare nimirum quod justificare & salvare dicitur, perinde est ac si dicamus: misericordia & gratia Dei nos justificat & salvat. Quod si hoc animadverterent quidam, non adeo offenderentur, uti nunc videmus.* Hæc ille.

§ CLXXXIII. V) *Postremum* principale argumentum petit Bellarminus *ex causa formali justificationis & ex necessitate operum ad salutem*, qua de re cum paulo post ex professo differendum sit, ideo ad illum locum hujus argumenti expositionem rejicimus. Cetera cum ægerrime ferant adversarii, & maximopere tumultuentur, quod particula exclusiva *sola* ipsi textui apostolico, Rom. III. 24. in germanica Lutheri versione inserta fuerit, ideo jubemus observari; 1.) Quod Lutherus ipsos fontes, videlicet textum græcum inviolatum retinuerit; 2.) Nec versioni latinæ quidquam addiderit. 3.) Quæstionem igitur solummodo esse de translatione germanica, de qua non sunt audiendi homines Itali proprietatum germanicæ linguæ ignari, sed potius Germani, qui idiotismos vernaculæ linguæ percallent. Sic igitur concludimus: Quæcunque versio a.) genuinam, propriam & nativam apostoli sententiam exponit: b.) eamque puro idiomate pro ejus linguæ proprietate exprimit:

5.) Opera sunt ad salutem necessaria.

mit: c.) nec destituitur aliarum versionum exemplis, illa non est repudianda, multo minus calumniis deformanda. Atqui versio Lutheri particulam exclusivam *sola* Rom. III. 24. addens 1.) genuinam, propriam & nativam apostoli sententiam exprimit. Quod enim apostolus hoc loco dicit, *justificari nos fide sine operibus legis*, idem est cum eo, quod Gal. II. 16. dicitur, *nos non justificari*, ἐὰν μὴ, *nisi per fidem Jesu Christi*. Atqui ἰσοδυναμοῦντα sunt, non nisi per fidem justificari & *sola fide* justificari, ut ostendimus superius §. 159. quo pertinet etiam illud, quod reliquas exclusivas omnes, quas in hoc argumento apostolus adhibet, particula *sola* brevissime & nervosissime exprimit. Quid enim aliud est justificari *sine lege*, *sine operibus*, *non ex lege*, *non ex operibus legis*, *fidem imputari ad justitiam sine operibus*, quam sola fide justificari? 2.) Eadem versio apostolicam sententiam puro idiomate pro nativa linguæ germanicæ proprietate exprimit, qua de re vide Lutherum tom. V. oper. Jenens. german. fol. 140. & seqq. ubi ostendit, hoc germanicæ linguæ idioma esse, ut in oppositione duorum vel plurium rerum, ei, quæ affirmatur majoris emphaseos & perspicuitatis gratia, exclusiva adjiciatur. Jam vero non agitur hoc loco de numero dictionum, sed de phrasi ac genuina ejus loci sententia.

Nec verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres - - - -

dicit Flaccus. Hunæus in prodidagm. dialect. fol. 31. agnoscit, *quod exclusiva* tantum *aut* sola *æquivaleat locutioni de aliquo aliquid affirmanti & de alio idem neganti.* 3.) Non destituitur hæc versio similibus exemplis syriacæ, græcæ, latinæ & italicæ translationis (*). *a.*) Quod de syriaca versione dixi, manifestum est ex Rom. IV. 5. ubi in hoc ipso argumento exclusiva additur, quæ in textu græco non habetur. *Ei qui non operatur, sed tantum* (בִּלְחוֹד) *credit in eum, qui justificat impium*, &c. b.) LXX. interpretes græci locum Gen. III. 11. ita reddunt: *Edisti de ligno, de quo præceperam tibi* τοῦτο μόνον μὴ φαγεῖν, *ne de eo comederes*, ubi exclusiva in Hebræo non habetur. Sic Deut. VI. 13. αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, ubi exclusiva non exstat in Hebræo, & tamen a LXX. interpretibus additur, quam versionem confirmat ipse Christus Matth. IV. 10. c.) Versio latina, quam concilium Tridentinum authenticam pronunciavit, plurimis in locis exclusivam majoris emphaseos gratia inserit. Lev. XXI. 2. *Non contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis.* Deut. VI. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Idem eodem modo repetitur cap. X. 20. Sic Deut. XII. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* cap. XXII. 27. *Sola erat in agro.* cap. XXXII. 39. *Ego ego sum solus, & non est alius Deus mecum.* 1 Sam. X. 19. *Abjecistis Deum vestrum, qui solus salvabit vos.* cap. XVIII. 8. *Quid ei superest, nisi solum regnum?* 2 Reg. VII. 7. *Animas tantum suas salvare cupientes.* cap. XIX. 19. 11. *Tu ergo solus poteris liberare.* cap. XXIII. 9. *Sed tantum comedebant infermentata.* 2 Paralip. XX. 12. *Hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Esther. III. 2. *Solus Mardochæus non flectebat genua.* cap. IV. 13. *Quod animam tuam tantum liberes.* Job. XVII. 1. *Solum mihi supersit sepulchrum.* Cant. VIII. 1. *Ut inveniam te solum foris.* Jer. XVII. 4. *Relinqueris sola ab hæreditate tua.* Dan. XI. 4. *Hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus.* Zach. VIII. 19. *Veritatem tantum & pacem diligite.* In his locis omnibus particula exclusiva non exstat in Hebræo, & tamen ab interprete latino perspicuitatis & emphaseos gratia expressa est. d.) Edita sunt Venetiis anno 1546. biblia italica, in quibus verba apostoli, Gal. II. 16. *Quod non justificetur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi*

(*) Adde & hebraicæ. Deut. IV. 35. *Ut scias, quod Dominus est Deus, & non est alius præter eum. Ego sum solus Jehova, Dominus ipse Deus, non amplius præter eum.* Hic locus Deut. XXXII. 39. ita explicatur: *Videte nunc quod ego ego* (ego solus) *ipse, & non dii mecum.* GERHARDUS.

Christi, sic reddita sunt: *Sapendo che l' huomo non si giustifica da le opere de la legge, ma solo per la fede di Giesu Christo* (per solam fidem Jesu Christi.) Ex his facile adparet, quid de calumniis adversariorum, quibus hanc Lutheri versionem insectantur, statuendum sit. Bellarminus libr. I. de justif. cap. 16. vocat *fallaciam*, Pistorius in hodeg. p. 214. *crimen falsi &c.* (*)

SECTIO VI.

DE FIDEI JUSTIFICANTIS PROPRIETATIBUS, AN SCILICET A CHARITATE ET RELIQUIS VIRTUTIBUS SEPARARI POSSINT?

An vera & justificans fides a dilectione & reliquis virtutibus separari possit?

§. CLXXXIV. Cæterum cum in argumentis sententiæ nostræ oppositis Bellarminus mentionem faciat illius quæstionis: *An vera & justificans fides a dilectione & reliquis virtutibus separari possit?* ideo disquisitionem ejus hoc loco adgrediemur. Sententia nostra est, fidem quidem solam justificare; interim tamen non esse solam, sive ab operibus bonis separatam, siquidem beneficium justificationis cum renovatione hominis interiori semper est conjunctum. Ad hoc demonstrandum evidentia ex scripturis argumenta nobis suppetunt. Adferemus primum ea, quibus Bellarminus suas responsiones opposuit, postea addemus alia. 1.) Apostolus 1 Tim. V. 8. statuit, *eum, qui non habet curam suorum, fidem negasse & infideli deteriorem esse*, ex quo manifeste adparet, eum, qui dilectione erga suos destituitur, etiam fide justificante destiturum esse. Excipit Bellarminus libr. I. de justif. cap. 15. *Apostolum, teste Chrysostomo, de iis loqui, qui fidem negare dicuntur, quoniam non vivunt, ut fides vivendum docet, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Resp. vera est hæc expositio, sed non plena; neque enim hoc solum vult apostolus, quod ἄστοργος non ita vivat, ut fides vivendum demonstrat,

Fundamenta negativæ.

1.) Qui suorum curam non habet, fidem abnegavit.

(*) Mentzerus in exeg. Augustanæ confessionis art. IV. p. 144. *Inspexi Constantiæ in bibliotheca Jesuitarum antiqua biblia germanica ante Lutherum edita, in quibus habetur* Rom. III. *particula exclusiva* allein durch den Glauben ohne die Werck der Ehe. *Veteres enim Germani* legem *vocarunt* die Ehe, *ut multis exemplis potest ostendi. In bibliotheca senatus Spirensis duo habentur exemplaria bibliorum germanicorum vetustissima, quorum utrumque particulam* Gal. II. 16. εἰ μὴ *nisi reddit per* nur, *quæ idem valet, quod* allein. Præter Dietenbergium Joh. Eccius in versione sua germanica Ingolstadii impressa per Alexandrum & Samuelem Weissenhorn anno 1550. loca illa, quæ habent particulas ἐὰν μή, ἐ μὴ *nisi*, expressit per vocem *allein*. 2 Reg. V. 15. *Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi in Israel*; Eccius ita vertit: *Warlich weiß ich, daß kein Gott in allem Lande dann allein in Israel.* Ibid. v. 17. *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino*; Eccius ita vertit: *Denn dein Knecht wird forthin nicht Brandopffer oder Opffer opffern frembden Göttern, denn allein dem HErrn.* Marc. XIII. 32. *De die illa vel hora nemo scit neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus pater*; Eccius: *Von dem Tage und der Stunde weiß niemand, auch die Engel nicht im Himmel, auch der Sohn nicht, sondern allein der Vatter.* Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*; Eccius: *Und wird nit hinein geben irgend ichts befleckes, sondern allein die so geschrieben sind in dem lebendigen Buch des Lambs.* Pererius disput. IX. in cap. III. Rom. ad illa verba Pauli: *per legem cognitio peccati*, addit: *Oportet in hac Pauli sententia intelligere ac supplere adverbium tantum hoc modo, per legem fit cognitio tantum peccati, idque haud dubie ideo fecit, quia* Rom. VII. 7. *dicitur, peccatum non cognovi nisi per legem.* Cur ergo hoc Luthero nostro vitio vertitur, quod addit exclusivam *tantum*, siquidem simili loco dicit apostolus Gal. II. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem tantum.* GERHARDUS.

strat, sed etiam quod frustra jactitet fidem, qui suis non exhibet debita caritatis officia, cum vera & salvifica fides sit *efficax per dilectionem.* Gal. V. 6. Proinde qui fidem justificantem habet, non potest non habere curam suorum. 2.) Joh. VI. 64. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: sciebat enim ab initio Jesus, qui non essent credentes & quis traditurus esset eum*, ubi Judas dicitur *non credere*, quia eum traditurus erat. Excipit Bellarminus, *Judam audito sermone Christi de manducanda ejus carne scandalizatum esse, & corde ab eo recedere cæpisse per incredulitatem, unde postea etiam ad prodendum illum sit inductus.* Resp. hoc argumentum non est ex numero principalium. Certum est, Judam una cum reliquis discipulis Christum initio prædicasse & confessum esse, sed cum sese avaritiæ dederet, & consilia proditionis agitaret, veram fidem amisit, quamvis ratione notitiæ Christum adhuc agnosceret (*). 3.) 1 Joh. II. 3. *In hoc scimus, quod cognovimus eum, si justa illius observamus.* v. 4. *Qui dicit, novi eum, & præcepta ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est.* Ex hoc loco tale deducimus argumentum: Fides est salutaris Dei cognitio. At cognitio illa conjuncta est cum observatione mandatorum divinorum. Ergo & fides cum observatione mandatorum est conjuncta. Excipit Bellarminus, *apostolum loqui de notitia familiaritatis & amicitiæ, ut exponunt Beda & Oecumenius.* Resp. bene est, notitia illa familiaritatis est fidei justificantis propria, per fidem enim reddimur Dei filii, ejusdemque amici, agnoscentes eum tanquam benignissimum patrem, & omnem cordis fiduciam in ipsum collocantes. Quare cum notitia illa familiaritatis non possit esse absque serio pietatis studio, utique ergo nec fides. 4.) 1 Joh. V. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*, cum quo conjungimus Joh. I. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* v. 13. *qui ex Deo nati sunt.* 1 Joh. III. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* v. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. Omnis, qui non facit justitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Cap. IV. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est & cognoscit Deum, quoniam Deus caritas est.* Ex quibus apostolicis pronunciatis ita colligimus: qui credit in Christum, ex Deo natus est. Qui ex Deo natus est, peccatum non facit, id est, non indulget peccatis, non permittit eis dominium; Ergo qui credit in Christum, peccatum non facit. Item: qui ex Deo natus est, Deum diligit. Qui fide Christum recipit, ex Deo nascitur; ergo qui fide Christum recipit, Deum diligit. Ulterius: qui Deum diligit, is etiam proximum diligit. 1 Joh. IV. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Qui fide Christum recipit, Deum diligit; ergo etiam proximum diligit, & per consequens vera & salvifica fides non potest separari a dilectione Dei & proximi. Quid ad hanc lucem Bellarminus regerit? *apostolum loqui de fide formata, quæ per dilectionem operatur.* Resp. bene est, loquitur apostolus de fide, *quæ per dilectionem efficax est*, hoc est, de *vera* ac *viva* fide, atque illa ipsa est, qua justificari dicimur; interim tamen dilectio non est *forma*, sed *effectus* & necessarium *consequens* fidei, ut demonstravimus superius. 5.) *Fides sine operibus mortua est*, Jac. II. 17. nec potest justificare, cum sit inane & mortuum fidei simulacrum. Ergo fides justificans est viva per studium bonorum operum sese perpetuo exserens. Exceptionem Bellarmini suo loco examinabimus. 6.) Hab. II. 4. *Justus fide vivit.*

2.) *Joh. VI. Judas proditor negatur habuisse fidem.*

3.) *1 Joh. II. Qui dicit, novi eum, & præcepta ejus non servat, mendax est.*

4.) *1 Joh. V. Qui credit, ex Deo natus est.*

5.) *Fides sine operibus mortua est. Jac. II.*

(*) Cyrillus existimat, *Judam ab initio bonum fuisse, & postea a diabolo per avaritiam seductum.* Augustinus & Beda putant, *ipsum jam tum fuisse malum.* Ex loco Joh. VI. 70. adparet, ipsum multo tempore ante passionem fuisse diabolum. GERHARDUS.

6.) *Justus fide vivit. Hab. II.*

vivit. Ergo fides est vita spiritualis animæ. Jam vero ubicunque est vita, ibi exserit se per vitales operationes. Exceptiones Bellarmini, quibus propheticum dictum eludere conatur, discussimus superius. §. 122.

Fundamenta alia, quae Bellarminus non attingit.

§. CLXXXV. Atque hæc sunt argumenta, quæ pro sententia nostra Bellarminus adducit, eademque dissolvere nititur, quid præstiterit, cuivis cordato facile apparet. Addimus autem sequentia, quæ Bellarminus non attingit. 1.) *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.* Eph. III. 17. Ubi Christus adest per gratiosam inhabitationem, ibi quoque habitat Spiritus sanctus. Ubi Spiritus sanctus, ibi etiam adparent *fructus Spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo. &c.* Gal. V. 22. Ergo ubi Christus habitat per fidem, ibi opera Spiritus adparent exterius. 2.) Gal. II. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Per fidem Christus in nobis vivit. Quæ vero Christi vita? Caritas, mansuetudo, patientia, humilitas, &c. ubicunque ergo vera fides, ibi etiam talia consequentur. 3.) *Qui in Deo manet, non peccat*: & *omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* 1 Joh. III. 6. Ergo qui peccat, hoc est, qui peccatis secure indulget, falso gloriatur de vera & salutari Dei cognitione per fidem. 4.) Fides est spiritualis lux animæ. Ubicunque lux est, ibi radios suos spargit, ideo Christus dicit Matth. V. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* 5.) *Fides est victoria, quae vincit mundum.* 1 Joh. V. 4. quid vero est mundus? Definiente eodem apostolo, *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitae.* Ubi ergo secure illis adhuc indulgetur, ibi mundus nondum est victus, & per consequens ibi non est vera fides. Viva est & victrix, si modo vera, fides-

6.) *Fide purificantur corda.* Act. XV. 9. Ubi secure indulgetur impuris peccatorum sordibus, quomodo ibi potest esse interior cordis puritas? & per consequens, quomodo ibi potest esse vera fides? *Bonus homo de bono thesauro cordis profert bona.* Matth. XII. 35. 7.) Idem ostendit Christus in parabola debitorum. Luc. VII. *Remittuntur ei peccata multa,* (dicit v. 47.) *quoniam dilexit multum: Cui autem minus dimittitur, minus diligit:* postea subjungit v. 50. *Fides tua te salvum fecit.* Ergo fidei, per quam remissio peccatorum contingit, effectum & consequens est dilectio, qua Deum prius diligentem vicissim sincere ac serio diligimus. 8.) Fide datur Spiritus Sanctus. Eph. I. 13. *in quo & vos cum audissetis verbum veritatis evangelium salutis vestrae, in quo & credentes obsignati estis Spiritu promissionis sancto.* Gal. III. 2. *an ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Omnes estis filii Dei per fidem.* Gal. III. 26. *Quia vero estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Gal. IV. 4. Atqui Spiritus sanctus impellit ad omnis generis opera bona. Rom. VIII. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* 9.) Idem variis rationibus probari potest. Qui delectantur adhuc peccatis, quærunt occasiones peccandi. Qui quærunt occasiones peccandi, in illis non est vera pœnitentia. Ubi autem non est vera pœnitentia, ibi nec gratia Dei locum habet, nec vera fides. Item: fides quærit gratiam Dei, ut ipsi reconcilietur ac placeat, proinde est indefessa hortatrix, ut vitentur peccata, & fiant aliqua Deo grata. Fide amplectimur promissionem de remissione peccatorum, & sic regeneramur sive ex Deo nascimur, cum illa regeneratione perpetuo conjuncta est renovatio. Qui vere credunt in Christum, procul dubio odio habebunt peccatum, quippe pro quo expiando tantos dolores Christus sustinuit, quomodo credenti in Christum potest esse gratum, quod Christo tantopere adversum? Qui habet peccandi propositum, non accedit ad Deum, sed discedit ac fugit a Deo. Esai. LIX. 2. *Iniquitates vestrae divisérunt inter Deum & vos.* At vera fides accedit ad Deum per Christum. Fides est quasi gustus quidam ac perceptio suavitatis illius, quæ in Deo est. Psalm. XXXIV. 9. 1 Petr. II. 9.

II. 3. Hebr. VI. 4. ex suavi illa adprehensione & gustu bonitatis Dei oritur ejusdem dilectio. Quid quod in rebus humanis videmus aliquem bene firmiterque de alterius benevolentia persuasum læta fiducia impleri, frontem exporrigere, ac modis omnibus anniti, ut promittenti sese adprobet ac gratum exhibeat. 10.) Denique utimur hac ἀπαγωγῇ πρὸς ἄτοπον. Si adulteri, masculorum concubitores, fures, avari; &c. quos apostolus extorres regni cœlestis pronunciat 1 Cor. VI. 9. & 10. Gal. V. 21. per peccata mortalia non amittunt fidem, sed veram fidem adhuc retinent, consequens fuerit, etiam veram fidem habentes esse æternæ vitæ extorres. Atqui ita concident Spiritus sancti pronunciata: Joh. III. 15. *Omnis, qui credit in Filium Dei, non perit, sed habet vitam aeternam.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Joh. V. 24. *Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.* Rom. X. 11. *Omnis, qui crediderit in illum, non confundetur.* 1 Joh. V. 12. *Qui habet Filium, habet vitam, &c.*

§. CLXXXVI. Idem confirmant dicta veterum: Irenæus libr. IV. cap. 14. pag. 241. edit. Gallas. *Ad hoc Filius revelavit Patrem, ut per eum omnibus manifestetur, & eos quidem, qui credunt ei, justi, in incorruptelam & aeternum refrigerium recipiat, credere autem est facere ejus voluntatem.* Libr. V. c. 11. p. 326. *Qui operibus justitiae non adornantur, in Patrem quidem & Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet.* Clemens Alexandrinus in protrep. πίστις ἱεροποιεῖ ἢ θεοποιεῖ. Origenes libr. IV. in epist. Rom. cap. 4. parte 2. p. 508. *Non putes, quod, si quis habet talem fidem, ex qua justificatus habeat gloriam apud Deum, possit simul cum ea habere & injustitiam. Nulla enim pars est fidei cum infidelitate, nulla justitiae cum iniquitate communio, sicut nec luci cum tenebris potest esse societas. Si enim qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est, & qui ex Deo natus est, non peccat, manifestum est, quia qui credit Iesu Christo, non peccat, quod si peccat, certum est, quia non credit ei. Iudicium igitur verae fidei est, ubi non delinquitur, sicut e contra, ubi delinquitur, infidelitatis indicium est.* Idem libr. VIII. cap. X. in epistol. ad Rom. *Omnis, qui credit in eum, non erubescit, erubescit autem omnis, qui peccat. Ergo qui adhuc peccati ruborem incurrit, credere non videtur.* Cyprianus tract. III. de simpl. prælat. in princ. p. 162. *Quomodo dicit se credere in Christum, qui non facit, quod Christus facere praecepit?* Hieronymus adversus Lucifer. *Ardua res est fides & indubitata. Adsisto orans; at non orarem, nisi crederem; quod si crederem, cor illud emendarem, quo videtur Deus, lacrimis rigarentur genae, tunderem pectus, inhorresceret corpus, palleret vultus, & ad pedes crucifixi jacerem.* Idem libr. XIV. comment. in Ezech. *Quis potest credere sine operibus? Non tamen meritum bonorum operum adducit ad fidem, sed fides incipit, ut bona opera consequantur.* Chrysostomus serm. de fide & lege naturæ: *Quamprimum credideris, bonis operibus eris ornatus.* Ibidem addit, fidem per *se ipsam esse plenam operibus bonis.* Hom. III. epist. Tit. *Fides non minus valet ad vitam nostram regendam, quam prudentia.* (at si fides posset existare absque bonis operibus, non accederet ad dignitatem prudentiæ, quæ, ut philosophi statuunt, absque cæteris virtutibus haberi non potest.) Augustinus libr. de fide & bonis operibus cap. 16. *Fides sine caritate est fides daemoniorum, non christianorum.* cap. 23. *Inseparabilis est bona vita a fide, quae per dilectionem operatur, imo vero ea ipsa est vita bona.* Lib. octog. trium quæst. q. 76. *Iustificatus per fidem non potest nisi juste deinceps operari.* Libr. de cognitione veræ vitæ cap. 37. *Daemones Deum & pagani credunt, sed non credunt in Deum. Credunt namque, quod Deus sit, quia omnia creavit, ac super omnia potens sit: in Deum autem tantum credunt, qui eum diligendo, in eum tendunt.* Libr. de Spiritu & lit. cap. 30. *Per legem agnitio peccati, per fidem impetratio gratiae contra peccatum, per gratiam sanatio animae a vitio peccati, per animae sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiae dilectio, per justitiae dilectionem legis*

Testimonia veterum.

operatio. Libr. de opere monach. c. 13. *In cognitione cavendus est error, in actione nequitia. Errat autem, quisquis putat puritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat.* In Joh. tract. LXI. *Qui fidem habet sine spe & dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.* Serm. CLXXXI. de tempore. *Aliud est credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere illi est credere vera esse, quae loquitur; credere illum, credere, quia ipse Deus est: credere in illum, diligere illum, &c. Credere in Deum soli noverunt, qui diligunt illum, qui non solum nomine christiani sunt, sed ex factis & vita, quia sine dilectione fides inanis est.* Cyrillus in explic. symb. tom. IV. col. 220. *fulgorem ex caritate fidem comitari* scribit. Eusebius Emissenus hom. II. de symb. *fidem* adpellat *lumen animae, ostium vitae, & fundamentum salutis.* Gregorius homil. XXII. in evang. *Quantum credimus, tantum diligimus.* Homil. XXIX. in evang. *Vera fides est, quae in hoc, quod verbis dicit, meritis non contradicit. Tenemus similiter fidem, sed eandem in bonis operibus exercemus.* Ibidem statuit, *eos non veraciter credere, & non habere veram fidem, qui non bene operantur,* ut ipse Bellarminus ex Gregorio loquitur libr. I. de justificatione capite 15. objectione. 1. Beda in Psalm. XXV. *Fidem per munda operâ & virtutes tanquam palliis ornare oportet, quae si desint, otiosa & mortua est.* Salvianus libr. IV. in princ. *Cum haec sit christiani hominis fides, fideliter Christi mandata servare, sit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est, nec in Christum credat, qui Christi mandata conculcat, ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui christiani nominis opus non agit, christianus non esse videatur.* Anshelmus in monolog. cap. 75. *Inutilis est fides, & quasi mortuum aliquid, nisi dilectione valeat & vivat, ideo non absurde dicitur, operosam fidem vivere, quia habet vitam dilectionis, sine qua non operaretur; & otiosam fidem non vivere, quia caret vita dilectionis, sine qua non otiaretur.* Bernhardus serm. II. de resurrect. col. 133. *Fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est, opera, quae dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me. Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam esse adserit in semet ipsa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis.* Serm. XV. in Psalm. XC. *Hic fructus notitiae Domini: clamor orationis, porro fructus clamoris exauditio salvatoris.* Refero huc insignem locum ex praefatione b. Lutheri in epist. ad Rom. *Fides non est opinio humana, aut somnium, quod ab aliquibus pro fide habetur, & quando non vident sequi vitae emendationem aut bona opera, & tamen de fide multa audiunt & garrire possunt, in eum dilabuntur errorem, ut dicant, fidem non esse sufficientem, sed facienda esse opera ad justitiam & salutem consequendam, cujus rei causa est, quod quando evangelium audiunt, eo delabuntur, & ex propriis viribus sibi fingunt cogitationem cordis talem, quae dicit: ego credo, atque id postea veram fidem esse statuunt. Sed sicut est humanum figmentum & opinio, quam nunquam sentiunt cordis penetralia, ita etiam est inefficax, nec ulla sequitur emendatio. Fides vero est opus Dei in nobis, quod immutat & regenerat ex Deo* Joh. I. *mortificat veterem hominem, prorsus alios homines nos facit corde, sensibus & omnibus viribus, ergo adfert secum Spiritum sanctum, est viva, potens, & efficax res fides, & non potest non subinde bene operari, neque quaerit, an sint facienda bona opera, sed priusquam tale quid quaeritur, ipsa jam facit & semper agit: qui autem non facit hujusmodi opera, iste est homo incredulus, qui palpitat, & solicite quaerit bona opera, neque tamen novit, quid sit fides, quid sint bona opera, atque interim de iisdem multa garrit & nugatur. Fides est* πληροφορία *viva, adquiescens in misericordia Dei adeo firmiter, ut priusquam deficiat, vel millies mortem subire non vereatur. Et hujusmodi fiducia & agnitio misericordiae divinae excitat laetitiam, confidentiam & amorem erga Deum & omnes creaturas, quae omnia operatur Spiritus sanctus in fide, unde sequitur in homine alacritas & promtitudo sine coactione omnibus benefaciendi, omnibus inserviendi, omnia perferendi in gloriam & honorem Dei, qui ipsum hoc beneficio adfecit, ut ita impossibile sit opera a fide sepa-*

separare, perinde atque impossibile est, calorem & flammam separare ab igne. Hactenus Lutherus.

Testimonia adversariorum.

§. CLXXXVII. Quid quod ipsorum adversariorum testimonio hæc veritas quodammodo comprobetur! C. Caritas est aqua dist. 2. de pœnitentia ex Augustino. *Haec est fides, ut desinit apostolus, quae per dilectionem operatur, huic duntaxat remissio delictorum promittitur. Quod si caritas a fide christianorum sejungi nequit, cui scilicet soli venia promittitur, quomodo, qui caritatem non habuerit, fidem christianorum habuit, id est, in Christum credidit?* Thomas h. 2 q. 66. art. 4 *Fides & spes sine caritate possunt quidem aliqualiter esse, perfectae autem virtutis rationem sine caritate non habent, cum enim fidei opus sit credere Deo, credere autem sit alicui propria voluntate adsentiri, si non debito modo velit, non erit opus fidei perfectum, quod autem debito modo velit, hoc est, per caritatem, quae perficit voluntatem, omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit.* Stephanus Brulifer q. 3. prolog. sent. *Fidem sic esse in intellectu, ut quantum in se est & de sui ratione nata sit movere adfectum, ut Deum diligat & ut bonus quis fiat.* Georg. Cassander in consult. de Augustana confessione cap. de justif. *Illud adcurate observetur, si sola fide apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem tametsi sola justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario poenitentiam & melioris vitae propositum adjunctum habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam fidei imaginem pro solida & expressa fide amplectamur.* Joh. Rivius libr. II. de relig. p. 357. operum suorum edit. Basil. adlegat locum quendam ex Sadoleto. *Quin lapsu & titubatione aliquando fidelis possit offendere, nos nihil contradicimus: habitus, propositum, deliberatio delinquendi a vera fide remotissima sunt.* Nausea Viennensis episcopus centuria. I. hom. 66. *Sine fide nemo unquam vitam aeternam habebit, vel quamlibet moraliter bonus nempe, quae sit illa fides, qua & in qua, ex qua & per quam solam Deus ipse solus maximus nos justificat. Perinde atque instrumento ad justificationem imprimis necessario, bona opera necessario secum adferente.* Schöpperus presbyter Colonienlis in explicat. epistolae in festo Andreæ pag. 2. *Audivimus ex adductis a Paulo scripturae testimoniis* Rom. X. *fidem invocationem nominis Dei operari. Per invocationem vero non solum oratio & confugium ad Deum intelligi debet, sed & Dei glorificatio, item gratiarum actio, & quicquid denique ad cultum Dei pertinet. Non est igitur otiosa vera fides, sed cognitum Deum invocat, hunc laudat, huic gratias agit, huic servit, ad hujus beneplacitum totam vitam componit, hoc est, ad hujusmodi effectus credentes impellit. Qui vero hisce carent, horum fides mortua est, imo inane fidei simulachrum, &c.*

Antithesis: veram fidem separari posse a bonis operibus.

§. CLXXXVIII. Huic sententiæ ex immotis scripturarum fundamentis deductæ vehementer adversatur concilium Tridentinum, cujus hæc sunt verba sess. XVI. c. 15. *Adversus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, adserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, caeterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adjumento abstinere possunt, & pro quibus a Christi gratia separantur.* Statuit ergo concilium, veram in Christum fidem cum horrendis illis & abominandis peccatis adulterii, pæderastias & similibus simul manere (*). Bellarminus libr. I. de

(*) Costerus in enchirid. cap. 4. p. 178. *Sicut optimi & nobilissimi medici, cum non ignorantia* sed fragilitate naturæ præcepta artis, quam callent, intemperanter vivendo violant, scientiam me-

de justif. c. 3. sub fin. *Dissentimus ab ipsis* (Lutheranis) *in eo, quod ipsi fidem, quam dicunt solam justificare, docent nunquam esse posse solam, nos contra dicimus, non justificare solam, sed tamen posse esse solam.* Cap. 10. circa medium. *Adversarii fidem negant esse veram, nisi sit viva, & fructus bonorum operum pariat.* (His verbis liberat nos Bellarminus a mendacissima concilii Tridentini adcusatione, quod *magna contra ecclesiam catholicam contentione praedicemus unam hanc ab omni pietate remotam fiduciam;* quam adcusationem Bellarminus hoc ipso agnoscit esse ab omni veritate remotam) C. 15. varia profert argumenta, quibus probat, veram fidem posse a dilectione aliisque virtutibus separari.

§. CLXXXIX. I.) Joh. XII. 42. de principibus Judæorum ita scribitur: *Veruntamen multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Hic evangelista testatur, in illis principibus fuisse fidem absque caritate. Resp. 1.) Quidam respondent, fidem illorum principum fuisse imbecilliorem, ideoque ipsos metu fuisse repressos, quo minus libere Christum profiterentur; (sicut illi, qui non curvarunt genua sua coram Baal, qui non fuere publice confessi, alias Eliæ fuissent noti) ac proinde ex hoc textu non posse colligi, quod fides plane ab omnibus operibus bonis separari, & cum peccatis contra conscientiam consistere possit, cum aliud sit non profiteri Christum libere, & μετὰ παῤῥησίας, aliud plane eum negare. *Illud* non semper prærequirit antegressam interrogationem & explorationem nostræ fidei, *hoc* semper, *illud* refertur ad contradicentia, *hoc* ad privantia, *illud* est *generalius*, hoc *specialius*. Nam omnis abnegator est non confessor Christi, sed non contra. *Nicodemus nocte ad Christum veniebat*, collegarum odium veritus, nihilo tamen minus erat *Christi discipulus*, Joh. III. 2. VII. 50. XIX. 39. Sic & Joseph Arimathæus erat itidem *occultus Christi discipulus propter metum Judaeorum*. Joh. XIX. 38. Pontificii fundamentum suæ interpretationis quærunt in phrasi *credere in Christum*, qua veram & sinceram fidem ubivis denotari perperam existimant. 2.) Sed enim textui magis congruit sententia eorum, qui statuunt principes illos non habuisse veram & salvificam, sed tantum generalem sive historicam fidem (*). Bellarminus exclamat, *si ita licet interpretari scripturas, nihil unquam probari poterit.* Ergo ne ipsi videamur hoc gratis dicere, proferimus hæc fundamenta. Vera fides cum confessione Christi perpetuo est conjuncta Psalm. CXVI. 10. *Credidi, propter quod locutus sum.* Neve de Davide tantum hoc intelligatur, conjungimus dictum 2 Cor. IV. 13. *Habentes eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod*

1.) Ioh. XII. Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur.

medendi non amittunt: ita christianus, qui contra conscientiæ dictamen in leges fidei peccat, nec fidem amittit, nec desinit esse christianus. GERHARDUS.

(*) Sententiæ huic videtur contextus favere. v. 37. inquit Johannes: *Cum tam multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, scilicet salvifice, *quemadmodum credunt filii lucis* v. 36. *ut sermo Esaiæ compleretur;* tum subjicit v. 39. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, excœcavit &c.* Ubi Johannes non adimit illis fidem, quæ est sola notitia & adsensio, quia Judæi & Pharisæi veram & evidentem Christi ejusque doctrinæ divinæ notitiam habuerunt, Joh. III. 2. sed eam, quæ est etiam fiducia & plerophoria. Qualem ergo fidem Johannes reliquis Judæis detrahit v. 37. 39. talem primoribus illis tribuit v. 42. quia utitur oppositione: *Non credebant in eum Judaei cetera* v. 37. *neque poterant* seu *non volebant* in Christum credere, v. 39. id est, nolebant eum fide salvifica amplecti. *Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum* v. 42. Ecce hos primores & horum fidem opponit reliquis Judæis, eorumque incredulitati. Quod autem uni oppositorum in ipso oppositionis actu sive tribuitur sive adimitur, id alteri oppositorum sive adimitur sive attribuitur. Quia igitur reliquis Judæis fides salvifica adimitur, ergo his primoribus adscribitur. Hæc ex FEURBORNIO adnotavit GERHARDUS.

quod & loquimur: cum quo consentit illud apostolicum Rom. X. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Atqui principes illi non confessi sunt Christum. Ergo non habuerunt veram fidem. Præterea nullus vere credentium negabitur a Christo in die judicii. Atqui principes illos negabit in die judicii, siquidem: *Qui erubescit propter Christum & sermones ejus in generatione hac adultera & peccatrice, illum non agnoscet pro suo, quando veniet in gloria Patris sui cum sanctis angelis.* Marc. VIII. 38. Principes hi non solum pudore ac metu adducti noluerunt Christum confiteri, sed etiam abnegarunt eum, cum non contradixerint sanguinario illi decreto contra Christum facto, Joh. XI 47. Ad ipsos igitur pertinet pronunciatum Christi Matth. X. 33. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Denique ne ulla supersit dubitatio, conferimus cum hoc loco dictum Christi Joh. V. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quaeritis, & gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis,* ad quem locum editio Lugdunensis notis suis marginalibus nos remittit. En igitur illos ipsos, quos evangelista dicit in Christum credidisse, Christus negat posse credere, cum gloriam hominum divinæ gloriæ præferant. Proinde ne palpabilis contradictio statuatur in verbis Christi & evangelistæ, ipsa necessitas nos cogit, ut statuamus, in verbis evangelistæ haudquaquam veram & salvificam fidem, sed historicum tantum adsensum principibus Judæorum tribui (*). 3.) Nec est, quod Bellarminus quærat firmamentum in phrasi, *credere in Christum,* significet sane ea in aliis scripturæ locis veram cordis fiduciam, hoc tamen loco non posse ita accipi, ipse contextus satis manifeste comprobat, unde Erasmus alicubi notat, *phrasin eam quandoque pro fide historica accipi.* Exod. XIV. 31. *Crediderunt in Deum & Mosen.* 4) Quod ex Augustini tract. LIII. in Johannem Bellarminus adducit, *principes illos habuisse ingressum fidei, in quo si profeciissent, amorem quoque humanae gloriae superassent,* id nobis non adversatur, neque enim dicimus, principes illos nihil veræ fidei habuisse, quin potius habuerunt aliquid fidei, non solum ratione notitiæ & adsensus, quo statuerunt Deum esse cum Christo, sed forte etiam ratione cujusdam exiguæ fiduciæ, quæ tamen in lucta carnis & spiritus protinus fuit extincta, cum gloriam hominum magis amaverint, quam gloriam Dei. Tantum igitur abest, ut hæc explicatio Augustini nostræ adversetur, ut eandem potius confirmet; si enim principes illi ingressum fidei tantum habuerunt, ergo non ipsam veram & salvificam fidem, sed tantum initium ejusdem. 5.) Idem statuendum de altero ex ejusdem Augustini tractat. LIV. in Johannem adlegato loco, quo *illos, qui crediderunt, praedestinatos fuisse dicit ad vitam aeternam,* eosdemque postea distinguit, *quod alii confessi sint, quod crediderunt, alii vero non ausi id confiteri.* Neque enim dici potest, credentes illos promiscue ad vitam æternam prædestinatos fuisse, siquidem id & veritati, & perpetuæ Augustini sententiæ repugnat, qui passim adserit, *neminem praedestinatorum perire;* consequens igitur est, horum credentium non fuisse eandem fidem, sed alios veram & justificantem fidem habuisse, nimirum eos, qui confessione fidem testati sunt, alios vero initium quoddam fidei, nimirum eos, qui non ausi sunt confiteri, quod crederent.

§. CXC. *Alterum* argumentum petit Bellarminus ex 1 Cor. XIII. 2.) *1 Cor. XIII. Si habuero o-*

(*) Qui priorem sententiam amplectuntur, respondent, distinguendum esse inter τὸ *amare magis gloriam hominum, quam Dei,* quatenus id resultat ex infirmitate & pusillanimitate, sicut in Nicodemo, Josepho Arimathæo & hisce pharisæis, ac quatenus illud provenit ex *spiritu odii, superbiae, avaritiae, ambitionis* &c. Illud non excludit statim *fidem salvificam, sed est signum fidei languidae.* Qui Joh. V. describuntur, *noluerunt ad Christum venire,* v. 40. *dilectionem Dei non habuerunt in se ipsis.* v. 42. *gloriam a se ipsis acceperunt, & gloriam, quae a solo Deo proficiscitur, non quaesiverunt,* unde quærit Christus, *quo potestis credere?* quo dicitur: nullo modo, ergo illi non fuerunt iidem, qui Joh. XII. dicuntur *in Christum credidisse,* vel non fuerunt tunc similiter adfecti. GERHARDUS.

omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil sum.

XIII. 2. ubi apostolus sic loquitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Ergo fides haberi potest sine caritate. *Resp.* 1.) Si vel maxime obtineretur de fide justificante, seu de fide promissionum loqui apostolum, nondum tamen evictum foret, eam absque caritate esse posse, siquidem conditio nihil ponit in esse. In principio capitis dicit apostolus: *Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, &c.* ex eo tamen non potest inferri, apostolum lingua angelorum locutum esse. Gal. I. 8. *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizaret vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* ex quo non potest inferri, vel apostolos, vel angelos de cœlo, quatenus sunt ac manent tales, aliud evangelium prædicare posse. Quæ Bellarminus huic responsioni opponit, facilem habent explicationem. *Sicut eloquentia, scientia, eleemosynae sine caritate esse possunt: ita & fides* (ait) *sine caritate potest esse, sed non prodesse.* Resp. de fide, per quam miracula fiunt, de qua apostolum hoc loco proprie agere, Bellarminus agnoscit, libenter concedimus, eam sine caritate esse posse, sed non prodesse: si vero ad fidem justificantem hoc transferatur, dicimus esse disparem rationem eorum, quæ invicem conferuntur; eloquentia, scientia, eleemosynæ possunt esse sine caritate, non autem fides justificans, quæ est *per dilectionem efficax.* Gal. V. 6. At *si argumentum duceretur ab impossibili,* (ait Bellarminus) *probaret conditionatam illam propositionem: Si fides esset sine caritate, non justificaret, ex quo efficitur, eam non justificare, nisi a caritate juvetur, ac per hoc non solum praesentia, sed etiam ope caritatis egere ad officium justificandi.* Resp. est fallacia consequentis. Fides, quæ est sine caritate, non justificat, nimirum, quia non est vera fides; absentia enim caritatis arguit absentiam veræ & justificantis fidei, negato proprio & necessario effecto, ipsa quoque causa negatur: ex eo vero non potest inferri, quod fides in actu justificationis a caritate juvetur, ejusque ope indigeat, aliud enim est loqui de natura veræ fidei, aliud de ejusdem officio & proprietate in actu justificationis. Fides sola justificat, & tamen nunquam est sola, sicut hæc uberius fuerunt suo loco exposita. 2.) Sed enim non de fide justificante, sed de fide miraculorum loquitur apostolus, quod probamus ex scopo, ex antecedentibus & consequentibus, adeoque ex ipsis hujus textus visceribus. Scopus apostoli in capp. XII. XIII. & XIV. hujus epistolæ est agere de variis ac peculiaribus donis Spiritus sancti in ecclesia, eorumque abusu, inter quæ erat *fides miraculorum,* ubi commendat apostolus inprimis christianam caritatem, quam omnibus illis specialibus charismasi jure præferri docet, nequaquam vero de doctrina aut modo justificationis agit. Idem probat sonus verborum: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,* hoc est, si habuero tam excellentem fidei miraculosæ gradum, ut etiam montes transferre possem, caritatem autem non habuero, nihil sum. Ambrosius in comm. hujus loci: *Virtutes facere aut daemonia per fidem ejicere, Dei virtus & gloria est, nec hoc ad meritum proficit, nisi quis bonae conversationis fuerit aemulus.* Illam autem fidem a caritate abesse posse non inviti concedimus, sic enim diserte loquitur Christus Matth. VII. 22. *Multi dicent in die illa, nonne daemonia ejecimus, & virtutes multas fecimus in nomine tuo.* v. 23. *& tunc confitebor illis, quia non novi vos.* Alia vero ratio est justificantis & salvificæ fidei, quæ *per dilectionem* semper *est efficax;* Gal. V. 6. quæ adprehendit Christum, & in Christo remissionem peccatorum, cum qua conjunctum est renovationis donum. *Qui Christi sunt,* dicit apostolus Gal. V. 24. *crucifixerunt carnem cum concupiscentiis suis.* 2 Cor. V. 17. *Si quis est in Christo, est nova creatura.* 3.) Regerit Bellarminus, *fidem miraculorum esse ipsam justificantem fidem, sed excellentem:* at hoc superius fuit refutatum. Quorum unum potest esse sine altero, ea non sunt *essentialiter* unum. Fides miraculorum potest esse sine fide justificante, & fides justificans potest esse sine fide miraculorum. Prius manifestum est ex Matth. VII. 23. Posterius ex praxi vere piorum. Et Abrahæ & Johannis baptistæ fides fuit excellens fides, neutra tamen

tamen fuit fides miraculorum. 4.) Nec juvat Bellarmini causam, quod Marc. XVI. 16. verbis Christi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: subjungitur, *signa eos, qui crediderint, haec consequentur*. Item quod Hebr. XI. 33, 34. de sanctis dicitur, *ipsos fide vicisse regna, obturasse ora leonum, exstinxisse ignem, &c.* quod Luc. XVII. 6. discipulis dicitur: *Si habueritis fidem velut granum sinapis, dicetis arbori huic transplantare, &c.* Id enim solum ex his & similibus dictis colligitur, fidem justificantem in quibusdam fuisse conjunctam cum dono faciendi miracula, inde autem non sequitur, fidem justificantem & miraculorum esse omnino eandem. Stapleton. in promt. morali f. 627. scribit, *etiam vera miracula ab antichristo ejusque praecursoribus, adeoque quibuslibet haereticis fieri posse*; at quis illis fidem justificantem tribuet? Ipse Bellarminus libr. I. de grat. & lib. arbitr. c. 10. statuit, *gratias gratis datas* (hoc est, charismata illa peculiaria Spiritus sancti, quae recensentur 1 Cor. XII. & sic etiam fidem miraculorum) *a gratia gratum faciente separari posse*, quomodo igitur vera & justificans fides erit eadem cum fide miraculorum? 5.) At *sub finem capitis* 1 Cor. XIII. *conjungit apostolus fidei spem & caritatem, loquitur ergo de fide justificante*. Resp. ex eo non potest inferri, fidem signorum esse ipsam fidem justificantem, sed proponitur ibi novum argumentum, cujus haec est sententia: Sicut caritas praestat omnibus illis peculiaribus Spiritus sancti donis, & in his etiam fide miraculorum: ita quoque si conferatur cum fide & spe, major est illis, nimirum ratione *objecti*, quia ad plures diffunditur, & ratione *durationis*, quia in vita aeterna duratura est, recte ergo hinc concluditur, caritatem aliquando fore sine fide & spe, nimirum in vita aeterna, non autem fidem sine dilectione. Ambrosius in comm. addit tertium ἐξοχῆς membrum, *quia ut fides praedicaretur, & spes esset vitae aeternae, caritas praestitit.* 6.) At *particula* omnem *significat omnem gradum fidei*. Resp. in genere fidei miraculorum. Non enim simpliciter dicit apostolus πᾶσαν πίστιν, omnem seu quamlibet fidem, sed πᾶσαν τὴν πίστιν, nempe τῶν ἐνεργημάτων seu τῶν δυνάμεων, notatur igitur certa species fidei, & signum quantitatis universale exprimit complexum individuorum sub illa specie contentorum, quasi dicat, quicquid uspiam fidei est in omnibus & singulis θαυματέργοις, si illud omne in unum conferatur, & in me esset, &c.

§ CXCI. *Tertium* argumentum petit Bellarminus ex Jac. II. 14. seqq. ubi docetur, *fidem sine operibus non justificare, & tamen sine operibus inveniri posse*. Resp. Cum ex II. cap. Jacobi multa in subsidium suae causae Pontificii petant, nimirum *quod* fides & opera simul justificent, *quod* fides formetur per caritatem, *quod* vera fides possit esse sine operibus, *quod* sit quaedam justificatio secunda, &c. ideo analysin ejus capitis proponere necessarium fuerit, ut de omnibus rectius fieri possit judicium. Quamvis vero auctoritatem hujus epistolae non subterfugiamus, monemus tamen, quod Eusebius libr. II. hist. eccles. cap. 23. de hac epistola statuat, eam νοθεύεσθαι, cum non multi veterum ejus meminerint, unde Cajetanus in comm. hujus epistolae sic scribit: *Non est usque adeo certum, an epistola haec sit Jacobi fratris Domini. Salutatio hic posita tam pura est, ut nulli salutationi alterius cujuscunque apostolicae epistolae sit conformis: nam nihil Dei, nihil Jesu Christi, nihil gratiae, nihil pacis sonat, sed profano more salutem, nec ipse se ipsum nominat apostolum, sed tantum servum Jesu Christi.* Erasmus in adnot. cap. V. Jacobi. *De hac epistola, tametsi salubribus praeceptis referta, dubitatum est olim, cujus esset, nec enim referre videtur usquequaque majestatem illam & gravitatem apostolicam, nec hebraismi tantum, quantum a Jacobo, qui fuerit Hierosolymitanus, exspectaretur.* Sed quicquid sit de auctoritate hujus epistolae, de qua alius dicendi locus, manifestum est, & *fidei* & *justificationis* verbum aliter accipi a Jacobo, quam a Paulo Rom. III. & IV. quod ex analysi hujus secundi capitis manifestum. Versu 14. propositio habetur: *Quid prodest, si quis dicat fidem se habere*, ἐάν τις λέγῃ πίστιν ἔχειν, *opera autem non habeat,*

3.) Jac. II. Fides sine operibus mortua est.

nunquid poteſt ἡ πίϛις fides illa ſalvare eum? Fides ergo apud Jacobum non accipitur *abſolute* pro fide juſtificante, ſed pro externa fidei profeſſione, ut ipſe verborum ſonus oſtendit. Idem etiam probat ſcopus apoſtoli, diſputat enim contra eos, qui doctrinam de juſtificatione fidei non recte percipientes, multa de fide garriebant, eandem vero operibus non demonſtrabant; docet igitur, externam illam fidei profeſſionem, ſi non ſit conjuncta cum propriis fidei juſtificantis effectis, ſcilicet operibus bonis, non juſtificare: id probat v. 15. & 16. a pari. Quemadmodum non eſt vera caritas, quæ nudis verbis egenum ſolatur, re ipſa autem nihil beneficii eidem exhibet: (Johannes illud vocat, *diligere ſermone tantum & lingua, non etiam opere & veritate.* 1 epiſt. III. 18.) ita quoque non eſt vera fides, quæ externa tantum profeſſione jactatur, nulla interim bonorum operum fructificatione conſpicua. Hæc ἀπόδοσις proponitur v. 17. *Sic & fides* (ἡ πίϛις illa fidei externa profeſſio) *ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemet ipſa.* (non eſt vera, viva & juſtificans fides, ſed inane quoddam ſimulachrum & mortuum cadaver. Quemadmodum homo eſt & dicitur homo, quando opera vitæ exercet, ac ſe vivere demonſtrat; quando vero anima ex corporis domicilio egreſſa eſt, ut inde corpus exanime & mortuum ſit, non amplius eſt & dicitur homo, ſed cadaver: ita fides, quæ cum externa profeſſione conjuncta habet opera, per quæ ſeſe vivere demonſtrat, vera & viva fides eſt, ſed quando deſunt opera, tunc eſt fides mortua, *aequivoce* ſic dicta, quemadmodum mortuum cadaver æquivoce eſt homo; eſt fides *nominalis*, non realis; *putativa*, non vera; cadaver fidei, non ipſa vera & viva fides.) Pergit apoſtolus v. 18. *Sed dicet quis, tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus* (ubi vitium latinæ translationis corrigendum eſt ex Græco ἐκ τῶν ἔργων σου, ex operibus tuis) *& ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Senſus eſt, ſi opera non adpareant exterius, non poſſe quoad homines ſciri, interius adeſſe fidem. Hortatur igitur apoſtolus ad fidem ex operibus oſtendendam, quam exhortationem per *proſopopœiam* exornat: introducit enim aliquem vera fide præditum, qui adloquitur vanum fidei jactatorem, atque ab eo operum teſtimonium poſtulat. v. 19. *Tu credis, quoniam unus eſt Deus, bene facis, etiam daemones credunt & contremiſcunt.* Oſtendit apoſtolus non ſolum externam fidei profeſſionem ſine bonis operibus eſſe inanem, ſed ne quidem generalem illam ſive hiſtoricam fidem (qua quis in genere credit Deum eſſe, & quæ in ipſius verbo continentur, vera eſſe) ad ſalutem ſufficere. Id probat exemplo diabolorum, qui credunt eſſe Deum, nec tamen hac fide ſalvantur, ſed potius propter extremi judicii & damnationis exſpectationem perhorreſcunt & contremiſcunt. v. 20. *Vis ſcire, o homo inanis, quoniam fides illa* (quam exterius tantum profiteris ſine bonorum operum teſtimonio) *ſine operibus mortua eſt?* quaſi diceret: audi duo illuſtria exempla ſcripturæ, alterum Abrahæ patris omnium credentium, alterum Rahabæ, quæ evidenter teſtantur, non ex fidei profeſſione, bonis operibus deſtituta, ſed ex fide, quæ bona opera ex ſe profert, hominem juſtificari. v. 21. *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare,* hoc eſt, Abrahamus non nudis verbis jactavit fidem, ſed operibus teſtatus eſt, ſe habere veram fidem, qua coram Deo juſtificatus eſt. (quæ interpretatio colligitur ex v. 17. *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus*) v. 22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* (ἐτελειώθη) v. 23. *& impleta eſt ſcriptura. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei adpellatus eſt.* Gen. XV. 6. 2 Paral. XX. 7. Eſa. XLI. 8. Ex hoc Abrahæ exemplo ita concludit apoſtolus v. 24. *Videtis igitur, quoniam homo ex operibus juſtificatur, & non ex fide tantum.* Ceterum ut hoc argumentum apoſtoli recte intelligatur, repetendus eſt ſcopus & principalis propoſitio ex v. 14. quod ſcilicet fidei nomine hoc loco intelligatur externa fidei coram hominibus profeſſio, ac proinde hæc diſputatio non eſt trahenda ad ipſam coram Deo juſtificationem. Profeſſio illa fidei,

ſi

si vera est, hominis est jamdum justificati; sin vero falsa, est inane & mortuum fidei simulachrum; an vera sit, ex operum testimonio elucescit, quæ si absint, nihil restat præter inane fidei nomen. Hoc probat apostolus inter cetera etiam Abrahæ exemplo, qui non nudis verbis jactitavit fidem, sed operibus, præsertim vero insigni illa obedientia in filii oblatione eam testatus est, ubi fides cooperata est operibus, hoc est, professio illa fidei concurrit cum operibus professioni consentaneis ad communem illum effectum, videlicet Abrahæ fidem testandam, & *ex operibus fides consummata est*, hoc est, fidei illa professio per opera eidem consentanea coram hominibus demonstrata est (*), quod sit vera & viva fides, & sic in illo fine perfectionem suam adepta, quod scilicet hominibus vera esse cognita est. (Sicut actus *primus* dicitur perfici ab actu *secundo*, ita fides operibus perficitur, quia operando se declarat.) *Et impleta est scriptura, credidit Abraham Deo, &c.* ubi adcurate observandum, apostolum non absolute argumentari ex dicto illo Geneseos: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, sicut apostolus Paulus, Rom. IV. 3. facit, qui contrarium potius ex eo deducit, videlicet Abrahamum coram Deo justificatum esse fide, & non ex operibus; sed Jacobus argumentatur ex complemento illius dicti, quod insigni illo opere Abrahamus fidem suam testatus sit, quo quidem opere completa sit scriptura, quæ de Abrahamo dicit: *credidit Deo*; perinde ut Petrus Act. XIII. 32. & 33. in resurrectione Christi completum esse ostendit, quod dicitur Psalm. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Conclusio ergo Jacobi sic accipienda, ut præmissis exacte respondeat, & ex illis sponte sequatur. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo*, id est, justus coram hominibus declaratur, & non ex fide tantum, hoc est, non ex nuda fidei professione. Opera sola sine fidei professione non justificant, hoc est, vere fidelem christianum arguunt; nec sola professio fidei sine operibus justificat, sive justum & vere fidelem declarat, sed fidem & opera oportet esse conjuncta; verus enim christianus is demum censendus, qui fidem in Christum publice profitetur, ac operibus professioni illi consentaneis eandem demonstrat. Pergit apostolus, & alterum ex scripturis profert exemplum, quo probat, nudam fidei professionem non sufficere ad fidei & justitiæ testimonium; v. 24. *Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios & alia via ejiciens?* Auctor epistolæ ad Hebræos cap. XI. v. 31. testatur Rahabam fide non periisse cum incredulis, hanc fidem concepit ex auditu verbi & miraculorum divinorum, ut patet Joh. II. 9, 10, & 11. eandem testata est insigni illo opere, quod recepit nuncios Israëliticos, erat enim hoc cum præsentissimo vitæ periculo conjunctum. Sic ergo fide, id est, professione fidei & operum testimonio laudem justitiæ consecuta est. Tandem similitudine quadam declarat apostolus me-

(*) Paulus agit de justificationis *consecutione*, Jacobus de justificationis *declaratione* seu testificatione. Fides cooperatur Abrahami operibus non in actu justificationis, Abraham enim jam tum erat justificatus, sed in exercitio & declaratione justitiæ acceptæ. *Fides enim duxit eum ad opera*, ut Thomas h. l. exponit. Pererius in disp. I. cap. IV. Rom. num. 4. *Cuicunque operanti fides cooperatur, & docens, quid agendum sit, & incitans ad agendum, & moderans in agendo, & dirigens actionem in eum finem, ad quem referri res oportet, & fulciens & sustinens agentem, ne deficiat & ab agendo desistat.* Hæc ille rectissime. Ex operibus fides Abrahami fuit consummata, non quasi opera fuerint forma fidei, effectus enim non informat causam, sed ut Dionysius Carthus. exponit, *quia magnitudo fidei, qua tunc Abraham credidit Deo, postmodum est adprobata Deo ac aliis declarata per hoc, quod filium suum paratus fuerit Deo offerre, tunc itaque publice & quasi consummate innotuit, quod antea Deo & Abrahamo fere soli notum erat, Abrahamum nimirum tantopere Deo fidere posse.* Perficitur fides per bona opera, sed perfectione *externa* sive *demonstrativa*, non vero *essentiali*. Non aliter ac apud Aristotelem libro X. ethic. cap. 4. dicitur *voluptatem perficere actionem virtuosam* scilicet ut finis quispiam postea accedens & perfectionem actionis demonstrans, uti ipsemet sese ibidem explicat. GERHARDUS.

taphoram v. 17. usurpatam de fide sine operibus mortua: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* v. 26. Vetus interpres vocabulum πνεύματος sine articulo positum recte reddidit per spiritum, id est, respirationem, sicut passim in scripturis non *essentialiter*, sed *effective* hæc vox usurpatur, præsertim si absit articulus; ut sit sensus: Quemadmodum corpus sine respiratione, quæ est immediatus animæ ἐνσωμάτε effectus, ac certum vitæ testimonium, est & judicatur mortuum, eodem modo fides, hoc est, externa fidei professio sine operibus est mortua, & inane quoddam simulachrum, vita & motu destitutum: πνεύματος vocem non posse hoc loco accipi de anima, ostendimus superius §. 121. sequeretur enim, opera esse formam fidei internam, quod ne ipsi quidem Pontificii volunt. Refero huc verba Bellarmini libr. I. de justif. 15. *Vita non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis, sed per metaphoram dicitur fides viva, cum operatur, mortua, cum non operatur.* Breviter: 1.) Paulus agit de justificatione adhuc consequenda; Jacobus de demonstranda hominibus justificatione jamdum per fidem obtenta. 2.) Paulus considerat hominem justificandum in foro poli: Jacobus hominem justificatum in foro soli. 3.) Paulus cum iis agit, qui justificationis modum & causas ignorabant: Jacobus de illis, qui justificationis modo recte cognito, nequiter illo ad licentiam carnis abutebantur. 4.) Paulus agit de fide interna, vera & justificante: Jacobus de exteriori fidei professione, & historica notitia. 5.) Paulus agit de fide in actu justificationis adprehensione Christi occupata: Jacobus urget fidei exercitia in operibus pietatis. 6.) Paulus agit de justificatione interna coram Deo: Jacobus de justificatione externa coram proximo. 7.) Paulus agit de justificationis causis: Jacobus de justificationis effectis & testimoniis. Atque hæc est genuina interpretatio hujus secundi capitis, cujus vestigia in scriptis veterum quoque occurrunt. Augustinus in enarrat. Psalm. XXXI. *Jacobus ipsius Abrahae commendavit opera, cujus Paulus fidem, & non sunt sibi adversi apostoli. Dicit autem Abrahae opus omnibus notum. Abraham filium suum immolandum Deo obtulit: magnum opus, sed ex fide; laudo super aedificationem operis, sed video fidei fundamentum: laudo fructum boni operis; sed in fide agnosco radicem.* Ibidem: *Nemo jactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in operibus accepta fide.* Idem in libris octog. trium quæstionum quæst. LXXVI. *Cum Jacobus bona opera commemorat Abrahae, quae ejus fidem comitata sunt, satis ostendit, Paulum apostolum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus, quasi si quis credideri, non ad eum pertineat bene operari, sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, quae est in fide.* Ibidem: *Justificatus per fidem quomodo potest nisi juste deinceps operari? Ideo exemplo Abrahae & apostolus Paulus utitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; & Jacobus, quia fidem ipsius Abrahae opera bona consecuta esse demonstrat.* Thomas Aquinas in cap. III. Gal. *Dicendum, quod nemo justificatur in lege, hoc est, per legem, nam per eam cognitio quidem peccati habebatur, ut dicitur* Rom. III. *sed non habebatur per eam justificatio, ex operibus enim nemo justificatur.* Postea sibi objicit; Jac. II. *dicitur, nonne Abraham justificatus est ex operibus*, respondet autem, *justificare potest accipi dupliciter, vel quantum ad exsecutionem & manifestationem justitiae, & hoc modo justificatur homo, hoc est, justus ostenditur ex operibus operatis, &c.* Ibidem: *Opera non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius exsecutiones, & manifestationes justitiae.* Hæc Thomas Glossa ord. Jac. II. *Abraham per opera quae fecit, justus non fuit, sed sola fide: Oblatio vero ejus est opus & testimonium fidei & justitiae.* Bellarmino hæc nostra interpretatio non probatur, ideo libr. I. de justif. c. 15. testimonio tertio, quinque argumentis conatur probare, *Jacobum non loqui de umbra quadam fidei,* (quod dicit velle Calvinum) *sed de vera fide, quae omnino justificat, si non desint cetera requisita.* libr. IV. de justif. c. 18. disputat, *Jacobum docere, quod operibus bonis homo justus magis justificetur,*

atque

atque adeo fiat justior. Resp. de *secunda* justificatione per opera suus erit dicendi locus, hac vice respondemus, Jacobum agere de professione fidei in genere, cui si respondeant opera, veram & vivam fidem esse; sin minus, mortuam & falsam esse concludit, argumenta igitur Bellarmini nos non feriunt. Verba apostoli satis diserta sunt: ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, non ergo de fide in sese, sed de externa fidei professione agit, quam bonorum operum testimonio comprobandam esse arguit.

§. CXCII. *Quartum* argumentum petit Bellarminus ex illis testimoniis, quæ docent, *in ecclesia esse bonos & malos*, ut Matth. III 12. 22. 25. ubi variis similitudinibus hoc ipsum declaratur. *Omnes illi, qui sunt in ecclesia, habent fidem. At quidam eorum, qui sunt in ecclesia, sunt mali. Ergo fides eorum, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, potest esse conjuncta.* Resp. 1.) Ambiguitas quatuor terminos syllogismo inducit. Fidelis dicitur *vel* de eo, qui professetur christianam fidem, hoc modo omnes christiani sunt & dicuntur fideles, respectu scilicet habito ad ethnicos infideles, *vel* de eo, qui veram & salvificam fidem, quæ per caritatem efficax est, non habet, & hac ratione multi in ecclesia non credunt. 2.) Regerit Bellarminus, nos *petere principium*; at superius clarissime evicimus, fidem non solum esse notitiam historiæ, sed etiam fiduciale Christi adprehensionem, qua impœnitentes, increduli & Epicuræi secure indulgentes peccatis destituuntur, licet sint in externo ecclesiæ cœtu, & fidem christianam profiteantur. 3.) At, inquit Bellarminus, *nunquam reprehenduntur mali hoc nomine, quod fidem amiserint, sed quod opera omiserint.* Matth XXII. 12. *reprehenditur, qui non habet vestem nuptialem, non alia de causa, nisi quia vestem illam non habet. Illa autem vestis, interprete Hieronymo, Chrysostomo, & Gregorio caritatem significat.* Matth. XXV. 12. *non reprehenduntur virgines fatuae, nisi quod oleum, hoc est, opera misericordiae non habuerint, & in eodem cap. 25. non damnantur ii, qui ex grege dominico a sinistris erunt nisi propter mala opera, non autem propter carentiam fidei. Nec incestuosus Corinthiacus, nec Ananias & Saphira, nec Simon magus arguuntur propter infidelitatem, sed propter alia peccata.* Resp. fides vera & salvifica non ita incurrit in oculos, ut externa opera, quid ergo mirum, facinorosos in ecclesia propter exteriora delicta potissimum adcusari? ex eo tamen colligi haudquaquam debet, quod veram & salvificam fidem adhuc habeant, quinimo diserte scribit apostolus, *eum, qui suorum curam non habet, fidem abnegasse.* 1 Tim. V. 8. ac de Alexandro & Hymenæo adserit, quod *repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragium fecerint.* 1 Tim. I. 19. Neque vero concedimus, incredulitatem in malis non argui a Spiritu sancto, quinimo contrarium diserte testatur Christus Joh. XVI. 8. *Spiritus sanctus cum venerit, arguet mundum de peccato.* v. 9. *quia non credunt in me;* ex quo loco recte colligit Augustinus, *incredulitatem esse principale & capitale illud peccatum, quo manente, cetera quoque manent.* Rom XI. 20. *Per incredulitatem ex olea vitae & salutis* Judæi dicuntur *excisi.* Per *vestem nuptialem* Matth. XXII. 12. primario ac proprie intelligitur vera & salvifica fides juxta interpretationem apostoli Gal. III. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.* v. 27. *Quicunque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis,* hæc est *ornatus sanctitatis.* Psalm. CX. 3. *Vestis salutis & pallium justitiae.* Esaj. LXI. 10. quo *teguntur* peccata nostra. Psalm. XXXII. 1. Hac veste nuptiali destituuntur hypocritæ, siquidem vera illa fides cum contritione & serio pietatis studio semper est conjuncta: ubicunque est vera illa fides, qua Christum adprehendimus, & in *dilecto illo* a Deo *diligimur;* Eph. I. 6. ibi immediate sequitur, ut per sanctam vitæ conservationem *Christum* etiam *induamus,* Rom. XIII. 14. quod alibi vocatur *induere novum hominem.* Eph IV. 24. Id ipsum docent pii veteres. Basilius in cap. IX. Esaiæ. tom. III. p. 448. *Sane Christianorum vestimentum obnubens peccati turpitudinem fides est, qua in Christum credimus, quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Origenes hom. XX. in Matth. *illos* dicit *carere nuptiali veste,*

4.) *In ecclesia sunt boni & mali.*

ſte, qui Chriſtum non induerunt. Ambroſius libr. IV. de fide c. 1. vocat *nuptiale fidei veſtimentum.* Chryſoſtomus hom. XLI. operis imperfecti tom. II. col. 1043. *Nuptiale veſtimentum eſt fides vera, quae eſt per Jeſum Chriſtum & juſtitiam ejus.* Auguſtinus libr. II. quæſt. evangelicarum q. 13. *ſine veſte eſſe, eſt fide vera deſtitui.* Alibi tamen caritatem & bona opera per *veſtem nuptialem* intelligunt, quod nobis non adverſatur. Si enim per veſtem nuptialem intelligere volumus eam, propter quam & per quam Deo placemus, id eſt, illam juſtitiam, quæ nos Deo gratos reddit, coram Dei judicio conſiſtit ac turpitudinem noſtram tegit, requirit fidei analogia, ut de juſtitia Chriſti per fidem adprehenſa explicetur. Si vero per veſtem nuptialem intelligere cupimus eam, in qua Deo placemus, hoc eſt, totum illum decorem & ornatum, qui eſt in renatis, explicanda erit de fide cum ſuis fructibus Gal. V. 22. deſcriptis; hæc enim omnia in piis & renatis Deo placent. Per *oleum* in parabola de virginibus fatuis non abſurde intelligitur conſolatio ex verbo evangelii, hæc enim eſt oleum illud, quo lychnus fidei in cordium lampadibus alitur, ut lucem bonorum operum de ſe ſpargat. Neque tamen nobis adverſatur, quod Auguſtinus libr. LXXXIII. quæſt. q. 59. & Hieronymus in comment. Matth. XXV. per lampades intelligunt virtutum opera; exſtinctis enim lampadibus ipſe quoque fidei lychnus deficit, hoc eſt, neglecto bonorum operum ſtudio vera fides exſtinguitur, vel potius exſtincta judicatur.

f) Nihil impedit caritatem a fide ſeparari.

§. CXCIII. *Quintum* argumentum petitur a propria ratione fidei & caritatis. *Si fides & caritas inter ſe disjungi non poſſent, vel id ex eo fieret, quod una eſſet de ratione alterius, vel certe quod una neceſſario naſceretur ab altera. Neutrum autem dici poteſt; non primum, quia fides & caritas ſunt duae diſtinctae virtutes: nec ſecundum; etſi enim caritas oriatur ex fide, tamen non oritur ut propria paſſio, quae neceſſario fluit a ſubjecto, ſed ut virtus, ad quam alia diſponit & inclinat.* Reſp. 1.) Fides ita deſcribitur ab apoſtolo, non quod tantummodo diſponat ad caritatem, ſed quod per eam *efficax* ſit. Gal. V. 6. fidei ergo hæc eſt natura & proprietas, quod per caritatem ſe ſe exſerat, & repetenda hoc loco omnia argumenta, quæ pro ſententiæ noſtræ confirmatione ſuperius produximus. 2.) Quamvis ergo fides & caritas ſint diſtinctæ virtutes, ex eo tamen non ſequitur, quod poſſint invicem ſeparari, aliud enim eſt διαίρεσις, aliud ἀφαίρεσις; aliud diſtingui, aliud ſeparari. 3.) Bellarminus fidem intelligit de nuda notitia, & adſenſu, quid ergo mirum, quod ſtatuat, hanc fidem ſolummodo diſponere & inclinare ad caritatem; nos autem agimus de vera & ſalvifica illa cordis fiducia, qua evangelicam promiſſionem de remiſſione amplectimur, Chriſtum recipimus, vivo cœleſtis conſolationis ſenſu perfundimur, & Spiritu ſancto donamur; ab hac fide quomodo abeſſe poterit caritas? qui ſummum illud bonum vere agnoſcit, ejuſdemque particeps fit per fidem, quomodo non amplecteretur illud per caritatem? In cujus corde lux fidei oritur, quomodo bonorum operum radios ex ſe ſe non ſpargeret? 4.) Quæ de comparationibus a noſtris ad hujus rei declarationem adhibitis Bellarminus addit, & diſſimilitudines in eis quærit, ea facilem habent explicationem, neque enim neceſſe eſt paradigmata καθόλα & omni ex parte convenire: ipſi ſane Pontificii fatentur, *fidem eſſe radicem ac genitricem bonorum operum*, jam vero radix & genetrix non ſolum diſponendo & inclinando, ſed vere producendo agunt in arboris & fœtus fructificatione. 5.) *Operationem caritatis ſimilitudine ignis in ſcriptura declarari concedimus*; concedat nobis viciſſim Bellarminus, operationem fidei conferri luci, quæ radios bonorum operum de ſe ſpargit; nec caritas agit per fidem, ſed *fides agit per caritatem*, ut diſertis verbis apoſtolus adſerit Gal. V. 6.

6.) Juſtificatio etiam penderet ab operibus.

§. CXCIV. *Sextum* argumentum continet deductionem ad abſurdum. *Si fides neceſſario conjuncta eſt cum dilectione & operibus bonis, conſequens eſt, juſtificationem hoc ipſo, quod pendet a vera fide, pen-*

pendere etiam *ab operibus & dilectione, quae est impletio legis, ac per hoc neminem certum esse posse, se esse justificatum, atque omnino impossibilem esse justificationem.* Resp. 1.) Est in argumento fallacia consequentis; non enim quia fides justificans non est sine operibus, inde consequens est, ipsam justificationem pendere ab operibus, ut ostendimus superius; diversa enim sunt haec enunciata: *fides est sine operibus, & fides justificat sine operibus.* 2.) Nec dilectio tanquam forma quaedam fidem perficit, aut veram eam efficit, sed ex fide tanquam fructus oritur, & fidem veram esse ostendit, cum haec sit veræ & justificantis fidei natura, ut adprehensa in Christo justitia per dilectionem se se exserat. 3.) Aliud ergo est ex bonorum operum testimonio de fide judicare, aliud vero ipsam justificationem operibus tribuere; prius haudquaquam incertam vel impossibilem reddit justificationem, cum non respiciatur vel quantitas vel meritum bonorum operum; posterius autem conscientiis territis omnem consolationem eripit, & justificationem incertam adeoque impossibilem facit, nemo enim certus esse potest, se tantum habere bonorum operum, quantum requiritur ad justificationem; imo quilibet conscientiæ testimonio convincitur, se non habere tantum bonorum operum, quantum requiritur ad perfectam legis impletionem & justificationem promerendam. 4.) Certitudo justificationis proprie immediate & quoad nos non dependet a caritate, sed ex fide & interno Spiritus sancti testimonio. Rom. VIII. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei.* 1 Joh. V. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se ipso.* Caritas testatur de fide, cujus necessarium consequens est, & aliis, ad quos se se profert, justificationem nostram persuadet. Quæ ex patribus *septimo* loco Bellarminus adducit, loquuntur vel de fide historica, vel de externa ejusdem professione, quid autem de vera, justificante, & salvifica fide statuant, ex superioribus manifestum. 7.) *Patrum dicta.*

CAPUT IV.

DE CAVSA FORMALI JUSTIFICATIONIS.

Causa formalis justificationis. §. CXCV. Exposita natura & proprietatibus veræ fidei, quæ est causa *instrumentalis* justificationis, restat, ut ad causam ejusdem *formalem* descendamus. Bellarminus libr. II. de justif. cap. 1. objicit nostris inconstantiam in explicanda forma justificationis. *Lutherus aliquando fidem, aliquando Christum ipsum fide adprehensum causam formalem justificationis statuit. Philippus fidem nobis pro justitia imputari dicit, addit tamen non propter ipsam fidei virtutem, sed propter Christi meritum nos justos coram Deo reputari, dici autem nos fide justificari, quia fides adprehendit Dei misericordiam. Osiander narrat viginti discrepantes sententias de justificatione, ipse autem docet formalem causam justificationis esse illam ipsam justitiam, qua Deus essentialiter justus est. Illyricus scribit, justitiam, quam Deus imputat, non esse qualitates, aut virtutes nostras, neque ipsam Dei essentiam, sed totum opus, quod Christus Deus & homo in una persona mediator noster pro toto genere humano praestitit. Calvinus statuit imputari quidem nobis Christi justitiam, & propter eam condonari peccata, sed tamen in ipsa peccati remissione proprie sitam esse justitiam. Bucerus duplicem introducit justitiam, unam imperfectam, quae sita sit in virtutibus nobis inhaerentibus; alteram perfectam, quae sit Christi justitia nobis imputata. Bucero adsentiuntur Piggius & auctores antididagmatis Colonienſis.* Ex his quinque discrepantes opiniones & errores de justificatione Bellarminus colligit: 1.) formalem causam justificationis esse fidem: 2.) formalem causam justificationis esse Christi obedientiam & justitiam nobis imputatam: 3.) formalem causam justificationis esse justitiam Dei essentialem nos inhabitantem: 4.) formalem cau-

sam justificationis duplicem esse justitiam imputatam.

Argumenta Osiandro opponenda.

§. CXCVI. Salmeron hoc quinario numero contentus esse noluit, ideo tom. XV. comm. pag. 25. viginti duas discrepantes de justificatione sententias Lutheranis tribuit: nobis cum Bellarmino res erit, cui respondemus, tertiam & quintam ex his sententiis nobis non posse tribui. Quod enim Osiandri errorem (*) attinet, (de quo vide Sleidanum libr. XXII. p. 700.) is nostrorum scriptis protritus ac sopitus est, antequam Bellarminus manum scriptioni admovit (**). Opponenda autem sunt huic opinioni sequentia fundamenta. 1.) Justificatio nostra definiente apostolo Rom. IV. 7. ex Psalm. XXXII. 1. consistit in remissione peccatorum. Atqui ubi est essentialis Dei vel Christi justitia inhabitans, ibi non opus est peccatorum remissione. 2.) Scriptura docet justificationem consistere in imputatione justitiæ sive obedientiæ illius, quam Christus mediator nostri loco præstitit, ut infra docebimus. Ergo causa formalis justificationis non est essentialis Dei vel Christi justitia in nobis habitans. 3.) Quicquid est ignis consumens, eo non sumus formaliter justi: Atqui justitia Dei essentialis est ignis consumens. Ergo justitia Dei essentiali non sumus formaliter justi. 4.) Justitia, qua coram Deo sumus justi, revelatur in evangelio. At justitia Dei essentialis proprie loquendo non revelatur in evangelio, quod est lætum nuncium de misericordia Dei & beneficiis Christi, lex autem est speculum justitiæ divinæ. 5.) Essentiali Dei justitia nemo justus est, nisi solus Deus, quemadmodum essentiali Dei omnipotentia nemo est potens, nisi solus Deus, siquidem essentia & essentialia idiomata Dei sunt ἀκοινώνητα omnibus creaturis extra ὑπόστασιν λόγου existentibus. Quod si credentes ab essentiali Dei justitia inhabitante essent ac dicerentur justi, utique etiam ab inhabitante essentiali Dei omnipotentia essent omnipotentes. 6.) Opinio illa, quod essentiali Dei justitia formaliter simus justi, tollit finem incarnationis, & nefariam introducit naturarum in persona Christi distractionem. Si enim essentiali Dei justitia sumus justi, quid opus fuit Filium Dei incarnari & in adsumta humana natura pro peccatis nostris tanto labore satisfacere? Si essentiali Dei justitia sumus justi, consequens erit, Christum sola sua divinitate, non etiam humanitate esse nostram justitiam, cum tamen Christus mediator dicatur nobis a Deo factus justitia &c. 7.) Gratiosa Dei inhabitatio est consequens justificationis. Ergo non ipsa forma. Antecedens patet, quia oportet personam prius Deo reconciliari & peccata, quæ nos elonginquant a Deo, remitti, antequam homo fiat domicilium & templum Dei.

An duplex sit forma justificationis, justitia imputata & inhærens?

§. CXCVII. Quod ad quintam opinionem attinet, formalem causam justificationis esse duplicem, justitiam nobis inhærentem & Christi justitiam imputatam, ea itidem non potest nostris ecclesiis tribui. Quid enim nobis cum Piggio Romanæ sedis patrono? Bucero quidem eandem tribuit Bellarquando Cochlæus scribit, *dilectionem, qua justificamur, esse ipsum Deum*, & Cotterus in enchir. c. 6. p. 264. *donum justitiæ nobis infusæ esse Spiritum sanctum*, quod fortasse mutuatus est a Lombardo, qui caritatem, qua diligimus Deum & proximum, vocat *Spiritum sanctum* libr. I. dist. 17. §. 2. Ex his sic argumentamur: donum justitiæ nobis infusæ est forma justificationis nostræ. Donum justitiæ nobis infusæ est Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus est forma nostræ justificationis. Viderit ergo Bellarminus, quomodo sibi conveniat cum socio, antequam refutet Osiandrum libr. II. de justif. cap. 6. GERHARDUS.

(*) Osiandri de hoc argumento sententiam copiose recensebimus, eandemque sub examen theologicum vocabimus in historia dogmatis de justificatione.

(**) Osiander cent. XVI. hist. eccl. libr. III. c. 1. parentis errorem interpretatur *non de justificatione ipsa, sed de renovatione, hoc est, non quasi sensisset, inhabitantem essentialem Dei justitiam opponendam esse coram judicio Dei terroribus conscientiæ, sed Deum in homine jam reconciliato habitantem facere, ut homo reipsa justus fieret, hoc est, per Spiritum sanctum renovaretur, ut juste vivere inciperet.* Viderint autem Pontificii, quam procul absint ab Osiandrismo, ut

Bellarminus, sed in articulis Ratisbonensibus, ex quibus eam deducere conatur, tale quid non occurrit. Verba articuli V. sic habent: *Etsi is, qui justificatur, justitiam accipit & habet per Christum etiam inhaerentem: tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli justitiae Christi nobis donatae, sine qua nulla omnino est, nec esse potest justitia.* Fatemur & nos, per Christum nobis contingere iustitiam inhærentem, cum utrumque sit Christi beneficium & regeneratio & renovatio, sed justitia illa inhærente formaliter coram Deo nos justos esse, id vero pernegamus, rationibus illis moti, quas paulo post ex scripturis adducemus. Somniat Bellarminus, quod virtutes, quæ sunt in nobis per Dei gratiam, nullo modo dignemur justitiæ nomine; at hoc foret disertissimis scripturæ dictis repugnare, præsertim apostolico illi pronunciato 1 Joh. III. 7. *qui facit justitiam, justus est.* v. 8. *qui facit peccatum, a diabolo est.* Concedimus igitur & interiorem hominis renati renovationem & externa ejusdem bona opera esse & vocari justitiam; sed justitia illa vel *habituali* vel *actuali* nos coram Deo consistere posse & formaliter justos esse, id vero negamus, cum utraque sit imperfecta & multis peccatorum sordibus contaminata.

An nostri dissentiant in causa formali justificationis.

§. CXCVIII. Remotis igitur tertia & quinta opinionibus, reliquas tres sententias, si ex mente scriptorum recte explicentur, dicimus esse subordinatas, non autem contrarias. Qui enim in peccatorum remissione iustificationem statuunt, imputationem iustitiæ Christi minime excludunt, cum propter Christum peccata nobis condonari statuant. Agnoscit hoc ipse Bellarminus libr. II. de iustif. cap. 2. ubi scribit, *Calvinum*, (quem quartæ opinionis patronum fecerat) libr. III. instit. cap. 11. §. 3. *disertis verbis justificationem in peccatorum remissione & justitiae Christi imputatione constituere.* Cur igitur sententiam Calvini a secunda seiunxerat? Qui fide nos iustificari statuunt, loquuntur de fide, non ut est qualitas nobis inhærens, sed ut Christi iustitiam adprehendit. Idem ergo est, sive dicas, iustificari nos fide, nimirum adprehendente Christum, sive per Christum, Christi merito, Christi obedientia & iustitia nos iustificari, nimirum fide adprehensa, sive fidem, quæ Christum adprehendit, imputari nobis ad iustitiam, sive iustificari nos Dei misericordia, scilicet imputante nobis per fidem Christi meritum, sive denique iustificari nos remissis peccatis, nempe propter Christum fide adprehensum. Hæ ac similes propositiones recte & apostolice explicatæ non pugnant invicem, sed amicissime conspirant, cum causam *principalem, meritoriam, instrumentalem & formalem* iustificationis coniunctim exponant. Justificamur enim fide, scilicet Christi beneficia in evangelii verbo oblata adprehendente & in Christo gratiam Dei, qui propter meritum Christi credentibus peccata remittit, & iustitiam eius, hoc est, totam obedientiam legi præstitam ipsis imputat. *Forma* igitur iustificationis est remissio peccatorum & imputatio iustitiæ Christi, sive, quod idem est, imputatio fidei, ea enim fides imputatur nobis ad iustitiam, quæ obedientiam Christi adprehendit, sibique adplicat, ut a Deo acceptetur, ac si nos ipsi obedientiam illam præstitissemus. Qui ipsam fidem vocant formam iustificationis, loquuntur de fide, ut adprehendit Christum & nihil aliud dicere volunt, quam obedientiam Christi fide adprehensam esse nostram coram Deo iustitiam; item, hunc esse modum ac *formam* quasi iustificationis, ut fide adprehendamus Christi iustitiam. Quemadmodum enim vestis ornat virum, interim tamen requiritur induitio, quæ est velut adplicatio vestis, ita iustitia Christi est *ornatus ille sanctitatis*, Psalm. CX. 3. *vestis salutis*, Esa. LXI. 10. *ornatus filiae regis*, Psalm. XLV. 10. adeoque *nuptiale* illud ἔνδυμα, quod nos gratos ac probatos Deo reddit, interim requiritur adplicatio eiusdem, hoc est, fiducialis Christi adprehensio, quæ est veluti ἔνδυσις atque induitio quædam (ut ita loquar) pretiosæ illius vestis, ubi quilibet videt, induitionem non esse ipsum ornatum, sed conditionem quandam necessario requisitam, sive adplicationem: pari ratione fides in se ac per se non est tanti pretii, ut pro-

pter eam atque illius merito & dignitate coram Deo simus iusti, interim tamen per eam fit adplicatio iustitiæ Christi, pretiosi illius vestimenti, in quo & per quod Deo placemus.

An remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi differant?

§. CXCIX. Tria igitur nobis demonstranda sunt: 1.) formalem causam justificationis esse gratuitam peccatorum remissionem: 2.) Formalem causam justificationis esse justitiæ per Christum partæ imputationem: 3.) Formalem causam justificationis non esse vel *habitualem* vel *actualem* justitiam nobis inhærentem. Antequam vero argumenta nostra producamus, prius hoc monemus. Quamvis gratuita peccatorum remissio & justitiæ per Christum partæ imputatio, docendi gratia duæ quasi partes justificationis a quibusdam vocentur; (unde statuunt *causam formalem justificationis esse geminam, privativam & positivam*, quidam vocant *geminum imputationis modum*) illas tamen vel *realiter* a se invicem non differre, vel certe a se invicem separari non posse (*). Cum apostolus in propria sede hujus doctrinæ Rom. IV. 5. probaturus, justificationem fieri per imputationem justitiæ sine operibus v. 6. adferat testimonium Davidis ex Psalm. XXXII. 1. in quo tantum remissionis sive non imputationis peccatorum fit mentio, jam vero quorum unum de altero directe adfirmatur, & unum per alterum reciproca adfirmatione probatur, ea non differunt *realiter*, vel certe ab invicem separari nequeunt. Adde, quod remissio peccatorum complectatur non solum peccata commissionis, sed etiam peccata omissionis, cuicunque igitur propter Christum fide datur remissio peccatorum, illi eo ipso perfecta Christi justitia imputatur, hoc est, propter Christum condonatur, quod commissum, & imputatur, quod omissum, ac proinde qui fide in Christum a Deo justificatur, pro perfecte justo censetur, quasi nihil eorum, quæ contra legem Dei fecit, commiserit, nec quicquam eorum, quæ facere debuit, omiserit, inde est, quod in compluribus scripturæ locis per solam peccatorum remissionem, justificatio describatur, ubi nemo dixerit, vel imputationem justitiæ Christi excludi, vel imperfectam justificationis definitionem proponi, sed connotatur simul imputatio justitiæ Christi, propter quem peccata credentibus remittuntur. Eo ipso quod justitia persolutionis Christi nobis imputatur, nostra injustitia debitorum non imputatur, sed tegitur. Observavit hoc Lutherus, unde verba apostoli Rom. III. 25. *ad ostensionem justitiae per remissionem praecedentium delictorum*, sic παραφράζει, *damit er die Gerechtigkeit, die für ihm gilt, darbiete, in dem, daß er die Sünde vergibt, &c.* Quod ut rectius intelligatur, repetimus ex Chemnitio, Deum justissimum peccatorum judicem & vindicem non remittere peccata vel per errorem, vel ignorantiam, vel incuriam aut levitatem, vel etiam iniquitatem, hæc enim omnia a natura Dei sunt alienissima, sed ut remissio peccatorum fieri possit, requiritur perfecta legis impletio, & perfecta pro peccatis satisfactio, siquidem coram Dei justissimi judicio justificatio sine justitia non habet locum, proinde peccatorum remissio fundatur in Christi justitia, propter quam fide adprehensam Deus nos in gratiam recipit, & peccata nobis remittit, & vicissim remissis peccatis justitiam Christi imputat; ideoque nec remissio pec-

(*) *Unus est imputationis actus, sed modus ejus geminus* ὑφηγητικὸς *scilicet &* θετικὸς. Weinrichius disp. de justif. *Duo in se complectitur imputationis actus.* 1.) ἄφεσιν. 2.) θέσιν. *Nam peccata, quae in nobis sunt, non imputantur, & haec vocatur remissio peccatorum. Vicissim justitia Christi, quae in nobis non est, nobis accepta fertur, & haec vocatur Dei acceptatio.* Balduinus de justif. *Duo sunt in quovis peccato, a quo in judicio Dei justificandi seu absolvendi sumus, vitium & supplicium, ut loquitur Augustinus libr. XXII. de civ. Dei cap. 24. illud tollitur imputatione justitiae Christi, quae etiam pertinet ad* ἀπολύτρωσιν, *hoc remissione peccatorum, proprie enim poena remittitur, quando culpa non imputatur, & hoc notatur voce* παρέσεως. Idem in cap. III. Rom. Forma justificationis est imputatio tum *negativa*, peccatorum videlicet nobis inhærentium non-imputatio seu remissio; Psalm. XXXII. 1. Luc. I. 77. Rom. III. 25. 2 Cor. V. 19. tum *adfirmativa*, justitiæ videlicet Christi nobis non inhærentis imputatio seu adplicatio Jer. XXIII. 6. Rom. IV. 5. 1 Cor. I. 30. 2 Cor. V. 21. GERHARDUS.

peccatorum sine imputatione justitiæ, nec imputatio justitiæ, sine remissione peccatorum plene definiri potest, sed non imputatio peccatorum est imputatio justitiæ, & imputatio justitiæ est non imputatio sive remissio peccatorum. Id quidam sic efferunt: remissio peccatorum & imputatio justitiæ dicuntur partes justificationis non secundum *rem*, sed secundum *rationem*, hoc est, non integrantes totum, quasi neutra illarum sit justificatio, sed distinguentes unum justificandi actum diversorum terminorum respectu: sicut cum homo vestitur, eodem actu nuditas tegitur & vestimentum induitur, partes tamen vestituræ distinctæ sunt tectio nuditatis & induitio vestis, non re, sed τῷ λόγῳ ratione terminorum a *quo* & ad *quem*: sic in justificatione peccatoris, quæ vestituræ in scripturis comparatur, partes τῷ λόγῳ differentes ratione terminorum *a quo* & *ad quem* remissio peccatorum & imputatio justitiæ, licet sint unus justificationis actus τῷ ἕνᾳ. Mentzerus id declarat exemplo obedientiæ Christi, in qua & actio & passio elucet. Item exemplo peccati originalis, quod complectitur & carentiam justitiæ & pravam concupiscentiam. Ut ergo per expressam mentionem passionis denotatur etiam *activa* Christi obedientia, per expressam mentionem pravæ concupiscentiæ tota originalis peccati natura, ita remissio peccatorum in plena & perfecta significatione connotat imputationem justitiæ Christi, & vice versa imputatio justitiæ Christi connotat peccatorum remissionem.

§. CC. Quare cum remissio peccatorum & imputatio justitiæ a Christo partæ realiter unum sint, consequens est, omnia illa testimonia, quæ probant, nos justificari remissis per fidem peccatis, simul etiam probare, jure, justitiam Christi per fidem nobis imputari. Vicissim cum remissio peccatorum & justitia inhærens in actu justificationis non possint simul consistere; (quamvis in justificato optime simul consistant) ideo omnia illa testimonia, quæ probant justificationem nostram consistere in remissione peccatorum, simul etiam probant, nos non justificari justitia nostra inhærente, quid enim opus foret alienam justitiam nobis imputari ad remissionem peccatorum, si nostra justitia coram Deo possemus consistere?

§. CCI. His ergo præmissis secuti ductum & ordinem, quem in refellendis sententiæ nostræ firmamentis Bellarminus observare voluit, producimus hæc argumenta. *Prima* classis petita est ex epist. ad Rom. I.) Vox *justificationis* Rom. IV. 5. 8. &c. est *forensis*, ac idem notat, quod justum pronunciare vel absolvere, proinde non potest infusionem justitiæ significare. Justificatio est Dei absolventis a peccatis actio. Jam vero absurdum est, formam divinæ actionis in aliqua nostra qualitate ac habitu statuere, adeoque summa rerum genera, quæ vocant *prædicamenta*, confundere. Excipit Bellarminus libr. II. de justif. cap. 9. *Verbum justificandi significare justum facere, sicut magnificare, glorificare, mortificare, significat magnum, glorioſum ac mortuum facere.* Resp. Ostendimus superius §. 4. & seqq. non ex grammatica latinæ vocis compositione, sed ex usu scripturæ & ipsis fontibus de vera hujus vocabuli significatione statuendum esse. Rom. V. 19. verbum *justificari* exponitur per *τὸ constitui justum*, at illud ipsum καταςῆναι forense est ac judiciale, ut docet condemnationis oppositio, qua de re suo loco plura.

Argumentorum nostræ sententiæ classis prima.

1.) Vox justificationis est forensis.

§. CCII. II.) *Fides imputatur ad justitiam* Rom. IV. 5. nimirum quatenus adprehendit sibique adplicat Christi justitiam (*). Ex quo loco sic argumentamur: Justificatio nostra consistit in imputatione justitiæ Christi, sive quod idem est, in imputatione fidei Christum adprehendentis ad justi-

2.) Fides imputatur ad justitiam Rom. IV.

(*) Socinus in lib. quod evang. p. 20. phrasin Paulinam *nobis imputari justitiam* explicat per hanc, *credentes in Deum pro justis haberi*. Resp. si propriam & inhærentem justitiam intelligit, principium petit & textui vim facit, si alienam, se ipsum refellit, nec ullam aliam, quam Christi justitiam, nominare poterit. GERHARDUS.

justitiam. Ergo non infusione justitiæ inhærentis. Excipit Bellarminus, *vitiosam esse hanc interpretationem, quod reputari fidem ad justitiam, sit nobis imputari Christi justitiam, si fide illam adprehendamus: primo cum fides non sit justitia Christi, sed nostra; deinde cum imputare non significet nudam existimationem, sed talem existimationem, cui veritas in re ipsa respondeat, ut adparet ex illis verbis: ei, qui operatur, merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum.* Resp. 1.) Sane fides non est ipsa Christi justitia, interim tamen eam recipit, sibique adplicat, ac proinde est relatio quædam inter Christi justitiam & fidem, quatenus eam adprehendit. Loquitur autem apostolus de fide, non ut est qualitas nobis inhærens (eo enim respectu non justificat, cum sit obedientia unius tantum præcepti, sit imperfecta & iam ante debita) sed ut redemtionem Christi adprehendit. Cum enim præcedente capite dixisset, *justificari nos per redemtionem, quae est in Christo, quem proposuit Deus propitiatorium in sanguine ejus per fidem;* iam ostendit, fidem redemtioni illi inhærentem ad iustitiam imputari, nimirum propter suum correlatum, quod adprehendit ac recipit. 2.) Fides non est iustitia Christi, hoc est, ea, qua Christus *essentialiter* iustus est, sed & iustitia nostra; interim non est iustitia nobis inhærens, sed imputatur nobis ad iustitiam, quia iustitiam a Christo adquisitam adprehendit, inde phrasin hanc, quod fides nobis imputetur ad iustitiam, sic exponit apostolus Rom. III. 22. quod *justitia Dei* (sit) *per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes credentes*, v. 26. quod *Deus justificet eum, qui est ex fide Iesu Christi.* 3.) Scriptura non solum adserit, fidem nobis imputari ad iustitiam, sed etiam *Christum esse nostram justitiam*, Jer. XXIII. 6. cap. XXXIII. 16. *in ipso nos habere justitiam*, Esa. XLV. 24. *ipsum esse nobis factum a Deo justitiam*, 1 Cor. I. 30. *in ipso nos fieri justitiam*, 2 Cor. V. 21. Cum ergo Christus & fides simul dicantur nostra iustitia, consequens est, fidem ideo esse & dici nostram iustitiam, quia Christi iustitiam adprehendit ac nostram facit. 4.) Imputatio omnino significat talem existimationem, cui veritas subest. Cum enim fides iustitiam a Christo partam adprehendit, vere nos iustos Deus pronunciat, non quidem propter iustitiam aliquam nobis inhærentem, sed propter iustitiam Christi fide adprehensam, nobisque imputatam. Neve pergat Bellarminus imputationem opponere veritati, producimus evidens argumentum ex 2 Cor. V. 21. *Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Sicut Christo imputata sunt peccata nostra, ut pro illis satisfaceret; ita quoque nobis credentibus iustitia Christi imputatur, ut per illam coram Deo iustificemur. Ecquis vero dixerit, Christo non fuisse vere imputata peccata nostra, cum pro eis tantopere laboraverit? Sed de imputatione paulo post plenius agetur. 5.) Hac vice monemus, apostolum imputationem facere duplicem, unam secundum *debitum*, alteram secundum *gratiam*. Imputatio secundum *debitum* dicitur, *quando ei, qui operatur, merces imputatur ex debito*, Rom. IV. 4. Imputatio secundum *gratiam* dicitur, *quando ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* v. 5. Imputatio secundum *debitum* fundamentum habet in ipso homine, cui fit imputatio, ut quando merces imputatur operanti, ubi est relatio & proportio inter mercedem & opera; ac merces imputatur propter opera, quibus ex debito competit. Imputatio secundum *gratiam* fundamentum habet non in eo, cui fit imputatio, sed in gratia, misericordia & favore imputantis. Imputatio, quæ fit in iustificatione hominis coram Deo, pertinet ad *posteriorem* speciem, ut diserte apostolus docet, ac fundamentum habet non in ipso homine; (is enim est impius, est miser peccator, cui ex debito, & secundum iustitiam damnatio competit) sed in Dei gratia & misericordia, quia Deus misericors in ea imputat credentibus obedientiam & satisfactionem Christi. Has duas imputationis species cum Bellarminus confundat, apostolico textui nebulas inducit.

§. CCIII. III.) Justificatio definitur per remissionem peccatorum & non imputationem iniquitatum, Rom. IV. 6. 7. 8. quæ defi-

3.) Iustificatio definitur per remissionem peccatorum.

definitio cum sit plena & perfecta, consequens est, non iustificari hominem inhærente quadam iustitia. Antecedens declaramus & confirmamus parallelis scripturæ locis. Luc. I. 17. docet Zacharias baptistæ pater *scientiam salutis*, hoc est, veram iustitiæ & vitæ æternæ consequendæ rationem *consistere in remissione peccatorum*. Luc. XIII. 14. Publicanus a peccatis absolutus, *descendit justificatus in domum suam*. Act. XIII. 38. *Per Christum annunciatur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari;* ubi itidem in remissione peccatorum statuitur justificatio. Sic quod *Christi sanguine justificari* dicimur Rom. V. 9. id eo modo fieri exponitur 1 Joh. I. 7. quod *mundemur Christi sanguine a peccatis nostris*. Ergo absolutio a peccatis est nostra coram Deo justificatio. Excipit Bellarminus 1.) Psalm. III. *eundem prophetam dicere: Beatus vir, qui timet Dominum.* Et Psalm. CXIX. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, ubi non fit mentio remissionis peccatorum, sed tantum pars quaedam sive aliquod requisitum justificationis ponitur, idem judicium esse de loco ex* Psalm. XXXII. *adducto.* Resp. est elenchus parium. In his & similibus locis non describitur modus vel meritum, vel causa justificationis coram Deo, cum justificatio non sit ex operibus, sed exprimuntur effectus & qualitates hominum justificatorum. Paulus loquitur de re ipsa, videlicet de *forma* justificationis: dicta citata loquuntur de *persona* justificatorum. Repetimus igitur argumentum nostrum: apostolus Rom. IV. velut in propria sede & ex professo tractat articulum justificationis, eamque definit per remissionem peccatorum; absit vero ut dicamus, apostolum imperfectam quandam definitionem in adcurata illa tractatione proponere. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, ideo subjungit: 2.) *At non hoc fine apostolus adlegat testimonium psalmi, ut definiat integre justificationem, sed solum ut probet justificationem esse ex dono Dei, nec posse propriis verbis obtineri.* Resp. apostolus ex dicto psalmi non solum *causam*, sed & *modum* justificationis probat, non solum fontem justificationis, qui est gratuita Dei misericordia, ostendit, sed etiam docet in peccatorum remissione justificationem consistere; ac proinde excludit non solum vires naturæ, sed etiam gratiæ, hoc est, ipsa renatorum opera ex gratia facta, dum Abrahami etiam renati opera a justificatione excludit, dum ex Davide probat, beatificationem esse hominis, cui Deus imputat justitiam absque operibus, ac dum credenti in eum, qui justificat impium, non opera, sed fidem ad justitiam imputari adserit. Statuimus igitur plenam justificationis definitionem ab apostolo proponi. 3.) *Contineri quidem in his verbis definitionem integram, sed implicite, cum remissio peccatorum non possit fieri, nisi infundatur justitia, quomodo non fugantur tenebrae, nisi succedat lumen.* Resp. πρῶτον ψεῦδος est in falsa definitione remissionis peccatorum, quam Bellarminus definit per totalem deletionem; scriptura per non imputationem. *Beati*, inquit apostolus ex psalte regio, *quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Remittitur ergo & tegitur peccatum, non ut non sit, sed ut non imputetur, qua de re in tractatu de peccatis actualibus, in explicatione quæstionis: An concupiscentia in renatis reliqua sit peccatum? uberrime diximus. 4.) *At*, inquit Bellarminus, *ex non imputatione peccatorum colligit apostolus imputationem justitiae, ac per hoc docet, non posse duo ista separari remissionem peccati, & donationem justitiae.* Resp. remissio peccatorum non fit sine quadam justitia, cum judicium Dei sit secundum veritatem, sed illa justitia non quædam nobis inhærens qualitas, sed justitia Christi merito parta, & per imputationem nobis donata, ac proinde remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi neutiquam a nobis separantur. Quod si per justitiam Bellarminus inhærentem intelligit, (ut intelligit) dicimus, inhærentem illam justitiam sive donum renovationis itidem conjunctum esse cum justificatione, interim tamen ab illa distinguendum esse, cum non sit illius pars, sed saltem consequens. Et qua ratione remissio peccatorum, quæ secundum scripturam est in prædicamento relationis, & justitia inhærens, quæ est qualitas, unam justificationis formam constituere poterunt? 5.) *At si Deo aliquid tegitur, hoc ex necessitate deletur & eva-*

evanescit, proinde remissio peccatorum est illorum deletio. Resp. Peccatum tollitur *reatu*, manet *actu*; remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur; respectu igitur reatus vere tollitur ac deletur, non amplius venit in conspectum Dei, interim tamen actu manet, in carne adhuc habitat & per prava desideria sese exserit, qua de re prolixe disseruimus in tractatu germanico de baptismo cap. XVI. p. 93. & sequentib. Nosse debebat Bellarminus μεταφορικῶς καὶ ἀνθρωποπαθῶς hæc prædicari de Deo, sicut etiam dicitur, *faciem avertere a peccatis nostris, peccatorum non recordari*, quando ea condonat & non punit, cum tamen & præterita & præsentia non possint non ipsi esse notissima. 6.) *At non imputationem peccatorum sequitur necessario infusio justitiae, cum Deus non possit falli non imputando id, quod imputari deberet.* Resp. Fundamentum imputationis illius, quæ fit in justificatione nostra, non consistit in nobis, sive in quadam justitia nobis infusa & inhærente, sed in Dei misericordia & gratia, qui credentibus justitiam Christi imputat, nequaquam igitur de debito quodam imputandi hic cogitandum, quod tantummodo locum habet in operante, cui merces secundum debitum imputatur. Distinguendum etiam est inter imputationem *divinam & humanam.* Homines nec auctoritatem, nec potestatem habent imputandi alicui crimina ac pœnas sive virtutes & præmia, quæ non habent in eo fundamentum, qui enim innocentem condemnat, & impium absolvit, abominatio est coram Deo, sed solus Deus αὐτεξουσίως & αὐτοκράτως jus illud habet & in redemtione generis humani exercet, ut Filio suo innocentissimo & sanctissimo imputet totius mundi peccata & debitas peccatorum pœnas; ac vicissim obedientiam & justitiam Filii imputat miseris peccatoribus vera fide ipsum amplexis. Quid quod ex rebus humanis hæc imputatio quodammodo declarari potest? Quemadmodum enim debitum remittitur propter solutionem ab alio præstitam, quæ a creditore acceptatur, & debitori imputatur: ita quoque propter præstitam a Christo satisfactionem Deus remittit peccata credentibus, & justos eos pronunciat. 7.) *Quaedam teguntur, ut conserventur, quaedam ut deleantur, quomodo vulnera emplastro teguntur; ita quoque peccata intelligenda sunt tegendo deleri.* Resp. Acceptamus hoc simile. Quemadmodum enim vulnera emplastro tecta non statim & in momento sanantur & delentur, sed tantum incipiunt sanari: ita quoque vulnera peccatorum nostrorum teguntur merito justitiæ Christi, velut salutari quodam emplastro, non solum ut non adpareant amplius in conspectu Dei, sed etiam ut sanentur & deleantur; sed in hac vita illud fit tantummodo *imputative* atque *inchoative*, in altera demum vita fiet *consummative.* Proinde hoc simile ipsi Bellarmino repugnat, qui statuit, peccatum sic remitti ac tegi, ut in ipsa remissione statim deleatur & exstinguatur, at quis unquam vidit vulnus prima emplastri impositione statim persanatum? Vulnere sublato non amplius dici potest, quod tegatur, sed quæcunque dicuntur tegi, adhuc sunt & manent, etiamsi propter eum finem tegantur, ut deleantur; ἀπαιδεύτως igitur distinctas quæstiones Bellarminus confundit: de *fine*, propter quem peccata teguntur, non est hoc loco quæstio, sed an tegantur & tegendo non imputentur. Denique ne pontificii per violentam textus detorsionem, imputationem & infusionem justitiæ ulterius confundant, opponimus eis hoc argumentum: Si imputare justitiam, est plane delere peccatum, & infundere justitiam, consequens erit a contrario sensu, quod imputare peccatum sit delere justitiam & infundere iniquitatem, quod est absurdum. Regerit Bellarminus, *esse disparem rationem, cui enim Deus imputat peccata, in eo sunt peccata, ac proinde non esse necessarium, ut Deus infundat peccata, vel justitiam deleat: Item non imputare peccatum, & imputare peccatum esse contradicentia, non contraria: proinde a contrario sensu itidem colligenda esse duo contradicentia, infundere justitiam & non infundere justitiam, non autem duo contraria, infundere justitiam & infundere iniquitatem.* Resp. argumentum adhuc stat invictum. Imputare justitiam & non imputare peccatum, divo apostolo sunt ἰσοδυναμοῦντα. Ergo si imputare justitiam significat eam infundere, sequitur, quod imputare peccatum itidem sit illud infun-

fundere. Quæritur hoc loco de vera significatione vocis *imputandi* apud apostolum, quam non posse per infusionem exponi, evidenter argumento isto probatur, cujus vim non poterit Bellarminus ferre. Adde, quod peccatum & justitia vere sint contraria; jam vero contrariorum uno adfirmato alterum negatur, & contra: ergo si non imputare peccatum est infundere justitiam, utique imputare peccatum erit infundere injustitiam.

§. CCIV. IV.) Rom. V. 19. dicimur *in judicio Dei justi constituti per Christi obedientiam.* Ergo non per inhærentem nobis justitiam. Excipit Bellarminus, *obedientiam Christi esse causam efficientem justificationis, non autem formalem, sicut Adami inobedientia constituit nos peccatores non formaliter, sed efficienter.* Resp. Obedientia Christi est & causa *meritoria* & causa *formalis* nostræ justificationis diverso scilicet respectu. *In se* ac per se considerata est causa *meritoria*, quatenus vero per fidem adprehenditur, nobisque adplicatur, est causa *formalis* nostræ justificationis. Utitur apostolus verbo *constituendi*, quod est forense ac judiciale, docet igitur justificationem nostram esse actum quendam iudicialem, in quo peccator propter Christum a peccatis absolvitur, & iustus in iudicio Dei pronunciatur. Urgemus etiam apostolicam oppositionem inter *condemnare & justificare* v. 18. *peccatores constitui & justos constitui* v. 19. Ut condemnare & peccatores constituere non est iniustitiam infundere, ita quoque iustificare, & iustum constituere non est iustitiam infundere. At inquit Bellarminus: *Peccatum Adami ita nobis imputatur, ut tamen etiam haereat in nobis, idem ergo de Christi justitia statuendum erit.* Resp. Comparatio non est extendenda ultra illud tertium, propter quod instituitur. Quomodo vel Adami inobedientia vel Christi obedientia nobis imputetur, eo in loco ex professo non docet apostolus, cum præcedente cap. 3. & 4. illud satis diserte exposuerit. Peccatum ex Adamo in nos propagatur per carnalem generationem, alia vero ratio est iustitiæ Christi, quæ non inhæret nobis, sed per fidem imputatur. Quamvis enim etiam hoc sit beneficium Christi, non minus quam peccatorum remissio per ipsius meritum nobis partum, quod regenerati spiritu mentis suæ renoventur, ac novam obedientiam inchoent; interim quia renovatio illa, & nova obedientia in hac vita est imperfecta, ideo nec potest, nec debet iudicio Dei opponi, ac proinde in ea & ex ea non est quærenda iustificatio. Quare si ad adplicationem transferenda est apostolica oppositio, iuxta fidei analogiam talis erit instituenda. Quemadmodum ei, qui nascitur ex Adamo, imputatur prævaricatio Adæ, ex qua sequitur carentia Spiritus sancti & dominatio spiritus maligni: ita ei, qui renascitur in Christo, id est, credit in Christum, imputatur obedientia & iustitia Christi, ex qua sequitur donatio Spiritus sancti, qui incipit in hoc nomine carnem mortificare. Brentius in confess. Wirtemb. p. 295. De tota hac re uberius dictum fuit supra §. 11.

4.) *In judicio Dei constituimur justi per Christi obedientiam.*

§. CCV. V.) Rom. X. 3. *qui volunt στῆσαι statuere* seu constituere *propriam suam* sive inhærentem, sive actualem *justitiam, non subjiciuntur justitiae Dei.* Ergo quærenda est alia, quam nostra inhærens & actualis iustitia. Excipit Bellarminus, *justitiam nostram dici, quae propriis viribus sine gratia Dei paratur, aut parari creditur, ac reprehendi Judaeos, qui legem Dei se propriis viribus implere posse credebant.* Resp. 1.) Judæi iustitiarii non excludebant Dei gratiam, ut patet exemplo pharisæi Luc. XVIII. 10. & 11. qui hoc nomine Deo gratias agit, quod non sit adulter, fur, raptor, &c. ideo virtutes illas dona Dei esse agnoscit. 2.) Justitia inhærens est omnino nostra iustitia, licet ex dono Dei sit nostra. Et animam & corpus & omnia bona ex Dei dono habemus, nihilo tamen minus nostræ dicuntur animæ, nostra corpora, ac nostra bona. *Nostra etiam sunt, quae sunt gratiae*, ait Petrus a Soto in scholiis ad confessionem Wirtemb. c. de iustif. *quia gratia facit, ut nos faciamus.* 3.) Ostendimus superius ex *actu* iustificationis excludi omnia omnino opera,

5.) *Rom. X. Qui volunt suam justitiam constituere justitiae Dei, non sunt subjecti.*

non solum ea, quæ fiunt naturalibus liberi arbitrii viribus, sed etiam ipsa renatorum opera, quod exemplo Abrahæ & Davidis Rom. IV. adducto fit manifestissimum; ac perpetua est oppositio apud Paulum inter evangelium & legem, fidem & opera, gratiam & opera, gratiam & debitum. 4.) Justitia fidei vocatur *justitia Dei*, non solum quia a Deo donatur, (in eo enim non differt a iustitia operum) sed quia credentibus a Deo imputatur, & coram ipsius iudicio subsistit. 5.) Quid intelligat apostolus per Dei iustitiam, quam Judæorum iustitiæ opponit, ibidem satis manifeste exponit, addit enim, *Christus est finis legis ad justitiam omni credenti.* 6.) Nec est, quod Bellarminus cavilletur, *per doctrinam de imputata Christi justitia beneficium ejusdem extenuari, quasi non veram & absolutam, sed imputatitiam tantum & relativam justitiam tot suis laboribus & doloribus comparaverit:* cesset enim calumniosa illa oppositio inter iustitiam *veram & imputatam.* Christi iustitia est verissima & perfectissima iustitia, cum plene & perfecte legem impleverit; eadem Christi iustitia per imputationem fit tam vere nostra iustitia, quam vere Christo in judicio Dei imputata sunt peccata nostra. Præterea nequaquam dicimus, Christum suis laboribus & doloribus tantummodo imputatam illam iustitiam nobis promeruisse, sed addimus, quod etiam donationem Spiritus sancti nobis promeruerit, per quem *interior noster homo de die in diem renovatur*, 2 Cor. IV. 16.

Altera argumentorum classis. 1.) Christus factus est nobis a Deo justitia. 1 Cor. I.

§. CCVI. *Altera* classis argumentorum petita est ex epistolis ad Corinthios: I.) Apostolus docet, cap. I. 30. *Christum esse nobis factum a Deo justitiam*, cum quo loco conjungimus propheticum illud Jer. XXIII. 6. & XXXIII. 16. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum* (Messiam) *Jehovah justitia nostra.* Si Christus factus est nobis iustitia, utique ipsius iustitia per fidem nobis imputatur, hanc enim vim habent pronomina illa *nobis & nostra.* Excipit Bellarminus libr. II. de justif. c. 10. *Christum dici nostram justitiam, non quod justi simus ea justitia, quae est in Christo nobis imputata, sed duabus aliis de causis. 1.) Quia Christus est causa efficiens nostrae justitiae, sicut Deus dicitur fortitudo & salus nostra, & quemadmodum Christus dicitur ibidem sapientia & redemtio nostra, atque alibi pax nostra, quia scilicet nos redemit, sapientes fecit & Patri suo reconciliavit. 2.) Quia satisfecit pro nobis Patri, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Et hoc modo* (ait) *non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam & merita, cum nobis donentur & adplicentur, ac si nos ipsi Deo satisfeciissemus, modo non negetur esse in nobis praeterea inhaerentem justitiam, eamque veram & absolutam esse justitiam, cui justo Dei judicio non debeatur poena, sed gloria:* in quam sententiam adlegat illud Bernhardi epist. CXC. ad Innocentium. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit.* Hæc omnia Bellarminus, ex quo non immerito quærimus: 1.) Si non est absurdum statuere, quod Christi iustitia & merita nobis ita donentur & adplicentur, ac si nos ipsi Deo satisfeciissemus, cur tam hostiliter imputationem iustitiæ Christi impugnet, eamque per calumniam iustitiam *putativam* adpellet? 2.) Quare huic perfectissimæ Christi iustitiæ in actu iustificationis conjungat nostram, quæ est imperfecta & multis modis contaminata; plena ac perfecta est Christi iustitia, ergo supplementum operum nostrorum non desiderat; nostra iustitia ita comparata est, ut quotidiana peccatorum remissione indigeamus, quomodo ergo absoluta erit in iusto Dei judicio subsistens? 3.) Si Christi satisfactio ita nobis imputatur, ac si nos ipsi pro peccatis satisfeciissemus, consequens est, iustitiam Christi itidem nobis sic imputari, ac si nos ipsi legem perfecte impleviissemus, ratio connexionis est manifesta, præterquam enim quod in Christi merito obedientia & satisfactio sunt arctissime conjuncta, ac proinde non possint invicem separari, accedit insuper & hoc, quod obedientiæ & satisfactionis Christi in officio redemtionis sit æqualis ratio. Ut enim Christus

non

non pro se, nec pro suis peccatis, sed pro nobis ac nostris peccatis satisfecit: ita quoque non pro se, sed nostri loco legem implevit, ipse enim est dominus legis. Ergo ut satisfactio Christi nobis imputatur, ita quoque ipsius obedientia legi praestita. 4.) Si Christi justitiam & merita Bellarminus nobis adplicari concedit, quærimus, quo illud statuat fieri medio? Certum enim est, Deum non sine mediis nobiscum in negotio justificationis agere: accedit quod Christi satisfactio in se ac per se sit universalis, requiritur igitur certum quoddam medium, cujus ratione fiat, ut huic adplicetur, alteri vero minime. Illud medium non potest esse aliud, quam fides, teste tota scriptura; ecquis enim diceret, vel caritate vel aliis operibus Christi justitiam nobis adplicari? Caritas & opera nostra non sunt manus recipiens, sed potius manus aliis elargiens; cur ergo tanto conatu negat Bellarminus, fidem esse fiducialem Christi adprehensionem? Merito igitur quis miretur, quomodo hæc verba vere evangelica de imputatione satisfactionis Christi conciliare velit cum verbis suis cap. 7. arg. 4. prolatis: *Fieri non potest, ut justitia Christi nobis imputetur:* qua item arte verba illa, quod justitia nobis inhærens sit absoluta, cui justo Dei judicio debeatur non pœna, sed gloria, conciliare velit cum orationibus sanctorum Psalm. CXXX. 3. *Domine si peccata imputare decreveris, quis sustinebit?* Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Dan. IX. 18. *Non in justitiis nostris nos prosternimus coram te, sed in miserationibus tuis multis &c.* cum dicto illo Christi Luc. XVII. 10. *Cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus, quae debuimus facere, praestitimus,* adeoque cum communi omnium vere piorum confessione & experientia, qua se quotidiana peccatorum remissione indigere humiliter & veraciter agnoscunt. Ceterum quod ad *priorem* exceptionem attinet, Christum esse justitiam nostram, quia est causa efficiens nostræ iustitiæ, id vere quidem dicitur, sed non plene. Christus enim etiam eo modo est iustitia nostra, ut *justi simus in ipso.* 2 Cor. V. 21. Ideo *justitia* illa *sempiterna*, quam Christus nobis *adduxit*, Dan. IX. 24. & qua coram Deo consistimus, non hæret in nobis, sed fides in Christo eam quærit & adprehendit. Christus ergo dicitur *nobis factus sapientia*, quia protulit ex sinu æterni Patris evangelium, quod est abscondita sapientia: Psalm. LI. 8. *Iustitia*, quia adplicat nobis suum meritum per fidem: *Sanctificatio*, quia donat nobis Spiritum sanctum: *Redemtio* non solum, quia redemit nos in cruce effusione sui sanguinis, sed etiam, quia in fine mundi liberabit nos ab omnibus calamitatibus. Primum beneficium oritur ex officio Christi prophetico, postremum ex regio, duo media ex sacerdotali.

§. CCVII. II.) Ex 2 Cor. V. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi ipsi non imputans illis peccata eorum*, ita argumentamur: Reconciliatio nostra cum Deo consistit in non-imputatione peccatorum propter Christum. Atqui iustificatio est ipsa reconciliatio cum Deo. Ergo iustificatio consistit in non-imputatione peccatorum. Excipit Bellarminus, *non-imputationem trahere secum peccati remissionem & justitiae infusionem*, quo refert dicta Col. II. 13. *Convivificavit vos Christo, donans vobis omnia delicta, delens, quod adversus vos erat, chirographum decreti;* ubi vivificatio, quæ pertinet ad interiorem renovationem, & donatio delictorum, quæ pertinet ad remissionem peccati, & deletio chirographi, quæ significat omnimodam extinctionem delicti, coniunguntur. Rom. V. 11. cum apostolus dixisset, *per Christum nos accepisse reconciliationem*, paulo post addit v. 17: *abundantiam gratiae & donationis & justitiae accipientes regnabunt in vita per ipsum:* ubi reconciliatio definitur non sola remissione peccatorum, sed acceptione abundantis gratiæ & iustitiæ & donorum. Col. I. 22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso;* ubi effectum reconciliationis clarissime explicari dicit. *Resp.* fatemur & nos, duplex esse Christi beneficium, scilicet peccatorum remissio-

2.) *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi 2 Cor. V.*

nem sive iustificationem & renovationem, cum *duplicia accipiamus a manu Domini pro omnibus nostris peccatis;* Esa. XL. 2. interim tamen hæc non sunt confundenda; renovatio est consequens remissionis peccatorum, etiamsi tempore sint simul. Probandum igitur erat Bellarmino, nos reconciliari Deo per illud ipsum renovationis donum, sed hoc adlegata dicta non probant, quin potius distinguunt inter reconciliationem, quam docent fieri non imputatione peccatorum, & inter collationem donorum. Fide in Christum datur nobis remissio peccatorum, quæ *dividebant inter Deum & nos* Esa. LIX. 2. Ergo fide in Christum reconciliamur Deo, cuius reconciliationis consequens est donatio Spiritus sancti & interior renovatio.

3.) *Eum, qui non noverat peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum.* 2 *Cor. V.*

§. CCVIII. III.) Ex eiusdem cap. V. versu 21. *Eum, qui non noverat peccatum,* (Deus) *pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Ut Christus factus est peccatum, hoc est, insignis peccator per imputationem nostrorum peccatorum, sic nos efficimur iustitia Dei, hoc est, insigniter iusti coram Deo per imputationem iustitiæ Christi. Ut Christo imputata sunt peccata nostra, ita nobis imputatur Christi iustitia. Augustinus in enchiridio ad Laurent. cap. XLI. *Ipse ergo peccatum & nos iustitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis factus est.* Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius eodem modo textum apostolicum interpretantur (*). *Christus factus est pro nobis peccatum,* hoc est, *insignis peccator,* quod agnoscit etiam Ruardus Tapperus, scriptor pontificius, art. 8. tom. II. p. 27. Refero huc parallela scripturæ loca. Esa. XLV. 24. *In Domino iustitia & fortitudo mea.* Rom. III. 24. *Iustificamur per redemtionem, quae est in Christo.* Act. XIII. 39. ἐν τούτῳ *in eo omnis, qui credit, iustificatur.* Gal. II. 17. *Quaerimus iustificari* ἐν χριστῷ. Phil III. 9. *Ut reperiar in Christo non habens meam iustitiam ex lege sed eam, quae est per fidem Iesu Christi &c.* quæ omnia evidenter testantur, iustitiam, quæ coram Deo valet, in Christo fide quærendam esse. Col. II. 10. *In Christo estis* πεπληρωμένοι *perfecti & absoluti.* Excipit Bellarminus, 1.) *Christum non dici peccatum, hoc est, peccatorem, neque imputari illi peccata nostra, quasi ipse illa fecerit & iniquus haberi possit, sed solummodo imputari illi quoad debitum satisfaciendi, quod ipse sponte susceptit, ex quo non peccator, sed justus dici meretur.* 2.) Iustitiam Dei interpretatur triplici modo: a.) *pro justitia divina, quae est in Christo, tanquam capite nostro, cuius nos sumus membra;* b.) *pro justitia inhaerente, quae dicitur Dei, quia a Deo nobis donatur:* c.) *pro effectu & imagine justitiae Dei. Ut Christus factus est pro nobis peccatum, id est, adsumsit similitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato: ita nos efficimur justitia Dei per similem tropum, quia recipimus inhaerentem justitiam, quae est effectus & similitudo quaedam justitiae Dei.* Resp. 1.) Christum eo modo factum esse peccatum, ut fieret victima pro peccato, libenter concedimus, sed per illud non excluditur, sed potius stabilitur imputatio peccatorum nostrorum Christo facta, inde enim & ideo Christus factus est victima pro peccatis mundi, quia coram Dei iudicio eadem ipsi imputata, qua de re sic loquitur Spiritus sanctus: Esa. LIII. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrorum.* v. 12. *portavit delicta multorum;* ubi observa coniungi in dicto prophetico hæc duo, quod Christus & pœnas peccatorum, & peccata nostra in se receperit. Joh. I. 29. *Ecce agnus Dei* ἀίρων *suscipiens,* portans & *tollens peccata mundi;* ubi respicit baptista ad sacrificia vet. test. in quibus peccata sacrificantium typica quadam imputatione trans-

(*) Chrysostomi verba in comm. h. l. sunt: *Justum fecit Deus peccatorem, ut peccatores faceret justos. Imo neque sic dixit, sed quod multo majus erat. Non enim habitum posuit, sed qualitatem, non dixit peccatorem, sed dixit peccatum, ut nos fieremus, non dixit justi, sed justitia & justitia Dei. Dei enim est ista, quando non ex operibus, sed a gratia fit justificatio.* GERHARDUS.

transferebantur in hostias; cumprimis vero observandus est typus hirci emissarii Lev. XVI. 21 (*). *Posita utraque manu super caput hirci confiteatur Aaron omnes iniquitates filiorum Israël & universa delicta atque peccata eorum, quae imponens capiti illius emittet eum per hominem paratum in desertum.* v. 22. *Ut hac ratione hircus omnia illorum delicta portet super se in desertum &c.* quem hircum fuisse typum Christi (**) nemo potest negare. 1 Petr. II. 24. *Peccata nostra ipse pertulit (ἀνήνεγκεν) in corpore suo super lignum.* 2.) Nec est, quod cavilletur Bellarminus, *Christum non imputative, sed vere factum esse victimam pro peccato*, neque enim dicimus, victimam Christo imputatam esse, sed propter peccata nostra, vere in judicio Dei ipsi imputata, ipsum victimam factum esse dicimus. Tam vere & efficaciter imputata sunt Christo peccata nostra, quam vere ipse pertulit pœnas peccatorum nostrorum, dolores, mortem, crucem &c. quinimo cum factus sit pro nobis *maledictum*, Gal. III. 13. quomodo negari potest imputatio peccatorum nostrorum ipsi facta? Ubicunque enim vibratur fulmen divinæ maledictionis, ibi respectus habetur ad peccata, vel per inhæsionem, vel per imputationem, cum judicium Dei sit justum & ex veritate. Atqui contra Christum vibratum est fulmen divinæ maledictionis. Ergo respectus habitus fuit ad peccata. Jam vero in Christo non fuerunt peccata per inhæsionem, cum ipse sit omni ex parte innocens. Ergo per imputationem, propter quam sibi ipsi transscribit peccata nostra Psalm. LXIX. 6. *Domine tu scis stultitiam meam, & debita mea non sunt coram te abscondita;* interim tamen quia eadem ipsi nec *formaliter* inhærent, nec *actualiter* ab ipso sunt perpetrata, ideo notanter præmittit, *quae non rapui, cogor exsolvere.* v. 5. ipse enim in se & sua persona est justissimus ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Heb. VII. 26. 3.) Evidenter igitur ex dicto apostoli probatur beatissima illa commutatio, qua Christus in se recepit peccatum nostrum, ut donaret nobis justitiam suam. Ut enim ipse in se justissimus & sanctissimus factus est peccatum per imputationem peccatorum nostrorum; ita nos in nobis peccatores efficimur justitia Dei seu justi coram Deo per imputationem justitiæ Christi; id quod Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenii expositio in hunc locum manifeste comprobat. Ambrosius ibidem: (Christus) *factus caro non immutatus, sed incarnatus factus est peccatum &c. Propter quod autem omnis caro sub peccato est, ideo factus caro factus est peccatum. Et quoniam oblatus pro peccatis, non immerito peccatum factus dicitur, quia & hostia in lege, quae pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur &c. Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud Deum in Christo.* Bernhardus serm. I. de circumcis. *Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari.* 4.) Quod ad triplicem significationem justitiæ Dei attinet, respondemus, si per justitiam Christi in prima expositione intelligitur iustitia *personae*, id est, qua Christus in se *essentialiter* iuxta divinam naturam iustus est, tunc dicimus, expositionem eam esse incommodam; non enim iustitia illa personæ, sed iustitia officii seu obedientiæ, (ut loquitur formula concordiæ p. 584.) hoc est, ea, quam in officio mediatoris agendo & patiendo acquisivit, iusti sumus. Sin vero de iustitia *officii* terminus intelligitur, satis commoda sunt illa Bellarmini verba. *Iustitia Dei* (inquit) *nos dicimur, non in nobis, sed in Christo, quia ipse est caput nostrum, & quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut sunt membra distincta a capite, sed ut faciunt unum & sunt unum cum ipso capite.* Addimus autem, per fidem nos Christo inseri & membra mystici huius corporis effici, fides ergo est, quæ peccata nostra in Christum transfert, & iustitiam Christi nobis applicat, atque hac ratione beatissimam illam unio-

(*) Huncce locum copiose illustravimus in adnotationibus nostris ad *tom. VI. locor. theol. Gerhardi p. 13. seqq.*

(**) Conferenda, quæ hanc in rem diximus *loc. cit. p. 15, 16.*

nem & permutationem efficit. Secunda & tertia significatio coincidunt, scilicet, quod iustitia Dei accipienda sit pro iustitia a Deo nobis eo modo donata, ut formaliter nobis inhæreat. Atqui interpretatio illa hoc loco stare nequit, dicimur enim effecti *justitia Dei in Christo;* (non in nobis) jam vero inhærens iustitia non est in Christo, sed in nobis. Refero huc egregium illud dictum Rom. VIII. 3. *Quod impossibile erat legi, quia infirmabatur per carnem; Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum, ut δικαίωμα justificatio legis* (perfectissima illa obedientia & iustitia, quam lex a nobis flagitat) *impleretur* (non a nobis, sed) *in nobis.* (videlicet per fidem, quæ in Christo perfectam illam obedientiam invenit & adprehendit.) 5.) *At,* inquit Bellarminus, *in Christo est idem, quod a Christo & per Christum.* Resp. hac ratione transitus sit a causa formali ad efficientem & meritoriam. Utrumque apostolus adserit, iustificari nos propter Christum, & iustificari in Christo, utrumque igitur acceptandum, nec alterum alteri opponendum. Ut per fidem sumus in Christo, ita per eandem efficimur iustitia Dei in ipso, & ut Christus factus est pro nobis peccatum per imputationem, ita nos efficimur iustitia Dei in illo per imputationem. Justitia Dei, cuius hoc loco fit mentio, opponitur peccato, quod Christus pro nobis factus est, vi ergo oppositionis alia iustitia intelligi nequit, quam quæ Christus nobis factus est in suo officio; quæ per fidem nobis imputatur, sicut Christo imputata sunt peccata nostra.

Tertia classis argumentorum: 1) Eph. I. Deus nos gratos habuit in dilecto.

§. CCIX. *Tertia* classis argumentorum depromitur ex epistola ad Ephesios. 1.) Eph. I. 6. *Deus nos* ἐχαρίτωσεν *gratos* & acceptos *habuit in dilecto Filio suo.* Quo modo reddimur Deo grati & accepti, eo etiam modo iustificamur. Atqui grati & accepti Deo reddimur in Christo, *per quem habemus redemtionem in sanguine eius, remissionem peccatorum,* ut apostolus ibidem loquitur v. 7. Ergo etiam in Christo iustificamur, non autem inhærente in nobis iustitia. Excipit Bellarminus libr. II. de iustif. cap. 11. ἐχαρίτωσεν *significat gratiosos nos fecit, nempe non tantum per remissionem peccatorum, sed etiam per donum justitiae animam renovando & exornando, ut simus similes capiti nostro, Christo, alioquin Christus foret monstrum, si tam speciosо & sancto capiti sordida & immunda membra adjungerentur.* Resp. 1.) Fides in actu *justificationis* adprehendit Christi iustitiam, quæ est pretiosa & salutaris illa vestis, quæ tegit nuditatem nostram; cum hac peccatorum remissione & iustitiæ Christi imputatione semper coniuncta est renovatio, qua Spiritus sanctus incipit naturam nostram sanare; venenum peccati extergere, animam mundare &c. sed hæc renovatio in hac vita est imperfecta, ideo per eam non tegitur nostra nuditas coram Dei iudicio, quippe *qui abscondita nostra collocat in lumine vultus sui;* Psalm. XC. 8. *& coram quo omnes nostrae justitiae sunt sicut pannus mulieris menstruatae.* Esa. LXIV. 6. 2.) Verbum χαριτόω bis habetur in nov. test. Luc. I. 28. ubi angelus ad Mariam dicit: χαῖρε κεχαριτωμένη, quod pontificii quidem sic accipiunt, Mariam multis gratiarum donis a Deo repletam esse, sed tutissime sequimur explicationem statim additam v. 30. εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ, eodem igitur modo etiam hoc loco verbum χαριτᾶν accipitur, non pro donorum infusione, sed pro acceptatione in gratiam. 3.) Repetenda hoc loco argumenta superius §. 18. & seqq. adducta, quibus probavimus, gratiam in articulo de iustificatione non significare infusos habitus, sed gratuitam Dei iustificantis misericordiam. Ergo ex coniugatorum natura χαριτᾶν significat in gratiam recipere, gratos & acceptos habere. Urgemus cumprimis locum apostolicum 2 Tim. I. 9. ubi *gratia* illa dicitur *nobis data in Christo ante tempora secularia.* 4.) Id ipsum comprobat res ipsa. Illi enim, quos Deus ἐχαρίτωσεν in Christo, sunt miseri peccatores, morti & æternæ damnationi obnoxii, unde apostolus diserte dicit, quod *Deus justificet impium;* Rom. IV. 5. illos vero Deus sibi gratos & acceptos habet in Christo, fide scilicet adprehenso, *per quem habemus redemtionem in sanguine ejus, remissionem peccatorum secun-*

secundum divitias gratiae ejus, ut ἐξηγητικῶς apostolus subiungit. 5.) Adferimus illustrationis gratia v. 4. *Elegit nos Deus in Christo, ut essemus sancti & irreprehensibiles.* Quemadmodum nostra sanctitas non est pars sive causa, sive meritum nostræ electionis, sed eiusdem finis & consequens; Ita quoque reconciliationis nostræ consequens est & finis. Eædem enim causæ sunt electionis & iustificationis, ut suo loco demonstratum fuit. 6.) Urgemus etiam emphasin verborum ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν ἠγαπημένῳ, quibus verbis non solum significatur, nos omnia bona debere Christo, sed etiam in Christo, & non in nobis ipsis vel nostris operibus fundamentum illius gratiæ & misericordiæ quærendum esse. 7.) Nec tamen ex hac nostra sententia deduci potest illud absurdum, quod Christi corpus mysticum sit quoddam monstrum, siquidem veri credentes mystici illius corporis membra, non solum imputata Christi iustitia vestiuntur & ornantur, sed etiam renovantur spiritu mentis suæ, induunt Christum, non solum fide, sed etiam sancta conversatione Rom. XIII. 14. Cum Christus sit & donum & exemplum, &c. interim tamen hæc renovatio & Christi imitatio in hac vita non est numeris omnibus perfecta, quia sancti quotidie petunt peccatorum remissionem, qua non indigerent, si membra huius mystici corporis a peccatorum sordibus plane & plene essent mundata & per infusam iustitiam undiquaque formosissima.

2.) *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est Eph. IV.*

§. CCX. II.) Eph. IV. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est*; ubi similitudo indumenti indicat, nos iustificari per iustitiam extrinsecam, quæ non inhæret nobis, sed per fidem adprehenditur, & nos tegit atque operit, ne turpitudo nostra in conspectum Dei veniat. Excipit Bellarminus, *similitudinem indumenti optime convenire inhaerenti justitiae;* primo *quia non est naturalis, nec nobiscum nascitur, sed extrinsecus accedit ex infusione Spiritus sancti;* secundo *quia justitia per bona opera distinguit pios ab impiis, sicut per vestes alii ab aliis discernuntur;* tertio, *quia induere secundum hebraicam phrasin significat abundanter & copiose tegere, sic Christum sive novum hominem induunt, qui pleni fide & caritate in omnibus operibus suis Christum imitantur, & ejus doctrinam vitam & mores exprimunt.* Resp. Fatemur, apostolum Eph. IV. 24. proprie & principaliter non de justificatione, sed de renovatione agere, hactenus igitur locus ille est a quæstione alienus. 2.) Interim tamen similitudo indumenti aliis in locis ad justificationem adplicatur. Psalm. LXXXIX. 17. Esa. LXI. 10. Gal. III. 27. &c. dicimus igitur, Christum indui fide in actu justificationis, quando imputatur nobis ipsius justitia; (si Christum induimus per fidem, utique etiam induimur justitia ejus, quæ sic nobis imputatur, ut possimus eam Dei judicio nostro nomine opponere.) deinde etiam indui sancta vitæ conversatione, quando sanctam ipsius vitam imitamur. 3.) Ergo non negamus per induitionem novi hominis intelligi inhærentem justitiam sive renovationem, eiusdemque incrementum, interim tamen connotatur iustitia fidei imputata, quam iustitia inhærens sequitur, & sine ea locum non habet. 4.) Quod tam certum atque evidens, ut ipse Bellarminus id quodammodo agnoscat, sic enim scribit hoc loco: *Potest tamen certo modo adcommodari haec similitudo, ut etiam exemplum patriarchae Iacobi* (qui indutus vestibus primogeniti, ac pro primogenito reputatus, benedictionem & hæreditatem a patre obtinuit Gen. XXVII.) *justitiae imputatae; si quis dicat, oportere, ut induamus merita Christi, & illis quodammodo tecti petamus a Deo indulgentiam peccatorum. Nam solus Christus pro peccatis nostris satisfacere potuit, & re ipsa ex justitia satisfecit; & illa satisfactio nobis donatur & adplicatur & nostra reputatur, cum Deo reconciliamur & justificamur.* Hæc omnia Bellarminus vere evangelice; quæ vero subiungit de dispari ratione satisfactionis & iustitiæ Christi, superius sunt discussa. *Quod unus pro alio satisfaciat* (inquit) *facile intelligi potest, sed quod unus sit justus, quia alius est justus, est omnino inauditum & contra omnem rationem.* At num in ecclesia inauditum sit, Christi iustitiam nobis imputari, paulo

paulo post ex veterum testimoniis manifestum erit: nec tamen ita crude ac nude dicimus nos esse iustos, quia Christus iustus est, sed disertam addimus adplicationis rationem, nimirum iustos nos esse fide in Christum, vera illa & viva fide, quæ Christum respicit ac recipit, qui nostro loco legem implevit, & pro peccatis nostris satisfecit, quæ fides postea per dilectionem efficax est, & iustitiæ operibus sese exserit. 5.) Neve Bellarminus disputet, induendi metaphoram proprie atque unice inhærentem iustitiam denotare, opponimus propriam sui ipsius ratiocinationem libr. de gratia primi hominis cap. 6. *Indumentum est quippiam extrinsecum & superadditum. Iustitia originalis confertur vestimento. Ergo fuit aliquid supernaturale extrinsecum.*

Quarta classis argumentorum.

1.) Act. XIII. per Christum annunciatur vobis remissio peccatorum.

§. CCXI. *Quarta* classis argumentorum petitur ex actis apostolorum & ex parabola publicani. I.) Act. XIII. 38. *Per Christum annunciatur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari.* v. 39. *in hoc omnis qui credit, justus est*, in quo loco quatuor sunt observanda. 1.) Justificationem esse verbum iudiciale, cum declaretur per annunciationem remissionis. 2.) Justificationem definiri per remissionem peccatorum. 3.) Remissionem illam fieri per & propter Christum, non per legem ac nostra opera. 4.) Adplicationem huius beneficii a Christo parti fieri fide. Si iustificatio consistit in remissione peccatorum, quæ datur credentibus in Christum, ac fide eis obtingit, consequens est, non iustificari hominem per ac propter inhærentem iustitiam. Bellarminus in pervertendo hoc dicto apostolico satis operosus est & varias profert exceptiones. 1.) *Per Christum nos justificari ut per causam efficientem, sed phrasi illa non excludi qualitatem infusam, quae est causa formalis justificationis.* Resp. Sane obedientia & satisfactio Christi est causa efficiens meritoria nostræ iustificationis, eadem tamen quatenus per fidem nobis adplicatur & imputatur, est causa iustificationis *formalis*. Bellarminus exclamat, *repugnare hoc rationi, quod Christi justitia statuitur & causa efficiens & formalis nostrae justificationis*; at diversitas respectus facile tollit omnem absurditatem φαινομένην. Solutio alieni debiti respectu solventis est causa *efficiens meritoria*, ob quam debitor non potest conveniri; eadem solutio respectu debitoris, cui a creditore imputatur, est causa *formalis* non conventionis. Satisfactionem Christi esse causam iustificationis *meritoriam*, Bellarminus non negat, eandem satisfactionem Christi nobis imputari concedit, cur ergo quod de satisfactione non invitus concedit, de iustitia Christi negat? cum Christus non solum pro peccatis nostris satisfecerit, sed etiam legem Dei nostri loco impleverit, ut hac ratione & satisfactio & obedientia Christi constituant illam iustitiam, quæ nobis per fidem imputatur. Porro quamvis phrasi illa *per Christum* Bellarmino non videantur exclusæ qualitates nostræ nostraque opera, tamen mentione fidei eadem excludi satis manifestum est, cum in articulo iustificationis sit perpetua oppositio inter fidem & opera. Nomine legis intelliguntur etiam virtutes & opera, quorum norma in lege proponitur, ac lex diserte excluditur, ergo virtutes & opera excluduntur. 2.) *Verbo annunciandi non significari ex sola annunciatione remissionis fide adprehensa homines justificari, sed annunciari remissionem peccatorum iis, qui credunt, ut oportet, implendo videlicet omnia, quae fides implenda demonstrat.* Resp. Sophisticam ambiguitatem illius phraseos *credere, ut oportet*, exposuimus suo loco. Procedit hæc Bellarmini exceptio ex falsa hypothesi, quod fides formetur per caritatem. Ostendimus autem superius, caritatem non esse *formam*, sed *effectum* fidei. *Forma* iustificantis fidei est fiducialis adprehensio Christi in verbo evangelii oblata. Confundit etiam Bellarminus fidem & opera, quæ apostolus in actu iustificationis adcurate distinguenda esse ostendit. Quomodo iustificamur fide & non ex operibus, si vera est paraphrasis Bellarmini: qui credunt ut oportet, hoc est, qui faciunt & implent ea omnia, quæ fides implenda esse demonstrat, iustificantur? nimi-

rum

rum confunditur descriptio formæ & effectus, subjecti & modi, sive justificatorum & ipsius justificationis. Sane fides justificans non solum adprehendit promissionem evangelicam de remissione peccatorum, sed etiam per bona opera sese exserit, & legi divinæ obedientiam præstat, sed ex eo non potest nec debet colligi, quod fructus bonorum operum proferendo justificet, sive quod una cum ea bona opera justificent. *3.) Remissionem peccatorum solam nominari, sed hoc nihil impedire, quo minus justificatio intelligatur constare remissione peccatorum & justitiae infusione, cum remissio peccatorum non sit sola condonatio pœnae, sed etiam ablutio culpae succedente nitore gratiae.* Resp. Sane remissio peccatorum est & condonatio pœnæ & ablutio culpæ, atqui illa ablutio culpæ non est ita comparata, ut ipsa peccati labes ac macula in hac vita penitus eluatur, & funditus eradicetur, quid enim opus foret miserabili illa querimonia apostoli: *Scio, quod in me, hoc est, in carne mea non habitet bonum;* Rom. VII. 18. *habitat in me peccatum;* v. 20. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis,* v. 23. *miser ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Falsam igitur definitionem remissionis peccatorum proponit Bellarminus, quia justitia inhærens sive renovatio non est pars nec causa, sed consequens remissionis peccatorum, quæ contingit sola fide in Christum. Verus nitor ac decor, qui nos Deo gratos reddit, est Christi justitia fide imputata: nitor renovationis ac decor justitiæ inhærentis in hac vita est imperfectus & immundus, perficiendus demum in vita æterna. 4.) *Quamvis hoc loco sola mentio fiat justificationis a peccatis, tamen in aliis multis locis mentionem fieri sanctificationis, mundationis, ablutionis, renovationis & similium, quae alteram justificationis partem ostendant.* Resp. fallacia est consequentis. Fatemur & nos, renovationis donum cum peccatorum remissione conjunctum esse, sed ex eo non potest inferri, quod constituat justificationis partem alteram, quippe quæ sola peccatorum remissione propter Christum absolvitur, cujus consequens est donum renovationis. 5.) *Verbis illis:* a quibus non potuisse in lege Mosis justificari, *illud tantummodo significari, quod observatio legis propriis viribus vel sola ipsa lege iuvante praesumta non justificet, non quod vera legis observatio non sit justitia, sed quod lex ante remissionem peccatorum servari non possit.* Resp. a.) Distinctio illa inter observationem legis per vires proprias & per gratiam Spiritus sancti hic non habet locum, cum generaliter pronunciet apostolus, Rom. III. 20. *ex operibus legis non justificari omnem carnem,* & suo loco ostendemus etiam renatorum opera non habere vim justificandi. b.) Quid quod hoc ipso in loco simpliciter & ἀποτόμως negat apostolus, observatione legis Mosaicæ quenquam potuisse justificari, atque huic legis observationi opponit fidem, quæ justitiam Christi adprehendit, & remissionem peccatorum impetrat. c.) Inter illos, de quibus pronunciat apostolus, quod non potuerint ex lege Mosis justificari, fuerunt multi pii & religiosi viri, quibus suadent apostoli, *ut perseverent in gratia Dei,* v. 43. ex quo adparet, etiam illi legis observationi negari justificationem, quæ a renatis & in gratia Dei constitutis proficiscitur, id quod exemplis Abrahæ & Davidis Rom. IV. manifestissime comprobatur. d.) Per *gratiam* intelligit Bellarminus infusam caritatem, qua peccata expelluntur, & mandata Dei perfecte implentur. Sed suo loco ostendimus, ne quidem renatos legem Dei perfecte implere posse, ideoque ad impletionem mandatorum requiri non solum gratiam renovationis, sed etiam gratiam remissionis. *Tunc omnia Dei mandata facta deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur.* Augustinus libr. I. retract. c. 19.

§. CCXII. II.) Luc. XVIII. in parabola pharisæi & publicani vivum justificationis speculum nobis proponitur. Pharisæus opera sua jactans, & in semet ipso confidens, quod sit justus, repudiatur. Publicanus remissionem peccatorum quærens descendit justificatus in domum suam. Excipit Bellarminus 1.) *Publicanus, cum dixit:* propitius esto mihi peccatori, *non petiit solam*

2.) Luc. XVIII. pharisæus in semet ipso confidens, quod sit justus, repudiatur.

solam debiti condonationem, quasi vellet iniquus esse, sed non haberi a Deo neque puniri, sed petiit integram reconciliationem, & talem obtinuit, unde dicitur exaltatus, quia de peccatore justus, de servo peccati servus justitiae, de filio diaboli filius Dei repente factus est. Resp. Manifestissimum est ex hoc loco, quod justificatio consistat in remissione peccatorum, quæ gratis propter Christum mediatorem contingit, cujus justitia per fidem in vera & seria conversione credentibus imputatur. Fatemur igitur, in nostra cum Deo reconciliatione omnino requiri justitiam, cujus merito atque intuitu Deus remittit peccata; sed justitia illa non est *inhaerens*, cum & pharisæus, de ea tanquam dono Dei gratias agens, illam habuerit; nec tamen justificatus domum redierit, sed est justitia Christi, quam solam Deus in judicio suo acceptat. Publicanus hic de nullis bonis operibus gloriari poterat, sed solam Dei misericordiam propter Christum promissam implorabat, ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ, ait v. 13. respicit igitur ad ἱλαστήριον vet. test. quod tegebat arcam fœderis, in qua tabulæ legis divinæ erant reconditæ, quod propitiatorium fuisse typum Christi docet apostolus Rom. III. 25. Hoc igitur voluit dicere publicanus: O misericors Deus, si ad normam legis divinæ vitam meam velis exigere, & in judicium mecum intrare, non potero consistere, sed fide confugio ad propitiatorium, quod in Messia nobis proposuisti, illius obedientia tegat meam inobedientiam, ne in conspectum tuum veniat. Sic ergo publicanus fide obtinuit remissionem peccatorum, & descendit justificatus in domum suam. Quod exaltatus dicitur, illud potissimum intelligendum est de translatione ipsius e morte ad vitam, e regno satanæ ad regnum gratiæ, e damnatione ad salutem: neque tamen repugnamus, quo minus etiam de renovatione intelligatur, per quam e servo peccati factus est servus justitiæ. Fatemur enim, cum reconciliatione individuo nexu coniunctam esse renovationem, nimirum ut consequens, nequaquam vero ut partem, sive causam: neque aliud quicquam probant dicta illa, quæ renovationem in justificatis ponunt. Removeatur vero calumnia ista, qua oblique nos pungit Bellarminus, quasi statuamus, petendo solam debiti condonationem nos velle iniquos esse, sed non haberi a Deo neque puniri; aliud enim est velle iniquum esse, aliud agnoscere peccatum in carne adhuc habitans, sive, ut apostolus loquitur, aliud est *peccatum habere*, aliud *facere peccatum.* 1 Joh. III. 4. Quid quod non solam peccati condonationem, sed etiam donationem Spiritus sancti, incrementum renovationis & peccati mortificationem petimus; nec tamen in omnibus illis, quæ a Deo petuntur, quæque a Deo nobis donantur, consistit justificatio. 2.) *Pharisæus non ideo postponi meruit publicano, quia dona Dei recensebat, & Deo gratias hoc nomine agebat, sed quia tumore superbiae plenus erat, & in sua justitia ita confidebat, ut nihil sibi addi, nihil ignosci peteret, insuper etiam humilem publicanum contemnebat; alioqui publicanus Zachaeus* Lucæ XIX. *& rex Ezechias* Esaiæ XXXVIII. *bona opera promittentes & praedicantes exauditi sunt a Deo.* Resp. Verissime hoc dicitur, quod ob tumorem superbiæ pharisæus fuerit repudiatus; quis vero fuerit illæ superbiæ tumor, non opus est dubiis conjecturis, cum manifestam habeamus evangelistæ explicationem. Vers. 9. Jesus dicebat ad quosdam πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιπούς, *qui in se confidebant, quod essent justi; & aspernabantur caeteros.* Pharisæus igitur est imago eorum, qui justitiæ laudem coram Deo quærunt in suis operibus, vel, ut apostolus loquitur, Rom. X. 3. *qui suam justitiam quaerunt στῆσαι statuere* & erigere. Fiducia ergo in bona opera est damnatus ille superbiæ tumor, quem absit ut minima ex parte vel Zachæo, vel regi Ezechiæ tribuamus. Commemorant sua opera, non quod fiduciam in illis ponant, & ex illis coram Deo justificari quærant, sed adducunt ea tanquam testimonia veræ conversionis & pietatis, quemadmodum etiam Petrus jubet, *ut electionem & vocationem nostram firmam faciamus*, 2 epist. I. 10. Vere pii reverenter & grato corde agnoscunt dona Dei, gratias Deo agunt pro conservatione in bono, student justitiæ bonorum operum, sed fiduciam cordis in ea haudquaquam collocant, nec in illis justitiam, quæ coram Dei judi-

iudicio consistat, quæruntur, sed cum apostolo dicunt 1 Cor. IV. 4. *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc sum justificatus;* cum Davide suppliciter & humiliter deprecantur *Dei judicium*, Psalm. CXLIII. 2. cum Esaia agnoscunt, *omnes nostras justitias esse velut pannum mulieris menstruatae*, Esai. LXIV. 6. Proinde fiducia iustificationis coram Deo neque ex toto, neque ex parte in opera collocanda, sed in solum Christum, *qui factus est nobis justitia a Deo* 1 Cor. I. 30. Quod si, definiente Bellarmino, est damnatus superbiæ tumor, si quis ita confidit de sua iustitia, ut nihil sibi addi, nihil sibi ignosci petat, quid fiet de monachis, qui iactitant opera supererogationis? Qui bonis operibus adeo se abundare statuunt, ut aliis ea communicare citra salutis suæ detrimentum queant, quid illi ad summam perfectionem sibi deesse crederent? qui peccata renatorum sua natura ac per se venialia esse, nec contra, sed tantum præter legem fieri statuunt, qui pravam concupiscentiam in renatis adhuc hærentem vere peccatum esse negant, quid illi sibi ignosci magnopere peterent?

Hypotheses in hac quæstione observandæ.

§ CCXIII. Atque hæc sunt argumenta illa, quæ ex scripturis Bellarminus pro nostra sententia producit, eademque infringere conatur; quid præsliterit, ex diligenti eorum examine cordatus facile animadvertet. Jubemus autem semper in conspectu haberi has hypotheses: 1.) Justificationem in propria sede definiri per remissionem peccatorum, sive quod idem est, per imputationem iustitiæ. 2.) Esse perpetuam oppositionem in articulo iustificationis inter legem & evangelium, fidem & opera, gratiam & opera, credentem & operantem, gratiam & debitum. 3.) Ipsam renatorum iustificationem definiri per remissionem sive non imputationem peccatorum, & per gratuitam iustitiæ imputationem. 4.) Nusquam caritati, sed ubique fidei iustificationem tribui. 5.) Prædicari in iustificationis negotio caritatem, non nostram, sed Dei. 6.) Iustificationem ubique describi ut actum forensem & iudicialem, in quo homo peccator coram Dei tribunali sistitur, & propter Christi satisfactionem, non autem propter suas qualitates atque opera, ab accusatione legis absolvitur. 7.) Sanctos ubique coram Dei iudicio imperfectionem & immunditiem suam agnoscere, iudicium Dei deprecari, misericordiam eius implorare, & in solo mediatore Christo omnem spem ac fiduciam, omne perfugium & solatium constitutum habere. 8.) Nullam coram Deo ad iustificationem valere iustitiam, nisi quæ sit absoluta cum lege conformitas, quod nec de *habituali*, nec de *actuali* iustitia nostra dici potest. 9.) Adpellatione operum intelligi, non solum exteriores actiones, sed etiam ipsos habitus interiores & virtutes in lege præscriptas; proinde cum opera ex actu iustificationis excludantur, ipsa quoque habitualis iustitia excludi intelligitur. Si novem illæ hypotheses diligenter observentur, facile adparebit, quid de inhærente iustitia statuendum sit.

Testimonia veterum.

§. CCXIV. *Quinta* classis argumentorum petita est ex patribus, ubi tria tantum testimonia adfert Bellarminus, sed produci possunt longe plura. Præterquam enim quod ad hunc locum pertinent omnia illa testimonia, in quibus *justificandi* verbum agnoscunt esse *judiciale*, & justificationem definiunt remissione peccatorum, (quæ enumerata sunt superius §. 8.) item in quibus negant, renatos legem Dei perfecte implere, (quæ testimonia enumerata sunt in tractat. de lege §. 187.) denique in quibus negant, bona opera proprie & ex justitiæ debito meritoria esse; (quæ testimonia enumerabuntur in tractatu de bonis operibus) referenda huc cumprimis sequentia dicta, in quibus justitiam Christi nobis imputari docent. Justinus Martyr in epist. ad Diognet. pag. 386. *Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere, quam ejus justitia? in quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem! O imperveſtigabile artificium! O beneficia exspectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi injusti pro justis habeantur.* Athanasius

nasius adversus eos, qui damno adficiunt genus nostrum, eo quod negant servatorem ex natura nostra sumsisse primitias, tomo II. p. 270. edit. Commel. *Necessarium est, maximeque necessarium credere scripturis sanctis, confiteri ex nostro genere primitias, celebrare singularem assumentis in genus humanum amorem, obstupescere magnae œconomiae atque dispositionis miraculum, non timere exsecrationem legis: (Christus enim nos a maledictione legis liberavit) impletionem legis a primitiis factam toti massae adscribere.* (in græco est λογίζεσθαι imputare.) Idem de incarnat. verbi contra Samosat. tom. I. pag. 461. *Impossibile est puritatem & innocentiam in humana natura exhiberi, nisi Deus credatur in carne esse, qui justitiam omni peccato liberam in mundum introduxit, cujus quia participes redditi sumus (μετέχοντες) vivemus & salvabimur; illud enim: Non est justus in terra, qui bonum faciat, & non peccet, in commune ad omnes homines pertinet; unde ex cœlo descendit, qui immaculatam ex se justitiam daturus erat.* Macarius homil. XXXI. pag. 110. *Omnia in omnibus Christus. Quemadmodum igitur infans non novit se ipsum curare vel ornare, sed solum oculos convertit ad matrem flens, donec misericordia commota illum suscipiat: sic fideles animae in solo Deo spem habent, perpetuo omnem justitiam ei tribuentes, quia sicut sine vite palmes aresçit, sic quoque qui absque Christo vult justificari & salvari.* Basilius serm. de humilit. tom. I. p. 433. *Qui gloriatur, in Domino glorietur, quod Christus nobis factus est a Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio. Haec est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem, se ipsum vera justitia indigum esse, sola autem fide in Christum justificatum.* Gregorius Nyssenus orat. II. in Cantic. (*) *Christus in se translatis peccatorum meorum sordibus, puritatem suam mecum communicavit, meque pulcritudinis ejus, quae in ipso est, participem fecit.* Ambrosius libr. I. de Jacobo & vita beata cap. 6. *Sed & illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari in operibus meis possim, unde me jactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor quod justus sim, sed quia redemtus: gloriabor, non quia vacuus sum a peccatis, sed quia remissa mihi sunt peccata: non quia profui, aut mihi quisquam profuit, sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est, quia pro me sanguis Christi effusus est.* Libr. III. de virginit. pag. 100. *Omnia Jesus est nobis, si volumus: Si vulnus curari desideras, medicus est; si febribus aestuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quaeris, alimentum est. Gustate igitur & videte, quam suavis est Dominus.* In cap. X. Lucæ pag. 154. *Pro me doluit Christus, quia pro se nihil habuit, quod doleret; & sequestrata delectatione divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis adficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam laetitiam largiretur, & vestigiis nostris ad mortis descendit aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.* In c. VIII. Rom. *Quando impletur in nobis justificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorum, ut sublatis peccatis justificatus adpareat, mente serviens legi Dei.* Hieronymus in cap. X. Rom. super verba, Christus est finis legis ad justitiam omni credenti: *Talis est ille, qui in Christum credidit, die, qua credidit, qualis ille, qui universam legem implevit.* (id vero aliter fieri nequit, quam imputatione perfectæ illius impletionis, quam Christus nostri loco legi præstitit) Augustinus tom. III. enchirid. ad Laurentium cap. 41. *Ipse* (Christus) *peccatum, ut nos justitia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso; sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum similitudine carnis peccati, in qua cruci-*

(*) Μεταθεὶς γὰρ πρὸς ἑαυτὸν τὸν τῶν ἐμῶν ἁμαρτιῶν ῥῦπον, μετέδωκέ μοι τῆς ἑαυτοῦ καθαρότητος, κοινωνόν με τῆ ἑαυτοῦ κάλλει ἀπεργασάμενος, ὡς πρῶτον ἐποίησεν ἐξ ἀδεχθοῦς ἐρασθῆναι, καὶ οὕτως ἠγάπησεν, qui ex deformi prius fecit amabilem, & sic dilexit. p. 491. GERHARDUS.

crucifixus est, demonstravit. (Ut ergo Christus est peccatum nostrum, ita nos sumus justitia Dei in illo, nimirum per imputationem.) Idem tom. VIII. in Psalm. XXI. exposit. 2. *Quomodo ergo dicit delictorum meorum? nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret* (*). Psalm. XXX. conc. I. *In tua justitia erue me & exime me. Quia non invenisti in me justitiam meam, erue me in tua, hoc est illud, quod me eruit, quod me justificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum;* In Psalm. XXXI. *Tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad justitiam.* In Psalm. LXX. in enarr. partis 1. *In justitia tua erue me. Non in mea, sed in tua: si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti.* Tom. IX. tract. 3. in Joh. *Omnes, qui ex Adam cum peccato, peccatores: omnes, qui per Christum justificati, justi, non in se, sed in illo: nam in se si interroges, Adam sunt: in illo, si interroges, Christi sunt.* Tom. X. serm. 61. de verbis Domini in fine: ut nos simus justitia Dei in ipso. *Si enim non in ipso, nullo modo justitia. Si autem in ipso, totus nobiscum vadit ad Patrem.* Serm. VI. de verb. apost. *Ipsum Christum, qui non noverat peccatum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Videte duo, justitia Dei, non nostra; in ipso, non in nobis.* Epiphanius in Ancora: Ἐγένετο μοι δικαιοσύνη ἡ ἁγιασμὸς ἡ ἀπολύτρωσις; δικαιοσύνη μὲν διὰ τῆς πίστεως αὐτῶ ἁμαρτίας λύσας, ἁγιασμὸς δὲ διὰ ὕδατος ἡ πνεύματος ἡ ἐν ῥήματι αὐτῶ ἐλευθερώσας, ἀπολύτρωσις δὲ τὸ αἷμα αὐτῶ λύτρον ἁμῶ ἀληθῶς ὑπὲρ ἐμῶ ἑαυτὸν παραδίδας. Bernhardus serm. XLIII. super cant. col. 625. *Pro acervo meritorum, quae mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare & inter ubera mea collocare volui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei: primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in praedicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrimarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, periculorum in falsis fratribus, & mihi hic salutaris fasciculus servatus est, nemo tollet eum a me, inter ubera mea commorabitur; haec meditari, dixi sapientiam, in his justitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum,* &c. Serm. LXI. in Cant. col. 675. *Quid non boni in petra? in petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter flo,* &c. *Ubi tuta firmaque securitas, nisi in vulneribus salvatoris? tanto illic securius habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum super petram firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus est, propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur* &c. *Ego fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex vulneribus Domini, quia misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quae effluant: foderunt manus & pedes ejus, latusque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo* &c. *Meum proinde meritum miseratio Domini, non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit inops. Quodsi misericordiae Domini multae, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim? si multorum mihi conscius delictorum, nempe ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, & si misericordiae Domini ab aeterno & usque in aeternum, ego quoque misericordias Domini in aeternum cantabo. Nunquid justitias meas? Domine memorabor justitiae tuae solius. Ipsa est enim & mea, nempe factus es mihi tu justitia a Deo. Nunquid*

(*) Idem contra Pelag. & Coeleſt. de gratia Chriſti lib. I. cap. 47. *Gratia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quae nobis ab illo eſt.* GERHARDUS.

verendum, ne non una ambobus sufficiat? non est pallium breve, quod secundum prophetam non possit operire duos: Justitia tua justitia in aeternum, & te pariter & me operiet larga & aeterna justitia, & in me quidem operit multitudinem delictorum, in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis &c. Idem epist. CXC. ad Innocent. pontif. Roman. *Juste homo diabolo addictus, sed misericorditer liberatus, sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia quaedam & in ipsa liberatione, quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut (quod congruebat remediis liberandi) justitia magis contra invasorem, quam potentia eteretur. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus diaboli? adsignata est ei proinde aliena, qui caruit sua & ipsa sic est. Venit princeps mundi, & in salvatore non invenit quicquam, & cum nihilominus innocenti manus iniecit, iustissime quos tenebat, amisit; quando is, qui mortis nihil debebat, accepta mortis iniuria, iure illum, qui obnoxius erat, & mortis debito & diaboli solvit dominio. Qua enim justitia id secundo exigeretur? Homo siquidem qui debuit, homo qui solvit: nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit; nec alter iam inveniatur, qui forte fecit, alter qui satisfecit, quia caput & corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis &c. Si gratis venundatus, gratis non redimar? quod si dixerit, Pater tuus addixit te, respondebo, sed frater meus redemit me. Cur non aliunde justitia, quia aliunde reatus? alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat a peccato? alter in semine, alter in sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non justitia, in Christi sanguine? sed justitia, inquit, sit cujus sit, quid ad te? Esto, sed sit etiam culpa cuius est, quid ad me? an justitia iusti super eum erit, & impietas impii non erit super eum? non convenit filium portare iniquitatem patris & fraternae fieri exsortem justitiae, nunc vero ut per hominem mors, & per hominem vita &c. non sic illi attineo, ut non & isti, si illi per carnem, & per fidem huic.* Ibidem: *Iustum me dixerim, sed illius iustitia: quaenam ipsa? finis legis Christus ad iustitiam omni credenti: tutior donata quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum; illa materiam gloriandi non habet nisi in Domino, haec est iustitia hominis in sanguine redemtoris.* Idem serm. ad milites templi capit. 11. *Qui peccati meritum tulit suam nobis donando iustitiam, ipse mortis debitum solvit & reddit vitam, sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit iustitia, porro mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis iustitia imputatur &c. Qui nostram & induit carnem & subiit mortem, putas suam nobis negabit iustitiam? voluntarie incarnatus, voluntarie passus, voluntarie crucifixus, solam a nobis retinebit iustitiam?* In eodem cap. *Unus peccavit, & omnes tenentur rei, & unius innocentia soli reputabitur uni? unius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius iustitia uni vitam restituet? itane Dei iustitia magis ad condemnandum, quam ad restaurandum valuit? aut plus potuit Adam in malo, quam Christus in bono? Adae peccatum imputabitur mihi, & Christi iustitia non pertinebit ad me?* (*).

Gui-

(*) Anshelmus in 2 Cor. V. *Ille peccatum, ut nos justitia, non nostra, sed Dei; non in nobis, sed in illo; sicut ille peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis.* Taulerus in praefat. super evang. Joh. anno 1502. Augustae Vindelicorum per Sigismund. Grimm. publicata. *Wann du glaubest, daß Christus von deiner wegen Mensch ist worden zur Erfüllung der Zusagung Abraham und seinem Saamen geschehen, im Gesetz und Propheten: Item daß er von deinetwegen gelitten, gestorben und begraben ist, sich selber als ein wahrer Bischoff zur Abzilgung der Sünde aufgeopffert: Item daß er vom Tode erstanden, und als ein eingeborner Sohn Gottes allen, die an seinen Namen glauben, daß er Gottes Sohn sey, verliehen Kinder Gottes zu werden, und das ewige Leben zu besitzen, so hastu warlich alles, was du glaubest, und wird dir durch solchen Glauben zugeeygnet, was Christus hat. Also erfüllestu das Gesetz, daß es dich nicht beschuldige, sterbest der Sünde, daß sie dir nicht schade,*

Guilielmus libr. I. vitæ Bernhardi cap. 13. col. 1886. *Infirmabatur aliquando homo Dei, & velut rivulus quidam phlegmatis inceſſanter ab eius ore fluebat, cumque extremum iam trahere ſpiritum videretur, in exceſſu mentis ſuae ante tribunal Domini ſibi viſus eſt praeſentari; adfuit autem & ſatan ex adverſo improbis eum accuſationibus pulſans, ubi vero ille omnia fuerat proſecutus, & viro Dei pro ſua parte fuit dicendum, nil territus aut turbatus ſubiecit: fateor, non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum: Ceterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, haereditate ſcilicet Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confuſus inimicus conventus ille ſolutus, & homo Dei in ſe reverſus eſt* (*).

§. CCXV. Quid quod ipſi adverſarii non omnino poſſunt negare imputationem iuſtitiæ Chriſti. Caſparus Ulenbergius in libro, qui continet cauſas, cur ad Romanam eccleſiam ſit redeundum, cauſa XIV. refert, in ſacrario parochiali eccleſiæ Colonienſis haberi librum, anno 1475. ſcriptum, quo ſemper ab eo

Teſtimonia adverſariorum.

de, erſiheſt die Gerechtigkeit, die du hoffeſt, vnd wirſt newgeborn in ein göttlich Leben. Et poſtea. *Alſo iſt auß Krafft deß Glaubens durch Würckung GOttes alles das dein, was Chriſtus hat, vnd das Chriſti, was du haſt. O wie groſſer Wechſel, hierauß kömt es, daß dir keine Sünde ſchaden, kein Geſetz dich beklagen mag, denn GOtt nimt das Leben vnd Sterben Chriſti an, gleichſam wær es dein eygen.* Idem Tauſerus in meditat. vitæ Chriſti editis a Surio cap. VII. p. 61. *Chriſtus omnia mundi peccata in ſe receperat, tantumque pro illis ultro ſibi adſumſit dolorem cordis, ac ſi ipſe ea perpetraſſet.* p. 64. de perſona Chriſti. *Quandoquidem peccatum Adæ multum abire non poteſt, obſecro te Pater cœleſtis, ut ipſum in me vindices: ego enim omnia illius peccata in me recipio. Si haec iræ tempeſtas propter me orta eſt, mitte in mare amariſſimæ paſſionis &c. atque ita omnia mundi peccata in ſe agnus innocens recepit,* GERHARDUS.

(*) Ante cœptum reformationis opus Lutherus de iuſtitia ſic docuit: *Diſce Chriſtum crucifixum, & de te ipſo deſperans dic ei: Tu Domine es iuſtitia mea, ego autem ſum peccatum tuum, tu adſumſiſti meum, & dediſti mihi tuum, adſumſiſti, quod non eras, & dediſti mihi, quod non eram. Chriſtus deſcendit de cœlo, ubi habitabat in juſtis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Iſtam caritatem rumina, & videbis dulciſſimam conſolationem. Si enim noſtris laboribus & adflictionibus ad conſcientiæ quietem pervenire oportet, ad quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui & operum tuorum pacem invenies. Ipſe ſuſcepit te & peccata tua fecit ſua, & juſtitiam ſuam fecit tuam. Maledictus, qui hoc non credit.* Selneccerus in orat de init. & progr. Auguſtanæ confeſſ. anno 1511. (Exſtant hæc verba in epiſtola Lutheri ad Georgium Spenlein Auguſtinianum eremitam in conventu Memmingenſi ſcripta ex Witeberga feria III. poſt Miſericordias Domini anno 1516. Epiſtola Lutheri integra ſic habet tom. I. epiſt. fol. 11. *Quid agat anima tua, ſcire cupio, utrumne tandem ſuam pertæſa propriam juſtitiam diſcat in juſtitia Chriſti reſpirare atque confidere. Fervet enim noſtra ætate tentatio præſumtionis in multis & iis præcipue, qui juſti & boni eſſe omnibus viribus ſtudent, ignorantes juſtitiam Dei, quæ in Chriſto eſt nobis effuſiſſime & gratis donata, quærunt in ſe ipſis tamdiu operari bene, donec habeant fiduciam ſtandi coram Deo velut virtutibus & meritis ornati, quod eſt impoſſibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinione, imo errore, fui & ego, ſed & nunc quoque pugno contra iſtum errorem, ſed nondum expugnavi. Igitur, mi dulcis frater, diſce Chriſtum & hunc crucifixum, diſce ei cantare & de te ipſo deſperans dicere ei: Tu Domine Jeſu es juſtitia mea, ego autem ſum peccatum tuum: tu adſumſiſti meum, & dediſti mihi tuum, adſumſiſti, quod non eras, & dediſti mihi, quod non eram. Cave ne aliquando ad tantum puritatem adſpires, ut peccator tibi videri nolis, imo eſſe. Chriſtus enim non niſi in peccatoribus habitat. Ideo enim deſcendit de cœlo, ubi habitabat in juſtis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Iſtam caritatem rumina, & videbis dulciſſimam conſolationem ejus. Si enim noſtris laboribus & adflictionibus ad conſcientiæ quietem pervenire oportet, ad quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui & operum tuorum pacem invenies: diſces inſuper ex ipſo, ut ſicut ipſe ſuſcepit te, & peccata tua fecit ſua, & ſuam juſtitiam fecit tuam. Si firmiter hoc credas, ſicut debes; maledictus enim, qui hoc non credit, ita & tu fratres tuos indiſciplinatos & adhuc errantes ſuſcipias & patienter ſuſtineas, atque ex eorum peccatis facias tua, & quid boni habes, illorum eſſe jinas.* GERHARDUS.

eo tempore, nimirum ab annis centum & amplius in visitandis & ad mortem præparandis ægrotis usi sunt presbyteri: In eo quæstiones aliquot reperiri, quas Anshelmo tribuant, proponendas illis hominibus, qui ad mortem feliciter obeundam præparantur: Inter illas quæstiones hanc esse postremam: *Credisne, te non posse salvari, nisi per mortem Christi? Respondet infirmus, etiam; tum dici illi: Age ergo, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, in hac morte totum te involve. Et si Dominus Deus te voluerit iudicare: dic, Domine mortem Domini nostri Iesu Christi obiicio inter me & tuum iudicium, aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic: mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine mortem Domini nostri Iesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusque merita offero pro merito, quod ego debuissem habere nec habeo. Si dixerit, quod tibi est iratus, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi oppono inter me & iram tuam.* (Quid vero aliud est, credentes involvere se in Christi morte, & merita Christi offerre pro merito, quod debuissent habere, quam credentibus imputari Christi iustitiam?) Georgius Cassander in consult. artic. de iustif. *Hoc extra controversiam est, justitiam illam, qua justificamur, consistere in remissione peccatorum, hoc est, cum propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostra causa, peccata nobis non amplius imputantur, quod nihil aliud est, quam ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari. Atque hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad justitiam, eam videlicet fidem, qua credimus in eum, qui Christum suscitavit a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram* (*). Albertus Piggius controv. II. & auctores antidogmatis Colonienſis in artic. de iustificatione agnoscunt, iustitiam nostram nunquam posse esse talem, ut iudicium Dei sustineat, ideo necessariam esse imputationem iustitiæ Christi. Verba Piggii hæc sunt: *Dissimulare non possumus, hanc vel primam doctrinae christianae partem* (de iustificatione) *obscuratam magis, quam illustratam a scholasticis spinosis plerisque quaestionibus & definitionibus, secundum quas nonnulli magno supercilio primam in omnibus auctoritatem sibi arrogantes, & de omnibus facile pronunciantes, fortassis etiam nostram hanc damnarent sententiam, qua propriam, & quae ex suis operibus esset, coram Deo iustitiam derogamus omnibus Adae filiis, & docuimus, una Dei in Christo niti nos posse iustitia, una illa iustos coram Deo destitutos propria, nisi hoc ipsum adstruxissemus aliquanto diligentius.* Item: *Nam quod non operibus nostris, non in iustitia nostra, sed in una ignoscente iniquitates nostras misericordia benevolentiae erga nos divinae & salutis a Deo adsignandae nobis spes sit, Davidis testimonio apostolus ad Romanos comprobans, non alia iustitia niti nos posse, nisi quam imputari nobis absque nostris operibus adfirmat: Beati, inquit, quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Non dicit, beati, qui ex operibus suis iusti coram Deo sunt, beatus vir, qui non commisit nec fecit injustitiam; sed beati, quorum a Deo misericorditer remissae sunt iniquitates, quorum ipse sua iustitia tegit & abscondit peccata: beatus vir, cui Dominus iam peccatum* (quo vix carere quis potest, certe nunquam caret) *non imputat. Hanc ille praecursoris pater cognitionem salutis praedicat, non in nostra ipsorum iustitia, quae nulla est; sed potius in nostrae iniustitiae aut peccatorum nostrorum remissione positam, quam ipsam etiam Paulus in ea, quam apud Antiochenos concionem de salutis summa habuit, sic connectit cum iustitia, ut idem prorsus esse ostendat. Notum, inquit, vobis sit, viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annun-*

(*) Benedictus Arias Montanus in Rom. IV. 5. *Consequitur, fidem reputari ad justitiam ei, qui non operatur in lege, idque secundum propositum gratiae Dei.* GERHARDUS.

annuntietur ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Moysis iustificari. Hoc ergo nobis iustificari est, quod peccata nobis misericorditer a Deo remitti in Christo. Quoniam quidem, inquit, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans hominibus sua delicta: et deposuit apud nos verbum reconciliationis. In illa ergo iustificamur coram Deo, non in nobis; non nostra, sed illius iustitia, quae nobis cum illo iam communicantibus imputatur. Propriae iustitiae inopes extra nos, in illo docemur iustitiam quaerere. Cum, inquit, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit; hoc est, hostiam peccati expiatricem, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso, non nostra, sed Dei iustitia iusti efficimur in Christo, quo iure? Amicitiae, quae communionem omnium inter amicos facit, iuxta vetus & celebratissimum proverbium: Christo insertis, conglutinatis & unitis & sua nostra facit, suas divitias nobis communicat, suam iustitiam inter Patris iudicium & nostram iniustitiam interponit, & sub ea veluti sub umbone ac clypeo a divina, quam commeruimus, ira nos abscondit, tuetur ac protegit, imo eandem nobis impertit & nostram facit, qua tecti ornatique audacter & secure iam divino nos sistamus tribunali & iudicio: iustique non solum adpareamus, sed etiam simus. Quemadmodum enim unius delicto peccatores etiam nos factos adfirmat apostolus: ita unius Christi iustitiam in iustificandis nobis omnibus efficacem esse: & sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam unius iusti (inquit) constituentur multi. Haec est Christi iustitia, eius obedientia, qua voluntatem Patris sui perfecit in omnibus. Sicut contra nostra iniustitia est nostra inobedientia, & mandatorum Dei praevaricatio. In Christi autem obedientia quod nostra collocatur iustitia, inde est, quod nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur: ita, ut ea ipsa etiam nos iusti habeamur. Et velut ille quondam Jacob, quum nativitate primogenitus non esset, sub habitu fratris occultatus, atque eius veste indutus, quae odorem optimum spirabat, se ipsum insinuavit Patri, ut sub aliena persona benedictionem primogenitorae acciperet: ita & nos sub Christi primogeniti fratris nostri pretiosa puritate delitescere, bono eius odore fragrare, eius perfectione vitia nostra sepeliri & obtegi, atque ita nos piissimo Patri ingerere, ut iustitiae benedictionem ab eodem adsequamur, necesse est. Et paulo post: *Justificat ergo nos Deus Pater bonitate sua gratuita, qua nos in Christo complectitur, dum eidem insertos innocentia & iustitia Christi nos induit: quae una ut vera & perfecta est, quae Dei sustinere conspectum potest; ita unam pro nobis sisti oportet tribunali divini iudicii, & veluti causae nostrae intercessorem eidem repraesentari, qua subnixi etiam hic obtinemus remissionem peccatorum nostrorum assiduam: cujus puritate velatae non imputantur nobis sordes nostrae, imperfectionum immunditiae, sed velut consepultae conteguntur, ne in judicium Dei veniant; donec confecto in nobis, & plane exstincto veteri homine, divina bonitas nos in beatam pacem cum novo Adam recipiat.* Haec omnia Piggius verissime. Ruardus Tapperus tom. II. art. 8. p. 36. *Sicut Christo nostra scelera a Patre ob spontaneam eorum adsumtionem & corporis mystici intimam unionem imputantur: ita eius iustitia quasi capitis nobis eius membris ad iustitiam & vitam aeternam imputatur. Posuit enim Pater super eum volentem & spontaneum omnium nostrorum iniquitates, & oblatus est, quia voluit, & maledictum & peccatum factus est pro nobis. Iustitia itaque Christi a Patre nobis imputatur, ut propter eam nos formaliter iustos faciat a iustitia inhaerente, sine qua nemini Christi iustitia quasi meritum imputatur, sicut ad reconciliationem non imputatur, nisi amicis ei acceptis & reconciliatis.* (Stabilire quidem conatur Tapperus iustitiam inhærentem, interim non negat iustitiam Christi imputatam.) Vega lib. VII. de iustific. cap. 15. & Stapletonus lib. VII. de iustific. cap. 9. testantur, *quosdam catholicos doctrina & pietate insignes, Colonienses item canonicos atque auctores libelli oblati a caesare collocutoribus protestantibus in comitiis Ratisbonensibus statuere, tantum per imputationem iustitiae Christi, quatenus fides nostra adprehendit misericordiam atque iustitiam Christi*

sti propter meritum Christi, nos iustificari coram Deo (*). Bellarmini confessionem audivimus superius, quam quid impedit denuo repetere? libr. II. de iustific. cap. 10. *Dicitur Christus iustitia nostra, quoniam satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem ita pro nobis donat & communicat, cum nos iustificat, ut nostra satisfactio & iustitia dici possit &c. Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi iustitiam & merita, cum nobis donentur & adplicentur, ac si nos ipsi Deo satisfeciſſemus, modo non negetur esse in nobis praeterea iustitiam inhaerentem &c* (**). Ibidem in resp. ad tertium argumentum. *Imputantur Christo peccata nostra, quoad debitum satisfaciendi, quod ille sponte suscepit: sic igitur & nobis imputatur iustitia eius, quoad satisfactionem, quam pro nobis praestitit &c. Iustitia Dei dicimur non in nobis, sed in Christo, quia ipse est caput nostrum, & quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut sunt distincta a capite, sed ut sunt & sunt unum cum ipso capite.* Cap. 11. resp. ad argumentum secundum: *Potest sano modo adcommodari similitudo indumenti iustitiae imputatae, si quis dicat, oportere ut induamus merita Christi, & illis quodammodo tecti petamus indulgentiam peccatorum.* Cap. 7. argum. 4. *Imputantur nobis Christi merita, quia nobis donata sunt, & possumus ea Deo Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis, nosque Deo Patri reconciliandi.* Hoc modo etiam Costerus, in enchirid. pag. 292. fatetur Christi iustitiam nobis imputari, *valet enim,* (inquit) *solutio amici pro amico & maxime talis ac tantae dignitatis.* Denique quo iure negare poterunt Christi iustitiam fide nobis imputari, cum olim plus quam certissimum fuerit, monachorum merita aliis communicari & adplicari posse, id quod testantur diplomata solenniter hac de re confecta. Adeone maior vis pecuniae in adplicandis meritis monachalibus, quam fidei in adplicando Christi merito? Ipse Bellarminus in hac luce evangelii non veretur scribere libr. I. de indulg. cap. 14. *Suffragia viventium per modum meriti de congruo aliis adplicari posse.* Eodem modo scribit Gregorius de Valentia lib. de indulg. cap. 5. *Praelati religiosorum possunt aliis adcommodare bona opera & satisfactiones suorum subditorum, ut cum faciunt participes omnium bonorum operum eos, qui de ordine sunt bene meriti.* Ita quoque Stanislaus Hosius de expresso Dei verbo tom. II. p. 21. *Mercaturam quandam docere nos Paulus videtur. Abundatis, inquit, vos pecunia, & estis inopes iustitiae, contra illi abundant iustitia,*

(*) Blasius de Viega in comm. cap. V. Apoc. pag. 243. inter causas, propter quas dicatur agnus, etiam hanc recenset, *quod Christi meritis tanquam agni vellere induamur, quae ratio est Nazianzeni orat. in sanctum pascha. Hieronymus in* cap. LIII. Esa. *Non solum sanguine suo nos redemit, sed etiam lanis operuit, ut infidelitate algentes sua veste calefaceret juxta illud Gal. III. Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Idem comm. in cap. XI. Apocal. p. 465. verba Psalm. XXII. in vulg. versione. *Longe a salute mea verba delictorum meorum* sic explicat, *quod dicta sint a Christo in persona omnium hominum, quod adpellet delicta sua nostra ipsorum delicta, quae in se ad satisfaciendum susceperat, quae expositio* (inquit) *est Augustini. Epist. 120. de gratia novi test. cap. 6. Nazianzeni orat. 36. Damasceni libr. III. cap. 25. & libr. IV. cap. 19.* Haec Viega. Atqui si Christus susceperit in se peccata nostra, utique etiam donat nobis suam iustitiam. Granatensis in meditat. de vita Christi cap. 33. pag. 567. *In hoc manifeste liquet differentia laborum & dolorum Christi & aliorum sanctorum. Alii enim sancti laborarunt & passi sunt pro se ipsis, sancti fuere sibi, Christi vero sanctitas & passio ita ejus fuerunt, ut magis etiam nostrae & sint & dici possint, quod & ipse manifeste declarat, cum dicit: ego sanctifico me ipsum pro eis, ut & ipsi sanctificati in veritate.* GERHARDUS.

(**) *Etiamsi* (ita porro scribit Bellarminus) *per justitiam nobis inhaerentem vere justi nominemur & simus, tamen non per eam satisfacimus Deo pro culpis nostris & poena aeterna, sed est illa justitia inhaerens, cum remissione culpae & sempiternae poenae, effectus justificationis Christi, quae, ut dicit concilium Trident. sess. VI. cap. 7. nobis in justificatione confertur & adplicatur.* GERHARDUS.

tia, & sunt inopes a pecunia: fiat quaedam commutatio: date vos piis egentibus pecuniam, quae vobis adfluit, & illis deficit: sic futurum est, ut illi vicissim justitiam suam, qua abundant, & qua vos estis destituti, vobis communicent. Vide Erasmum in colloquiis in cap. *Funus*, ubi illam meritorum monachalium communicationem falsè deridet. Gretserus lib. III. de disciplcap. 1. disputat, *flagellationem opus esse meritorium & satisfactorium, cujus fructus aliis non tantum de congruo, sed & condigno adplicari possit.* Lib. II. cap. 11. *Licite aliquem constituì, qui pro alio disciplinam faciat, eundemque (precibus imo & munusculo inductum) alteri suam satisfactionem adplicare posse.* Quid ergo de passione & obedientia Christi hoc verentur adfirmare? sed ad alia transeamus.

Rationes: 1.) Justitia debet exacte respondere legi.

§ CCXVI. *Sexta* classis argumentorum petita est ex ratione. I.) Justitia debet exacte respondere legi. At nulla humana justitia exacte respondet legi. Psalm. CXLIII. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Cum igitur humana justitia judicium Dei sustinere non possit, necesse est, ut confugiamus ad Christi justitiam, quæ fide nobis imputetur, ut per eam justi haberi ac pronuntiari in divino judicio valeamus. Excipit Bellarminus libr. II. de justif. cap. 14. *hoc argumentum, si quid probet, probare justitiam actualem non esse perfectam, nequaquam vero probare justitiam habitualem, qua formaliter justi sumus, non esse ita perfectam, ut absolute, simpliciter & proprie justi nominemur ac simus, cum infusa illa justitia sit opus Dei, de cujus operibus dicitur, quod perfecta sint.* Deut. XXXII. Resp. acceptamus, quod dat, *actualem* justitiam renatorum hoc argumento probari imperfectam, jam vero quidam ex pontificiis statuunt, actuali justitia nos formaliter coram Deo justificari, quod ex sequenti 15. capite Bellarmini manifestum est, contra illos igitur validum atque efficax erit hoc argumentum. Dicimus autem tam *habitualem*, quam *actualem* justitiam nobis inhærentem esse imperfectam, cum imperfectio justitiæ *actualis* arguat imperfectionem *habitualis*, (τῆς βελτίσης ἕξεως βελτίση ἐνέργεια, ait philosophus libr. II. ethic. ad Eudem. cap. 1. ergo a contrario sensu imperfectio *actus* arguit imperfectionem *habitus*, nisi forte externum quid operationem impediat) cumque neutra adsequatur summum perfectionis gradum in exactissima legis divinæ norma præscriptum, denique cum utraque multis peccatorum sordibus adhuc sit contaminata, ideoque potius indigeat justificatione, quam ut justificare possit. Neque est, quod Bellarminus obvertat: *Justitia habitualis inhaerens est opus Dei: ergo perfecta & justificans?* quid enim, an non primum fidei initium, primus gradus caritatis est opus Dei? num propterea dicendum, primum fidei initium esse fidem perfectam, primum caritatis gradum esse perfectam caritatem? Quodlibet Dei opus perfectum est, in suo scilicet genere, non autem absolute. Surculus non minus opus Dei est, quam arbor, ecquis tamen surculum pro perfecta arbore venditare velit? Justitia habitualis in hac vita est opus Dei, nondum tamen numeris omnibus perfecta, cum *interior homo renovandus sit de die in diem.* 2 Cor. IV. 16. perficietur autem in futura vita. Adde, quod operetur Deus in vitioso & imperfecto subjecto, videlicet *in homine carnali & sub peccatum venundato*, Rom. VII. 14. unde etiam in ipsis renatis *caro adhuc concupiscit adversus spiritum*, Gal. V. 17. utique ergo non toti sunt spirituales, sed ex parte adhuc carnales, *ac vident aliam legem in membris suis, qua captiventur sub lege peccati, ut, quod volunt bonum, perficere non possint.* Rom. VII. 23. Concludimus igitur, quoniam lex divina non qualemcunque tantum externam obedientiam requirit, sed ipsius etiam naturæ integritatem & perfectam conformitatem, ideo quamdiu natura nondum est plene renovata, frustra quæri perfectionem justitiæ sive habitualis sive actualis, quod cum non ignorent sancti, ideo deprecantur Dei judicium, orant remissionem peccatorum, nihil in se ipsis inveniunt, quod Dei judicio opponere possint, quod vel ex hoc ipso re-

gii psaltis effato plus quam perspicuum: adserit enim, nullum hominem, adeoque nec servum Dei, quantalibet polleat justitia sive *habituali*, sive *actuali*, in conspectu Dei justificari posse, si Deus cum eo jure experiri velit, quod in quæstione de impletione legis clarissime evicimus, & in tractatu de bonis operibus pluribus comprobatum dabimus. Sed enim vider Bellarminus, se in concedendo nimis liberalem fuisse, ideo addit, *ne quidem actualis justitiae perfectionem hoc argumento everti. Quamvis enim* (inquit) *justitia actualis aliquo modo imperfecta sit propter admixtionem venialium delictorum, & egeat quotidiana remissione peccati, tamen non propterea definit esse vera justitia & suo etiam quodammodo perfecta.* At superius cap. 10. dixerat, *justitiam inhaerentem esse absolutam justitiam, cui justo Dei judicio non debeatur poena, sed gloria;* quomodo vero justitia aliquo modo imperfecta & quotidiana peccati remissione indigens est absoluta justitia, cui justo Dei judicio debeatur gloria? De tota hac re suo loco ex professo agetur.

§. CCXVII. II.) Qui per inhærentem justitiam volunt justificari, injuriam faciunt meritis & justitiæ Christi, quid enim opus fuit, Christum tantis doloribus ac laboribus justitiam comparare, si per nostram inhærentem justitiam coram Deo consistere possumus? Adde, quod per doctrinam de inhærente justitia, quæ coram Deo consistat, detur occasio superbiæ. Excipit Bellarminus: *nihil detrahi Christi meritis, cum ab illorum virtute & efficacia dicatur justitia inhaerens pendere: nos autem Christi gloriae detrahere, adfirmantes, eum non potuisse tot doloribus ac laboribus suis a Patre impetrare, ut vere peccata deleret, nosque ad veram justitiam reformaret.* Resp. Facessant calumniæ. Toto corde credimus & sonora voce profitemur, perfectam peccatorum remissionem & perfectam justitiam Christi pretiosa morte & sanguine nobis partam esse. Sin vero hoc injurium est in Christum, statuere, quod in renatorum carne adhuc habitet peccatum, quod justitia nobis inhærens sit instar panni mulieris menstruatæ, quod quotidiana emundatione indigeamus, sequetur & Paulum & Esaiam & omnes sanctos in Christum injurios esse. Nimirum non arguit hoc quandam passionis Christi (ut ita loquar) inefficaciam, sed extremam naturæ nostræ corruptionem: neque tamen ex eo inferri potest, majores tribui vires satanæ ad nocendum, quam Christo ad curandum; quod enim in hac vita non perficitur, id in æterna vita pleniſſime perficietur: successiva curatio non arguit impotentiam medici, sed gravitatem morbi. Pontificii vero an non sunt in Christum injurii, quod perfectissimæ illius justitiæ, per fidem nobis imputatæ, nostram imperfectam & immundam justitiam ad nostri justificationem, perfectissimæ ipsius satisfactioni nostram satisfactionem conjungere volunt? quod præfracte negant Christi justitiam nobis imputari, quod quidam ipsorum disputant, justitiam Christi non esse proprie causam nostræ justificationis? Vide superius §. 54. Quomodo ex justitia operum oriatur gloriatio, ostendimus §. 152. membr. 5. Quod Bellarminus attexit de Luthero, *omnes sanctos Mariae virgini aequiparante*, facilem habet explicationem. Una & eadem est justitia Christi, quam ex æquo omnes vere credentes fide sibi adplicant, sed vitæ & morum sanctitas magnum discrimen inter illos constituit, absit enim, ut quisquam fidelium summis patriarchis, prophetis, Mariæ virgini, evangelistis & apostolis ratione donorum divinorum & sanctitatis vitæ sese comparet. Legantur ipsa Lutheri verba Dom. II. ab Epiphan. lect. ex Rom. XII. quibus sese contra adversariorum calumnias satis tuetur. *Quantumvis* (ait) *inter se corporis membra omnia imparia sint, & officiis atque dignitate plurimum distent, in eo tamen paria sunt, quod ejusdem corporis membra pariter existunt, neque potest oculus sibi plus in corpore juris vendicare, quam contemtissimum quodque membrum, neque plus suum esse corpus adfirmare, quam cujuslibet alterius: ita habet res christianorum, qualescunque sint, sive firmi fide, sive infirmi, sive consummati moribus, sive morbis gravati, tantundem quilibet in Christo & christianismo*

2.) Qui per inhærentem justitiam volunt justificari, injuriam faciunt meritis Christi.

posſi-

possidet, quantum alii, unde equidem non minus possum de Christo gloriari, quam divus Petrus aut virgo Deipara. Perplacet sane, divum Petrum nobilius esse in Christi corpore membrum, quam sim ego, at ille rursus me non contemnit, quod sim humilis & abjectus, quandoquidem ejusdem corporis membrum sum. Recte igitur scribit Thomas Mortonus in apologia cathol. lib. I. cap. 36. p. 132. *Protestantes cum docent, fideles omnes aeque justos esse coram Deo, dupliciter accipiendi sunt, vel ut intelligant, par veritatis non inaequalitatis, id est, aeque, licet non aequaliter Christi membra, non tamen si eorum simpliciter inter se, sed cum Christo capite & corpore ejus mystico ratio habeatur: vel etiam secundo, ut significent, non quidem justitiam inhaerentem, quae in sanctificatione, sed imputatam, quae in remissione consistit.* Neque haec explicatio ignota fuit Bellarmino, sic enim scribit lib. III. de justif. cap. 16. *Cum dicunt protestantes, omnes sanctos aeque justos esse coram Deo, loquuntur de justitia imputativa.* Quod autem ibidem addit, *nos non agnoscere, quod unus sit alio justior*, cujus contrarium ex dictis scripturae compluribus evincere nititur, id ex superioribus facile intelligi & explicari potest. Non negamus simpliciter operum justitiam, sed eam coram Dei judicio subsistere, nosque ea coram Deo justificari negamus, ideo etiam non negamus simpliciter incrementa justitiae habitualis & actualis, sed justitiae illius, quae coram Dei iudicio unice subsistit, & cuius consequens demum est imperfecta illa operum justitia, illius inquam justitiae omnibus credentibus ex aequo adplicationem fieri docemus. Mera igitur σχιαμαχία est, quam in hoc cap. 16. Bellarminus instituere voluit. Justitiam operum tam *habitualem* quam *actualem* in hac vita perpetuo crescere debere, tantum abest ut negemus, ut ex eo potius argumentum ducamus contra Bellarminum, quod ideo non possit justitia operum coram Deo subsistere, quia in hac vita nunquam tam perfecta est, quin crescere & possit & debeat, ac proinde *quod adhuc deest, ex vitio est, ex quo vitio non justificatur in conspectu Dei omnis vivens.* Augustinus epist. XXIX. ad Hieronymum.

§. CCXVIII. Atque haec est nostra de *formali causa* iustificationis sententia. Quid vero de ea statuunt Romanenses? Bellarminus nos adcusat dissensionis in hoc caelestis doctrinae capite, sed longe rectius de suis hoc pronuntiasset. Sive enim ipsam praxin sive disputationes ipsorum respicias, maxima utrobique occurrit dissensio (*). Quod ad praxin attinet, quidam sese vocant *religiosos*, reliquos autem *seculares*. Inter religiosos totidem diversae sunt de iustificatione opiniones, quot exstant monachorum ordines, quilibet enim in sui ordinis operibus ac ceremoniis suam quaerit iustitiam. Secularium aliqui pro iustitia sua habent missas, alii literas indulgentiarum, alii passiones

Pontificiorum sententia de forma justificationis.

(*) Vos enim caritate vestra justi estis? Quanam? An erga Deum? Atqui eum quotidie cultu idolorum vestrorum offenditis, irritatis, prae caritate scilicet. An erga Christum? Atqui hunc quotidie in missa vestra vere & realiter sacrificatis, mortificatis, destruitis. O eximiam caritatem! An in angelos & sanctos? Atqui hos quotidie vestro cultu & adoratione Deo & Christo, quantum in vobis est, redditis invisos, quasi praevaricatores adorationis religiosae adpetentes, laesae maiestatis reos. An in homines mortuos? Atqui horum alios detruditis ad inferos, alios in purgatorium ignem, unde absque sufficienti λύτρῳ, quo focus luculentus vobis instruatur, neminem dimittitis. An in vivos clericos? Atqui de vobis iamdudum illud frequentatum saepius audivistis haud dubie: Conveniunt sine notitia, vivunt sine amicitia, moriuntur sine tristitia. An in laicos catholicos scilicet vestros? Atqui hos prae amore excluditis ex spiritualium numero: ex choro vestro: ex coelo denique, nisi ad nutum & votum vestrum vel confitentes vobis manus impleverint, vel morituri propter legata vestra haeredes suos fraudaverint. An denique in nos miseros haereticos? Atqui prae amore quotidie nos diabolo traditis, ferro & gladio tollendos vociferamini. Haec igitur est caritas, iustificatio vestra prima: hypocritae! GERHARDUS.

siones martyrum, alii opera supererogationis monachorum & monialium, alii battologias precum, alii ieiunia, alii peregrinationes &c. Dissensiones in scriptis & disputationibus de iustificatione ecquis enumerare poterit? Piggius & auctores antididagmatis Colonienſis (referente Bellarmino libr. II. de iustif. cap. 1.) duplicem iustitiam statuunt, *qua formaliter coram Deo iustificemur; unam imperfectam, quae in virtutibus nobis inhaerentibus sit sita, alteram perfectam, quae est ipsa Christi iustitia nobis imputata.* Sed hanc iustitiae Christi imputationem reliqui manifeste repudiant, ac *putativam* iustitiam vocant. Quidam ex pontificiis (referente Bellarmino libr. II. de iustif. cap. 15.) statuunt, *iustitiam, qua coram Deo formaliter sumus iusti, esse actualem;* quidam vero quorum pars maior, statuunt, actualem iustitiam seu bona opera non *formaliter*, sed *meritorie* nos iustificare, habituali autem iustitia formaliter hominem iustificari (*). Dispositiones ad iustificationem plerique Pontificii Scholasticorum opinionem secuti vocant *merita ex congruo*, sed Dominicus a Soto hoc praefracte negat, cuius rationes solvere conatur Bellarminus libr. I. de iustif. cap. 21. Eiusmodi dispositiones ex concilio Trident. Bellarminus enumerat septem, sed censor Colonienſis p. 117. dicit, *praeter illas septem esse multa alia, quae longum foret enumerare.* Ad dispositiones illas quidam speciale Dei auxilium statuunt esse necessarium, quidam vero negant. Rossensis in lib. adv. Luth. *Scholastici hac in re* (de praeparatione ad gratiam) *mutuo sibi pugnant. Patres enim adserunt, neminem posse quicquam boni velle sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum: nonnulli contra Scholastici sic contendunt, hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio bene moraliter agere & bonum facere possit, non solum ex genere, verum etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit.* (Notat autem Rossensis Scotum, Occamum, Bielem & alios.) Latomus in suis scriptis contra nostram doctrinam editis statuit, *homines primum per legem naturae iustificatos & salvatos esse, postea per legem Mosis in monte Sinai promulgatam, denique per legem Christi, nec Abrahamum aliam de Christo doctrinam habuisse, quam Socrates, Plato vel quisquam ethnicus habuit.* In eandem opinionem propendent Andradius, Erasmus, Ludov. Vives in libr. XVIII. Augustinus de civ. Dei. cap. 47. &c. Sed reliqui eam repudiant, uti par est. Certitudinem gratiae & justitiae plerique omnes negant, sed Ambrosius Catharinus eam stabilit, cui se opponit Bellarminus libr. III. de justif. cap. 3. Nicol. Sanderus libr. II. de justif. cap. 1. p. 170. *Causa formalis nostrae justificationis est justitia, hujus initium & inchoatio prima est fides;* p. 170. *sed non tota formalis justitia in fide sola consistit, vel per solam fidem adprehenditur, sed oportet etiam nos uti caritate in adprehendenda justitia.* p. 172. *Iustitiam non minus adprehendit dilectio, quam fides, imo longe magis.* Eodem fere modo scribit Hoffmeisterus in IV. art. Aug. confessionis, *fidem justificare, qua tanquam instrumento remissio peccatorum & renova-*

(*) Erasmus in moria: *Magna monachorum pars in tantum suis nititur ceremoniis & hominum traditiunculis, ut putet, unam coelum parum dignum esse tantis meritis praemium. Alius ostentabit aqualiculum omni piscium genere distentum. Alius psalmorum centum effindet modios. Alius ieiuniorum myriadas adnumerabit, & toties unico prandio pene disruptam immutabit alvum. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet, quantus vix septem onerariis navibus vehi possit. Alius gloriabitur sexaginta annos nunquam attactam pecuniam, nisi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cuculam ingeret adeo sordidam & crassam, ut nullus naura suo dignetur corpore. Commemorabit alius, se plus quam undecim lustris spongiae vitam egisse, semper eidem adfixum loco. Alius raucam assiduo cantu vocem adducet, alius lethargum solitudine contractum, alius linguam ingi silentio torpentem. At Christus, unde nam hoc inquiet novum genus Iudaeorum? Unicam ego legem vere meam agnosco, de qua sola nihil audio & olim palam, nulloque parabolarum involucro utens paternam hereditatem pollicitus sum, non cucullis, preculis aut inediis, sed fidei & caritatis officiis. Nec eos agnosco, qui sua facta nimis agnoscunt. Isti, qui me quoque sanctiores videri volunt, Abraxasiorum coelos, si libet, occupent, aut ab his sibi novum exstrui coelum iubeant, quorum traditiunculas meis praeceptis anteposuerunt.* GERHARDUS.

novatio interioris hominis & vita accipiuntur, habentur & retinentur. (At Bellarminus hoc non feret, sic enim scribit libr. I. de justif. cap. 16. circa medium: *Fides non dicitur proprie adprehendere. Adprehensio enim cum refertur ad intellectum, proprie est cognitio rei, prout in specie repraesentatur &c. Eadem ratio est de fiducia, si per fidem fiduciam intelligi velint. Confidere enim non est adprehendere, sed firmiter adhaerere rei adprehensae;* & cap. 17. *Non adprehendit fides justitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia.* Et postea: *Justificatur homo ex fide, non quia fides tantum respicit promissionem, & illam credendo adprehendit, sed quia remissionem impetrat & suo quodam meretur.* Diserte negat Bellarminus, fidem adprehendere & adprehendendo justificare.) Quærimus autem ex Sandero, quid adprehendat fides in justificatione? Certe non inhærentem justitiam, sed Christi obedientiam & satisfactionem, quæ est proprium ejus in actu justificationis objectum. Præterea si fides & caritas justificant adprehendendo justitiam, certe infusus ejus habitus non erit ipsa formalis justitia, si fides adprehendendo justificat. Ergo non ut inhærens qualitas. Tiletanus in confut. confess. Antverp. cap. de justif. statuit, *ob justitiam Christi excitari in mente nostra quandam delectationem & dilectionem justitiae, atque hanc esse formaliter justitiam, qua justificamur.* Ruardus Tapperus art. VIII. de justif. p. 8. *Justitia fidei est multiplex, est enim justitia fidei habitualis, quae a Deo infunditur per Spiritum inhabitantem, & facit naturae divinae consortes ac filios Dei; alia est, quae acquiritur ex operum fidei frequentia, & ideo dicitur justitia acquisita, manens in peccatore: est & actualis, quae est rectitudo operum justitiae. Omnis autem justitia est & operum, quia ex operibus perficitur & gignitur, ex operibus autem, quae ex Spiritu Dei procedunt, sed retributio fiet secundum justitiam operum, parvulis autem & adultis, qui tempus operandi non habuerunt, retribuetur juxta merita Christi, juxta proportionem tamen ad ejus imaginem, hoc est, Deiformitatem.* Atqui scriptura unicam tantum coram Dei judicio consistentem justitiam novit, videlicet justitiam fidei, sive justitiam Christi fide adprehensam: omnem justitiam esse operum justitiam, ne ipse quidem Bellarminus concedet, qui inter *habitualem* & *actualem* justitiam operose distinguit). Sed enim cum imperfectio & *habitualis* & *actualis* justitiæ ex scripturæ & experientiæ testimonio satis sit conspicua, ideo variæ quærunt remedia. Lombardus, cum animadverteret, caritatem nostram non posse sustinere formam justitiæ coram Deo, fingit, *caritatem in nobis esse ipsum Spiritum sanctum.* libr. I. sent. dist. 17. sect. 2. & seqq. (Bellarminus libr. I. de grat. & lib. arbitr. cap. 8. Lombardi sententiam sic interpretatur, quod statuerit, *causam sive principium proximum dilectionis Dei esse in nobis Spiritum sanctum immediate agentem, non autem habitum aliquem creatum,* fatetur tamen hanc Lombardi sententiam ab omnibus scholasticis, præsertim vero Thoma in II. q. 23. art. 2. acriter refelli. Occamus Lombardi sententiam sic interpretatur, quod statuerit, *rationem formalem, propter quam actus dilectionis dicatur meritorius, esse gratuitam Dei voluntatem, quae est Spiritus sanctus*) Gropperus fatetur, opera caritatis nostra esse imperfecta; ac proinde in illis non posse constitui causam formalem justitiæ coram Deo, *considerandam igitur esse caritatem ut donum Dei & Spiritus sancti, & hoc modo esse formalem justitiam.* Sic & Hosius scribit, opera caritatis esse imperfecta, *sed habitum caritatis in credentibus esse perfectum, & illam esse formam justitiae nostrae.* At si opera caritatis sunt imperfecta, quomodo justificatio secunda in illis poterit quæri? Agnoscunt hoc recentiores, ideo disputant, non *solum habitum caritatis sive habitualem justitiam, sed etiam opera caritatis sive actualem justitiam esse perfectam,* in quorum numero est Bellarminus libr. II. de justif. cap. 14. Diversimode autem illud explicant. Quidam dicunt, *justitiam actualem, quamvis aliquo modo sit imperfecta propter admixtionem venalium delictorum, tamen non desinere esse veram justitiam & suo etiam quodammodo perfectam & absolutam*; (nimirum *in se* ac *per se*, cum ex ipsorum hypothesi venialia peccata non sint proprie dicta peccata, nec contra legem, sed præter legem fiant.) Quidam vero modestiores disputant, quod *operibus nostris deest*,

deest, illud suppleri per Christi satisfactionem, ac proinde bona opera justificare, non per se, sed quatenus tincta sunt Christi sanguine. (Atqui Christus non est passus pro nostris bonis operibus, ut illis meritum & vim justificandi impetraret, sed pro peccatis nostris, ut gratuitam illorum remissionem fide obtinendam nobis promereretur: nec opera nostra sunt tincta sanguine Christi, ut nos justificent, sed ut Deo placeant propter meritum Christi, quod a sanguinis ipsius effusione pender: nec justificamur propter opera sanguine Christi tincta, sed propter sanguinem Christi opera illa tingentem & nos mundantem a peccatis). Solenne est pontificiis scriptoribus statuere duplicem justificationem; *primam*, quando ex injusto quis fit justus, ex peccatore bonus: *secundam*, quando justus majori justitia augetur. Sed Salmeron disp. IX. in epist. ad Rom. p. 95. novam quandam justificationem introduxit. *Justificari* (inquit) *est justum fieri, sive ex justo, quomodo Christus & angeli & primi parentes exstiterunt, sive ex injusto, ut omnes nos, qui concipimur & nascimur in peccato originali.* Postea addit: *beata virgo medio quodam modo justificata est, non enim ex justo, ut Christus & alii dicti, justificata est, neque ex injusto, ut omnes nos, quia actu peccatum non habuit, ex quo contracto sublevaretur ad justitiam, sed ex debito peccatum contrahendi erecta fuit in justitiam, quod est medium inter illa duo dicta.* Idem tom. XIII. auctarii p. 342. alio respectu tertiam justificationem statuit. *Praeter primam* (ait) *& secundam justificationem, est adhuc tertia, cum quis sententia judicis absolvitur & pronunciatur justus, quae non nisi post hanc vitam contigit.*

Bellarmini sententia de forma justificationis.

§. CCXIX. Nobis res erit cum Bellarmino. Is libr. II. de justif. cap. 2. repetit verba concilii Trid. sess. VI. cap. 7. *Unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed vere iusti nominamur & sumus &c. Id in hac impii justificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & caritatem.* Ex his concilii Trident. verbis ita format Bellarminus statum controversiae: *Sit ne formalis causa absolutae justificationis justitia nobis inhaerens an non?* Agnoscimus recte formatum controversiae statum, sed praeterquam quod in vocabulo *absolutae justificationis* lateant insidiae, non immerito quaerimus, cur Tridentini concilii patres unicam formalem causam justificationis in inhaerente justitia statuentes, separatim faciant mentionem remissionis peccatorum & infusionis gratiae? Non satisfaciat Bellarminus respondens, *indicari duos terminos ejusdem motus, videlicet deletionem peccati & infusionem justitiae.* Praeterquam enim quod remissio peccatorum minus recte definitur per totalem deletionem culpae, an non ipse Bellarminus saepe repetit, praesertim vero libr. II. justif. cap. 13. statim in principio, *remissionem peccati esse ipsius iniquitatis & maculae in animo residentis per infusionem gratiae & justitiae mundationem?* Si remissio peccati fit per infusionem iustitiae, sicut tenebrae fugantur per solis lumen, quomodo remissio peccatorum & infusio iustitiae ita distingui poterunt, ut coniuncta & non prorsus eadem statuantur? *Sicut aër* (verba sunt Bellarmini libr. II. de iustif. cap. 2.) *cum illustratur a sole per idem lumen, quod recipit, desinit esse tenebrosus & incipit esse lucidus: sic etiam homo per eandem iustitiam sibi a sole iustitiae donatam atque infusam desinit esse iniustus, delente videlicet lumine gratiae tenebras peccatorum, & incipit esse iustus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa iustitiae luce.* Statuit igitur Bellarminus in iustificatione *prius fugari peccata, postea succedere infusionem gratiae.* Sed Costerus adfirmat, *prius infundi gratiam, qua deinde expellantur peccata.* Nimirum Costerus sequitur Thomam, qui I. 2. q. 113. artic. 8. scribit: *Ordine naturae prior est infusio gratiae, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis, secundo motus ipsius mobilis, tertio terminus motus*

tus: Dei moventis motio est gratiae infusio, motus mobilis est duplex motus liberi arbitrii, terminus est remissio culpae. Hactenus Thomas. Quicquid sit, allata Bellarmini similitudo peccatorum ratione disparitatis. Neque enim remissio peccatorum, quatenus talis, est in prædicamento *qualitatis*, sed *relationis*, ut suo loco demonstravimus, non est totalis peccati deletio, sed est ejus ad reatum non imputatio: quomodo ergo ex remissione peccatorum, quæ est in prædicamento *relationis*, & infusione gratiæ, quæ est in prædicamento *qualitatis*, unica formalis causa iustificationis confieri potest? Sane conjuncta est remissioni peccatorum renovatio sive sanctificatio, (quam Bellarminus vocat *gratiae infusionem*) sed illa renovatio & sanctificatio non est statim perfecta, cum *interior homo renovandus sit de die in diem*, 2 Cor. IV. 16. cum renati iubeantur *perficere sanctificationem*, 2 Cor. VII. 1. & *vetus fermentum expurgare*, 1 Cor. V. 7. cum renati quotidie cum prava concupiscentia pugnare & peccatorum remissionem flagitare cogantur &c. Ergo per infusionem gratiæ seu renovationem non ita fugantur peccatorum tenebræ, ut intellectus totus fiat lucidus, voluntas tota perfecte sanetur, cor plene mundetur ab omnibus vitiosis adfectibus &c.

An justificatio dicenda sit gratiae infusio.

§. CCXX. Statuit igitur Bellarminus, iustitiam inhærentem sive renovationem esse formalem causam iustificationis. Sed merito quærimus, quo iure eam adpellet infusionem gratiæ? Scriptura certe nusquam sic loquitur. Agnoscimus, dona & effectus gratiæ quandoque μετωνυμικῶς vocari gratiam: agnoscimus etiam, de donatione Spiritus sancti usurpari *effundendi* vocem Rom. V. 5. Tit. III. 6. Sed quod gratia iustificans nobis infundatur, id vero nusquam scriptura adserit, cum per gratiam iustificantem non intelligatur quidpiam formaliter nobis inhærens, sed gratuita Dei misericordia, propter Christum mediatorem peccata remittentis, ut superius comprobatum dedimus. Præterea per hanc infusionem gratiæ (gratum facientis) intelligit Bellarminus *habitum caritatis:* ita enim exponit suam sententiam libr. I. de gratia & lib. arb. cap. 6. *Quatuor* (inquit) *sunt apud theologos* (scholasticos) *sententiae de distinctione gratiae gratum facientis & habitus caritatis. Quidam volunt gratiam gratum facientem esse habitum, & re & ratione a caritate distinctum, & gratiam quidem in ipsa animae substantia tanquam in subiecto sedem habere, caritatem autem in voluntate. Alii distinctionem inter gratiam & caritatem non realem, sed formalem constituunt. Alii gratiam & caritatem, neque re ipsa neque formaliter, sed ratione tantum distinguunt. Alii denique nihil omnino interesse volunt inter gratiam & caritatem, soloque nomine distingui adfirmant.* Repudiatis opinionibus reliquis Bellarminus amplectitur tertiam, videlicet quod caritas & gratia gratum faciens non distinguantur vel *realiter* vel *formaliter*, sed solo λόγῳ. Quod si infusio gratiæ & infusio caritatis sunt in iustificatione ταυτὸ τὶ, merito quæritur, cur dilectionem inter dispositiones ad iustificationem referat? libr. I. de iustif. cap. 13. Quod in ipsa iustificatione demum infunditur, id non potest inter dispositiones iustificationem præcedentes referri. Si dicatur, caritatem, ut est actus, disponere ad iustificationem, infundi autem in ipsa iustificatione, ut est habitus, merito quæritur, an actus ille caritatis ad iustificationem disponens procedat ex puris liberi arbitrii viribus, an vero ex gratia Spiritus sancti? prius adserunt Scholastici, sed Bellarminus cooperationem gratiæ & liberi arbitrii amplectitur libr. VI. de grat. & lib. arb. cap. 15. Ergo si actus caritatis ante iustificationem requirit divinam Spiritus sancti gratiam, quomodo in ipsa iustificatione demum infunditur gratia? Si dicatur, esse gratiam quandam excitantem, quandam adiuvantem, quandam infusam, petitur principium, de eo enim quæritur, an in ipsa iustificatione infundatur gratia, qua formaliter iustificemur? Non negamus, gratiam Dei non solum remittere peccata, sed etiam naturam nostram in conversione renovare; verum renovationem illam vocandam esse infusionem gratiæ gratum facientis, id vero est, quod totis viribus negamus & impugnamus.

An Chemnitius recte formaverit statum controversiæ?

§. CCXXI. Sed redeamus ad quæstionem propositam. Adcusat Bellarminus in hoc 2. capite libr. II. de iustif. Chemnitium, quod non recte formarit controversiæ statum. *Notandum est,* (inquit) *Chemnitium more suo fraudulenter admodum proponere statum quaestionis de formali iustificatione. Dicit enim, id in controversiam vocari, quid sit id, propter quod Deus hominem in gratiam recipiat? an sit meritum Filii, an inchoata in nobis novitas? ubi primum de industria loquitur improprie, ut confundere possit causam formalem cum meritoria, nam si quis proprie loqui velit, non utetur voce* propter, *sed* per, *cum formalem causam designare voluerit: deinde in eo quoque fraudulenter egit, quod merito Filii Dei opposuit e regione inchoatam renovationem nostram. Remotis igitur fraudibus & ambiguitate verborum dicimus, si illud* propter *significet causam formalem, nos iustificari propter novitatem nobis inhaerentem, non propter meritum Christi, quod inhaerere non potest. Si vero significet causam meritoriam, nos iustificari dicemus propter meritum Filii Dei, non propter novitatem nobis inhaerentem. Si denique significet causam in communi, adseremus, iustificari hominem propter utrumque, sed propter meritum Filii Dei meritorie, propter novitatem nobis inhaerentem formaliter.* Hactenus Bellarminus, cui respondemus, Chemnitium recte formasse statum quæstionis. Quando enim in veris ac seriis conscientiæ angoribus peccator coram tribunali Dei consistens a lege adcusatur, ibi quærit, ad quid ipsi respiciendum sit, in quo debeat fiduciam collocare, propter quid debeat statuere, se in gratiam recipi? ubi dicimus nos, debere eum sese ad Christi obedientiam & satisfactionem convertere, ac firmiter credere, quod propter illam in gratiam recipiatur & iustificetur. Pontificii eum deducunt ad proprias dispositiones, ad infusos habitus, ad opera caritatis, &c. Sic ergo abducunt mentes hominum a passione, merito & obedientia Jesu Christi, subducunt ex oculis gratuitam promissionem evangelii de remissione peccatorum, & iubent quærere in nobis qualitates, quæ legi divinæ congruant & Dei iudicio opponantur. Nec peccatori contrito proponimus passionem & opera Christi, ut in illo quærat & adprehendat iustitiam suam: Pontificii proponunt ei opera & satisfactiones proprias ut in illis suam quærat iustitiam. Ceterum πρῶτον ψεῦδος exceptionis Bellarminianæ consistit in eo, quod statuit, iustificationem non esse *actum* quendam *iudicialem*, sed *infusionem iustitiae*, cui Christus pretioso suo merito hoc impetrarit, ut coram Dei iudicio subsistere possit, qua de re quid statuendum sit, ex superioribus patet, & suo loco plenius discutietur. Dicimus igitur, si iustificationis causa quæratur in nobis ipsis, in habitibus nobis inhærentibus ac in operibus nostris, tum coincidere causam *meritoriam* & *formalem*. Quamprimum enim nostri habitus ac nostra opera statuuntur formalis causa iustificationis, utique etiam re ipsa meritum quoddam illis tribuitur, unde diserte dicunt Pontificii, *dispositiones nostras esse merita de congruo; opera nostra esse merita ex condigno:* ac proinde si quæritur, propter quid homo iustificetur, tum non solum respondent, propter meritum Filii Dei (ut hoc loco Bellarminus respondet) sed etiam propter sua merita, modo velint θέσιν suam φυλάττειν. Inde Petrus a Soto in scholiis ad confess. Wirtemb. tit. de iustif. expresse scribit: *Propter has virtutes (fidem, spem, caritatem) intrepide catholica fides hominem iustum esse coram Deo confitetur.* Nos autem distincte respondemus. Si enim quæritur, propter quid homo iustificetur? respondemus, unice propter Christum mediatorem, nec ullum aliud agnoscimus meritum proprie dictum. Si quæritur, per quid iustificetur? respondemus per Christum fide adprehensum, sive quod idem est, fide Christum adprehendente: loquimur enim de fide, non ut est absoluta quædam qualitas nobis inhærens, sed ut iustitiam Christi adprehendit, sibique adplicat. Quamvis enim meritum Christi nobis inhærere non possit, ut Bellarminus scribit, tamen per fidem nobis a Deo imputari potest, sicut Christo mediatori imputata sunt peccata nostra: utrumque igitur iustitiæ Christi tribuimus, quod sit causa iustificationis *meritoria*, & quod sit causa

eius-

eiusdem *formalis*, nimirum ratione adplicationis, quatenus per fidem nobis imputatur.

Variæ species iustitiæ.

§. CCXXII. Non igitur nostra, sive *habitualis*, sive *actualis*, sed Christi iustitia est id, quod Deus in iustificatione respicit, ac propter illud hominem a peccatis absolvit, quæ vocatur *Dei iustitia* non *legaliter*, sed *evangelice*: 1.) quia a Christo Filio Dei parta: 2.) quia credentibus a Deo donatur & imputatur, unde vocatur *iustitia ex Deo*, Phil. III. 9. quæ est ratio Augustini (*). 3.) quia *a promissione originem habet, & cum promissum redditur, iustitia Dei adpellatur*, quæ est Ambrosii ratio in cap. I. Rom. & 4.) quia coram Dei iudicio subsistit; dicitur etiam *iustitia fidei*, quia cum non in nobis, sed extra nos, in merito scilicet Christi fundamentum suum habeat, per fidem tamen nobis a Deo imputatur, idque ex gratia, unde hæc iustitia per *misericordiam Dei* aliquoties in scripturis explicatur Dan. IX. 17. & 18. quod ut manifestius evadat, explicandæ sunt variæ species iustitiæ. Est enim primo *iustitia rationis seu philosophica*, eaque vel *universalis*, quæ respicit legem naturæ & dictamen rectæ rationis, ad quod conformat vel conformare nititur actiones interiores & exteriores; vel *particularis*, quæ suum cuique tribuit. Vide Aristotelem libr. V. eth. c. 4. Deinde est *iustitia legis*, sed ea diversimode consideratur. *Quaedam* enim est κατ' ἀλήθειαν perfecta legis impletio, qualis est iustitia Christi & primi Adami: *quaedam* vero κατὰ δόξαν tantummodo est impletio legis, qualis erat iustitia pharisæorum, qui existimabant per qualemcunque externam obedientiam legi satisfieri; a qua non multum abest persuasio illa, quod renati in hac vita perfecte impleant legem, quod concupiscentia in renatis reliqua non sit peccatum, quod venialia peccata non sint proprie dicta peccata. *Quaedam* vero legis iustitia est & re ipsa & hominum sententia imperfecta, qualis est iustitia novæ obedientiæ in renatis, qui renovati spiritu mentis suæ legi obedientiam præstare studeant, interim tamen peccatum in carne adhuc habitans & quoridianos lapsus agnoscunt. Est etiam iustitia certi cuiusdam *facti*, quam alii vocant iustitiam *causae*, eamque a iustitia *personae* distinguendam esse monent. Sic David Psalm. VII. 9. orat: *Domine, iudica me secundum iustitiam meam.* Hæ species legalis iustitiæ adcurate sunt distinguendæ, neque enim philosophica, nec pharisaica, nec ipsa renatorum iustitia coram Dei iudicio consistit, sed iustitia Christi per fidem nobis imputata. Refero huc insignem locum ex Luthero in comm. c. I. Gal. statim in princ. *Multiplex est iustitia, quaedam est politica, quam caesar, principes mundi, philosophi & iurisconsulti tractant. Alia est ceremonialis, quam docent traditiones humanae. Praeter has est alia quaedam iustitia legalis seu decalogi, quam Moses docet, hanc & nos docemus post doctrinam fidei. Vltra & supra has omnes est christiana iustitia, quae diligentissime discernenda est ab illis superioribus. Sunt enim superiores huic prorsus contrariae, tum quod fluunt ex legibus caesarum, traditionibus papae & praeceptis Dei, tum quod versantur in nostris operibus & a nobis fieri possunt sive ex puris naturalibus (ut sophistae loquuntur) sive etiam ex dono Dei; (sunt enim & hae iustitiae operum dona Dei, ut alia bona, quae habemus) ista autem excellentissima iustitia, nempe fidei, quam Deus per Christum nobis absque operibus imputat, nec est politica, nec ceremonialis, nec legis divinae iustitia, nec versatur in nostris operibus, sed est plane diversa, hoc est, mere passiva iustitia, (sicut illae superiores activae) ibi enim nihil operamur, aut reddimus Deo, sed tantum recipimus & patimur alium operantem in nobis, ideo libet illam fidei seu christianam iustitiam adpellare passivam iustitiam &c.*

(*) Qui de Spiritu & lit. cap. 9. scribit: *Non dixit* (Apostolus) iustitia hominis *vel* iustitia propriæ voluntatis, *sed* iustitia Dei, *non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium.* cap. 10. *Haec est iustitia Dei, quae in test. veteri revelata in novo revelatur, quae ideo iustitia Dei dicitur, quod impartiendo eam, iustos facit.* GERHARDUS.

Argumenta Bellarmini pro justitia inhaerente stabilienda.

§. CCXXIII. Sed audiamus, quomodo Bellarminus probet inhærentem, non autem imputatam Christi iustitiam esse formalem nostræ iustificationis causam. Libr. II. de iustif. cap. 3. producit hæc argumenta. I.) Rom. V. 17. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, & donationis & iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum &c.* Ex quo loco colligit, *iustificari per Christum, non esse, haberi aut pronunciari iustum, sed vere fieri & constitui iustum per adeptionem inhaerentis iustitiae*, quod patere dicit ex phrasi *constitui iustum*, quod est, iustum fieri: & ex antithesi Adami ad Christum. Resp. de hoc loco apostoli egimus superius §§. 11. 26. & 29. ubi ostendimus, *iustificandi* verbum itidem in forensi significatione hic accipi; conferri autem primum & secundum Adamum, sive Christum, non quoad similem modum derivationis iustitiæ & iniustitiæ, sed tantum quoad amplitudinem utriusque extremi: quod alii sic efferunt, *collationem instituit iuxta rei modum sive attributionem.* Quod Bellarminus hoc loco addit, iustitiam illam, quæ iniustitiæ Adami opponitur, & quam per Christum consequimur, esse absolutam & perfectam iustitiam, cum nominetur abundantia iustitiæ, id τῶν ἀμφοῖν amplectimur; addimus autem, inhærentem iustitiam nostram a Christo nobis per Spiritum sanctum donatam non esse tam perfectam & absolutam, ut iniustitiæ per Adamum in nos propagatæ opponi possit, cum de inhærente nostra iustitia dicatur, quod sit *velut pannus mulieris menstruatae*, Esaj. LXIV. 6. cum *coram Deo nemo innocens pronuncietur*, Exod. XXXIV. 7. cum *peccatum adhuc habitet in carne renatorum*, Rom. VII. 18. cum *mendaces sint, qui se peccatum habere negent*, 1 Joh. I. 8. cum sanctissimi quique *peccatorum remissione* sese indigere & humiliter & veraciter confiteantur, Psalm. XXXII. 6. quæ omnia evidenter demonstrant, nec *habitualem* nec *actualem* renatorum iustitiam esse perfectam & absolutam, requiri igitur iustitiam, quæ iudicio Dei & iniustitiæ Adami in nos propagatæ opponatur, ea vero non est alia, quam ipsa Christi iustitia per fidem nobis imputata.

1.) *Rom. V. opponitur injustitia Adae & justitia Christi.*

§. CCXXIV. II.) Rom. III. 24. 25. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ejus.* Ubi *per gratiam* intelligitur *iustitia nobis donata & infusa.* Resp. de hoc loco itidem satis prolixe differuimus superius §. 18. ubi exceptiones Bellarmini discussimus. Hac vice monemus, apostolum diserte dicere, nos justificari διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, per redemtionem, quæ est in Christo. Jam vero disputantem audivimus Bellarminum superius, *particulam* per *proprie denotare causam formalem*, consequens igitur fuerit, formalem causam iustificationis esse redemtionem Christi, nimirum per fidem nobis imputatam, ideo enim addit apostolus v. 25. *quem* (Christum) *proposuit Deus propitiatorium* διὰ τῆς πίστεως, *per fidem in sanguine eius.* Monemus etiam, gratiam illam, qua nos hoc loco iustificari apostolus pronunciat, opponi *iustitiae legis*, Rom. III. 21. & ipsis *Abrahae* renati *operibus*, Rom. IV. 4. quomodo ergo infusam gratiam sive inhærentem iustitiam denotare poterit? Reliqua ex superioribus manifesta sunt. Ambrosius in hoc loco *gratiam illam, qua iustificamur, dicit esse in Christo.* Theophylactus ibidem: *Iustificantur omnes gratis gratia Dei, quae gratia per redemtionem fit, hoc est, perfectam libertatem, quam operatus est Christus, ipse enim se in pretium redemtionis dans, iustificavit nos.*

2.) *Rom. III. Iustificati gratis per gratiam ipsius.*

§. CCXXV. III.) 1 Cor. VI. 11. *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & in Spiritu Dei nostri*, ex quo loco patet, iustificationem continere & purgationem & sanctificationem. *Resp.* 1.) Demus ex hypothesi, descri-

3.) *1 Cor. VI. Et haec quidem fuistis, sed abluti estis.*

scribi hoc loco & peccatorum remissionem & interiorem renovationem individuo nexu eidem coniunctam, num vero statim sequitur, has esse duas iustificationis partes? non omnia, quæ invicem coniuncta sunt, ut partes *essentiales* coniuncta sunt. 2.) Fatemur, utrumque esse Christi beneficium, tam peccatorum remissionem, quam renovationem; interim tamen negamus, utrumque ad formam iustificationis referendum esse, cum per solam peccatorum remissionem & iustitiæ Christi imputationem iustificatio definiatur. 3.) Si adeurata textus consideratio adhibeatur, adparebit, triplici adcusationi antegressæ tria hæc tanquam subordinata opponi, sordibus scilicet ablutionem, contaminationi sanctificationem, reatui, quem in præcedentibus apostolus expresserat his verbis: *Regnum Dei non haereditabunt*, opponi iustificationem. 4.) Notanter dicit apostolus, *iustificationem fieri in nomine Christi*, quod Act. IV. 12. sic exponitur: *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.* Act. X. 43. *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Act. XIII. 38. *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur & ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Mosis iustificari.* Ergo iustificatio in nomine Christi est remissio peccatorum per & propter Christum, non autem deletio peccati per infusam gratiam. 5.) Nec absurda aut a textu aliena est explicatio eorum, qui ex consideratione oppositionis apostolicæ colligunt, describi hic ablutionem, quæ fit per Christi sanguinem, sanctificationem, quæ fit fide, & iustificationem, quæ consistit in remissione facta per nomen Christi, hoc sensu: fuistis olim in ethnicismo contaminati variis peccatorum sordibus, at nunc Christi sanguine abluti ac mundati estis; *sanguis enim Christi abluit vos ab omnibus vestris peccatis*, 1 Joh. I. 7. Fuistis olim profani & maledicti, at nunc sanctificati estis per Christum, in quem credidistis, *qui sanctificavit se ipsum pro vobis*, Joh. XVII. 19. & *factus est vobis a Deo sanctificatio & iustitia*, 1 Cor. I. 30. *ut in ipso sitis iusti & sancti*, 2 Cor. V. 21. Fuistis olim rei æternæ damnationis, exclusi e regno cœlorum, at nunc estis iustificati remissis peccatis, & facti hæredes vitæ æternæ; quam ablutionem & sanctificationem in iustificatione fieri, adeoque ad ipsum formale iustificationis pertinere non negamus.

§. CCXXVI. IV.) Tit. III. 7.

4.) *Ut justificati ipsius gratia hæredes simus vitæ æternæ.*

Ut justificati ipsius gratia hæredes simus secundum spem vitae aeternae: ex quo loco colligit Bellarminus, in verbis præcedentibus per regenerationem & renovationem describi justificationem, quam per donum aliquod inhærens fieri probat tribus argumentis: primo ex ipsa natura regenerationis, neque *enim intelligi potest, quomodo aliquis regeneretur sine ulla sui mutatione per solam Dei benevolentiam & justitiae imputationem:* deinde quia *regeneratio & renovatio dicuntur fieri per effusionem Spiritus sancti, quae est ipsa caritas:* denique quia *nec nos negemus renovationem aliquam fieri per Spiritum sanctum.* Resp. monendum primo omnium, *regenerationis* vocem esse ambiguam: quandoque enim sumitur γενικῶς, ut & remissionem peccatorum & renovationem simul complectatur: quandoque vero εἰδικῶς accipitur, ut remissionem peccatorum ac gratuitam justificationem tantummodo significet: priori sensu accipitur a Luthero in libr. de eccl. & conciliis, monente formula concordiæ art. III. Posteriori significatu speciali apologia Augustanæ confessionis sæpiuscule *regenerationis* voce utitur. Bellarminus regenerationem hic videtur accipere pro sola renovatione ac sanctificatione, vel certe generaliter accipit pro remissione peccatorum & renovatione conjunctim. Atqui 1.) nemo nostrum negat, regenerationi (proprie & specifice pro remissione peccatorum & justificatione per fidem acceptæ) conjunctam esse renovationem per Spiritum sanctum; nemo nostrum negat, mutationem aliquam fieri in regeneratione ac renovatione; nemo nostrum negat, baptismum esse lavacrum & regenerationis & renovationis, potuisset igitur Bellarminus labore hoc probandi supersedere. 2.) Id vero in quæstione est, an utrumque beneficium Christi, tam re-

novatio quam regeneratio specifice pro remissione peccatorum accepta, pertineant ad ipsum justificationis actum? quod ex textu non poterit evinci. 3.) Verba apostoli clarissime obloquuntur Pontificiis, negant enim *ex operibus justitiae, quae nos fecimus, salvos nos fieri*, (Bellarminus in adlegatione huius dicti vocabulum *justitiae*, quod disertissime non solum in græco textu, sed etiam in vulgata translatione habetur, omittit) illis operibus opponit apostolus Dei misericordiam, v. 5. ac benignitatem & φιλανθρωπίαν salvatoris nostri, v. 4. quam per gratiam illam, cuius v. 7. mentio fit, intelligendam esse, manifeste patet, nequaquam vero infusum gratiæ habitum. 4.) Exponit igitur apostolus causas iustificationis & salutis nostræ per ἄρσιν καὶ θέσιν. Causa principalis est Dei misericordia & gratia; causa meritoria Christus, non nostra opera: causa instrumentalis offerens baptismus, quem describit apostolus a duplici effecto, scilicet regeneratione & renovatione, addita mentione causæ principalis, videlicet Spiritus sancti, qui per baptismum ea operatur. Ergo quæ apostolus distincte proponit de causis iustificationis & de baptismi effectis, ea non sunt invicem confundenda. Et regenerationem & renovationem baptismo tribuit apostolus, nequaquam vero ad iustificationem utrumque beneficium refert. 5.) Regeneratio proprie sic dicta, quæ remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ Christi, translationem ex statu iræ in statum gratiæ, υἱοθεσίαν & ius vitæ æternæ complectitur, tam non recipit maius ac minus, quam ipsa carnalis generatio. At renovatio maius ac minus recipit, quia *interior homo de die in diem renovatur*, 2 Cor. IV. 16. & renati iubentur quotidie *renovari spiritu mentis suae*, Eph. IV. 23. & *perficere sanctificationem*, 2 Cor. VII. 1. ergo fundamentum, meritum, causa & formale regenerationis ac iustificationis non potest quæri vel constitui in renovatione, sed per fidem ex Deo nascimur, & filii Dei reddimur, Joh. I. 12. & 13. 6.) Fides ergo est, per quam regeneramur, sed nec fides, nec caritas, nec aliud quicquam in nobis est causa, propter quam regeneramur. Quemadmodum enim nihil quicquam est in homine, propter quod dicatur generari sive nasci, quin potius totum illud in generante situm est: ita quoque non est in nobis causa spiritualis regenerationis, sed gratuita Dei misericordia per Spiritum sanctum & verbum nos regenerat, ex filiis iræ facit filios gratiæ, non propter caritatem, quæ sequitur demum regenerationem, sed propter Christum fide adprehensum. 7.) Non negamus, in regeneratione fieri aliquam mutationem, præterquam enim quod Spiritus sanctus per lucem verbi accendit in cordibus regenerandorum lucem fidei, qua Christum agnoscunt & amplectuntur, conjuncta insuper est regenerationi renovatio, ac opulenta illa donorum Spiritus sancti effusio, sed hæc non est formalis causa regenerationis, sed eius consequens; quomodo enim Deus effunderet in eos Spiritum sanctum, qui nondum sunt ipsi reconciliati, quibus peccata nondum sunt per & propter Christum remissa? In baptismo utrumque beneficium coniunctum est, nam & regeneramur & renovamur simul per Spiritum sanctum, interim tamen renovatio non est iustificationis causa, sed consequens.

§. CCXXVII. V.) Heb. XI. 4. 7. testatur apostolus, *aliquos homines fuisse vere & absolute justos. Abel, Noë & alii eorum similes vere justi erant, non imperfecte & inchoate, sed absolute & perfecte, nequo enim scriptura absolute justos vocaret eos, qui absolute justi non essent: quid? quod etiam quosdam perfectos & immaculatos adpellat* Gen. VI. 9. Psalm. CXVIII. 20. *Resp.* 1.) Duplex est iustitia, *imputata & inhaerens*, utraque dicimur iusti, illa *relative*, perfecte, & coram Deo, hac vero *subjective*, inchoate & imperfecte, coram hominibus. 2.) Iustitiæ imputatæ non est opponenda vera iustitia, ut enim vera est imputatio peccatorum nostrorum facta Christo, ita quoque vera est imputatio iustitiæ Christi per fidem nobis facta. 3.) Apostolus diserte dicit Abelem *per fidem testimonium justitiae consecutum esse*, v. 4. ac *Noachum justitiae, quae per fidem est, haeredem constitutum*, fidei ergo iustitia fuit, qua

5.) *Hebr. XI. Nonnulli homines adpellantur perfecte justi.*

qua Abel & Noachus coram Deo iusti fuerunt, hæc fidei iustitia exseruit se per bona opera. 4.) De iustitiæ declaratione & manifestatione per opera loquuntur dicta illa, quæ Bellarminus hic adducit, quod *Deus testimonium perhibuerit Abelis muneribus, quod justus sit, qui faciat justitiam, quod Noë fuerit justus, quia cum Deo ambulaverit, &c.* Nimirum describuntur in his & similibus dictis homines iusti ab effectibus, non autem definitur formale iustificationis coram Deo. 5.) Quo sensu & respectu vere pii & renati dicantur perfecti, late exposuimus in tractat. de lege §. 192. Breviter, pii dicuntur perfecti, *primo* ratione fundamenti in Christo, quia imputative coram Deo sunt perfecte iusti in Christo, quam imputatam iustitiam sequitur iustitia operum, quæ licet sint imperfecta & immunda, tamen placent Deo per fidem: *deinde* ratione integritatis ab omni hypocrisi remotæ, quia enim non duplici & hypocritico, sed toto & sincero corde Deum colunt, ideo hoc respectu etiam perfecti dicuntur: *tertio* respectu oppositionis ad aliorum iniustitiam, sic Noë dicitur vir *justus & perfectus in generationibus suis: denique* ratione termini perfectionis, ad quem tendunt, renovantur enim de die in diem, perficiunt sanctificationem, ad plenam in cœlesti patria perfectionem totis viribus adspirant, & toto cordis desiderio contendunt.

§. CCXXVIII. VI.) Rom. VIII. 29. & 1 Cor. XV. 49. *Electi dicuntur conformes imagini Filii Dei, & portare imaginem Christi. Atqui Christus non est iustus per imputationem, sed vere ac proprie, igitur & nos iustitiam veram & inhaerentem habere necesse est; si enim non re ipsa, sed solum putative iusti sumus, magis diaboli quam Christi imaginem geremus. Adde, quod veram imaginem Adami portavimus, ergo iustitiam oportet nobis vere ac re ipsa inhaerere, ut & veram Christi imaginem geramus.* Resp. 1.) Num etiam hoc modo colliget Bellarminus: Ea iustitia sumus coram Deo iusti, quæ nobis inhæret & iustitiæ Christi est conformis. Atqui Christi iustitia non includit fidem. Ergo nec nostra iustitia consistit in fide. Certe ita philosophatur cap. immediate sequente, ubi sic scribit, arg. 3. *Iustitiae res est adeo bona, ut cum nullo alio pugnet, & ideo adiunctione aliorum bonorum non minuatur, nec desinat esse, sed perficiatur semper & crescat, ut perspicuum est ex eo, quod invenitur in beatis, in Christo & in ipso Deo. At fides repugnat beatitudini, neque in Deo, aut in Christo unquam fuit, neque in angelis & hominibus manet, cum beati esse incipiunt.* Et postea: *Iustitia facit nos Christo similes, & per eam gerimus Christi imaginem. At fides non facit nos Christo similes, sed potius aliquo modo dissimiles, cum in Christo fides non fuerit, quippe qui faciem Patris semper viderit. Ad haec iustitia est virtus, per quam lex divina completur; at plenitudo legis non est fides, sed caritas.* Hæc omnia Bellarminus, quæ si aliquod robur habent, fides plane cogetur exsulare a iustificatione. Deleat igitur Bellarminus, quæ alibi disputat, quod fides sit initium iustificationis, eiusdemque causa formalis, licet non sola. 2.) Imputatam Christi iustitiam vocare *putativam*, hoc est, imaginariam & falsam, calumnia est; ne quid dicam gravius. 3.) Conformitas illa piorum cum Christo consistit *primo* in fide, per quam Christo unimur, & corpori eius mystico inserimur, per *quam fidem Christus habitat in cordibus nostris*, Eph. III. 17. *Deinde* in cruce, quemadmodum enim Christus *per passionem intravit in gloriam suam*: Luc. XXIV. 26. ita & nos *per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum*, Act. XIV. 22. *Praeterea* etiam vita nostra debet conformari vitæ Christi, *Discite a me*, ait Matth. XI. 29. *quia mitis sum & humilis corde*, sed hæc conformitas in hac vita non est perfecta. 1 Pet. II. 21. *Christus reliquit nobis ὑπογραμμὸν, ut sequamur vestigia eius*, ubi elegans metaphora proponitur. Quemadmodum enim puer literas pingere discens, nondum perfecte adsequitur ὑπογραμμὸν, exemplar scripturæ sibi propositum; ita quoque vitæ nostræ cum Christo conformitas in hac vita nondum est perfecta, sed in æterna demum vita implebitur id, quod scriptum est Eph. V. 26. 27. *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo,*

6.) Rom. VIII. Electi dicuntur conformes imagini Filii Dei.

bo, ut exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, nec rugam, nec quicquam eiusmodi. Vide Augustinum libr. I. de doctr. christiana, cap. XVI. serm. XXIX, de verbis apost. libr. II. retract. cap. 18. &c. Recte Bernhardus serm. XXV. super Cant. *Sponsa Christi naevo nigredinis in loco peregrinationis suae non caret, alioquin erit, cum eam sibi in patria sponsus gloriae exhibebit gloriosam, non habentem maculam, aut rugam.* Denique in resurrectione mortuorum *transformabit* Christus *corpus nostrum humile*, ut σύμμορφον *fiat corpori suo glorioso.* Phil. III. 21.

§. CCXXIX. VII.) Rom. VI. 7. *Qui mortuus est, iustificatus est a peccato, ubi docet apostolus, nos per iustificationem, qua morimur peccato, & resurgimus iustitiae, repraesentare Christi mortem & resurrectionem. At Christus non putative, sed vere mortuus est & vere resurrexit. Ergo & nos non putative, sed vere morimur peccato, & resurgimus ad iustitiam, cum per baptismum iustificamur. Quo refert dictum Petri* 1 epist. IV. 1. *Qui passus est in carne, desiit a peccatis.* Resp. 1.) Quidam statuunt, apostolum verbis illis Rom. VI. 7. *Qui mortuus est, iustificatus est a peccato*, alludisse ad iudiciorum capitalium sententias, quibus condemnati ad mortem non magis deinde delinquunt, (vide Camerarium in notis ad hunc locum) sed simplicius exponitur dictum esse phrasi hebraica δεδικαίωται pro ἠλευθέρωται, quo verbo utitur apostolus v. 18. & 22. eiusdem cap. qui enim iustificatur, hoc est, in iudicio absolvitur, is liberatur a poena. Ambrosius h. l. *Hoc est mori peccato, liberari a peccato, fieri autem servum Dei.* 2.) Iustificari igitur a peccato non est liberari ab omni eo, quod habet veram rationem peccati, sed liberari a reatu & poena peccati, quos enim hoc loco *peccato mortuos*, v. 2. *consepultos cum Christo per baptismum in mortem* v. 4. & *a peccato iustificatos* v. 7. apostolus pronunciat, *in eorum carne adhuc habitare peccatum* cap. seq. docet; admonet vero, ne eipermittant *dominium*, Rom. VI. 12. nec *ulterius ei serviant* v. 18. Sic veterem hominem in renatis crucifixum esse docet, v. 6. quod Gal. V. 24. sic exponitur, *eos, qui Christi sunt, crucifigere carnem cum adfectibus & concupiscentiis*, sed ibidem v. 17. additur, quod *caro adhuc adversus spiritum in renatis concupiscat.* 3.) Vere igitur, non *putative* renati sunt peccato mortui, in mortem Christi baptizati, & cum Christo per baptismum in mortem consepulti, quia percipiunt efficaciam mortis illius, non solum quoad peccati remissionem, sed etiam quoad eiusdem mortificationem, quae non minus, quam ipsa peccati remissio, est beneficium mortis Christi; sed ex eo non potest inferri, quod in carne renatorum non amplius sit peccatum. Mortificatio enim illa non peragitur uno statim momento, sed quotidie debet vetus homo sive caro cum suis concupiscentiis crucifigi, occidi ac sepeliri, ut quotidie resurgat homo novus, qui in sanctitate & iustitia coram Deo vivat. 4.) Scopus igitur apostoli est renatos exhortari, ut in mortificatione veteris hominis constanter pergant, peccato ulterius non serviant, nec regnum ei concedant; nequaquam vero adserit, omne, quod veri peccati rationem habet, in renatis esse exstinctum & abolitum, quin imo cum peccatum in ipsorum corpore regnare prohibeatur, ex eo manifestum est, quod in corpore adhuc habitet, alias frustra tam solicite dominium eius prohiberetur. Augustinus tract. XLI. in Joh. *Non regnet peccatum; non ait, non fit, sed non regnet, quamdiu enim vivis, necesse est peccatum esse in membris tuis, sultem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.* Lib. II. de peccat. meritis & remissione cap. 7. *Non ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum.* Et postea: *Profecto qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, & in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* Ambrosius h. l. *Caro, id est, corpus sic crucifigitur, si desideria ejus calcentur, quae manente in ea peccato creantur ex praevaricatione primi hominis capta.* Repetenda sunt h. l. ea, quae de concupiscentia prava in renatis adhuc reliqua alibi proposita sunt.

7.) Rom. VI. Qui mortuus est, justificatus est a peccato.

§. CCXXX.

8.) Rom. VIII. Accepimus per Christum Spiritum adoptionis.

§. CCXXX. VIII.) Rom. VIII. 15. *scribit apostolus, nos jam per Christum accepisse Spiritum adoptionis filiorum Dei, quoad animam, quae vivit propter justificationem, quamvis corpus mortuum sit, id est, adhuc mortale propter peccatum; sed paulo post addit: nos jam primitias Spiritus habentes, intra nos gemere, exspectantes adoptionem filiorum Dei redemtionem corporis nostri; nam, ut idem ait Phil. III. 20. salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus nostrum humile, ut fiat conforme corpori suo glorioso. Atqui adoptio filiorum, quam exspectamus in redemtione corporis, verissima erit, & inhaerens in ipso corpore, id est, immortalitas & impassibilitas, non putativa, sed vera. Igitur adoptio, quam nunc habemus in Spiritu per justificationem, vera etiam esse debet, non putativa.* Resp. 1.) Propter imputatam Christi justitiam vere adoptamur in filios Dei; calumnia ergo est, quod nobis tribuitur, quasi putativam adoptionem statuamus. 2.) Locus apostoli diserte repugnat Bellarmino. Quia enim corpus renatorum mortuum, hoc est, morti obnoxium est propter peccatum, ex eo manifeste adparet, quod peccatum adhuc in eo habitet. 3.) Per *corpus* non intelligit apostolus tantummodo renatorum corpus, prout ab anima distinguitur, nec per *spiritum* animam, prout a corpore distinguitur; sed in tota illa disputatione apostolica per corpus intelligitur *vetus homo*, per spiritum vero *novus homo*. Quando igitur corpus dicitur mortuum propter peccatum, intelligitur hoc de renatis, quatenus adhuc carnales sunt, & ob id etiam morti obnoxii, non quod ipsa anima sit mortalis, sed quia cum dolore & violentia a corpore in morte separatur. 4.) Quæ vero hæc est consequentia? Renati vere sunt in filios Dei adoptati; ergo propter inhærentem justitiam υἱοθεσία ipsis contigit? quinimo cum adoptio illa sit mere gratuita & fide in Christum contingat, ideo non est ex operibus. 5.) Nec absurdum est, ut quidem Bellarmino videtur, animæ redemtionem nos adhuc exspectare; cum enim ab odiis & persecutionibus mundi, a tentationibus satanæ & a concupiscentiis carnis in hac vita coangustetur, cur non exclamemus, cum Davide Psalm. CXLII. 8. *Educ ex carcere animam meam*, cum apostolo Rom. VII. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Phil. I. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Nec est, quod distinguatur inter exteriorem animæ coangustationem & interiorem ejus renovationem, ostendunt enim pravæ concupiscentiæ in ipsa anima adhuc reliquæ, interiorem ejus renovationem in hac vita non esse perfectam ac numeris omnibus absolutam.

An fides sit integra formalis causa justificationis?

§. CCXXXI. Atque hæc sunt argumenta, quæ Bellarminus profert, ut probet justitiam inhærentem esse *formalem* justificationis nostræ *causam*, ubi quilibet videt, non potuisse ipsum adferre manifesta & perspicua scripturæ dicta, sed contortas quasdam conclusiones, ex variis scripturæ dictis male adplicatis elicitas: adde, quod vix unum atque alterum ex propria sede hujus doctrinæ Rom. III. & IV. Gal. II. & III. Eph. II. Phil. III. sit petitum, nostra autem sententia disertis verbis aliquoties exstat apud apostolum, & quidem in propria hujus argumenti sede, quod *justificemur fide absque operibus legis*, quod *non operanti, sed credenti in eum, qui justificat impium, fides imputetur ad justitiam*, quod *beatificatio sit ejus hominis, cui Deus imputat justitiam absque operibus &c.* Cap. 6. disputat Bellarminus, *fidem non esse integram formalem causam justificationis*, quod uti probet, adstruere nititur, *fidem per caritatem operari, hoc est, formari*, (ut ipse quidem per insignem solœcismum exponit dictum apostolicum Gal. V. 6.) qua de re quid statuendum sit, patere potest ex superioribus §. 125. Adducit etiam argumentum quoddam: *Fides* (inquit) *repugnat beatitudini, neque in Deo, aut in Christo unquam fuit: nec facit nos Christo similes, sed potius aliquo modo dissimiles. Ergo non est ipsa formalis justitia, nisi inchoata & imperfecta.* At si quid roboris inest huic argumento, obtinebit, fidem nullo modo esse formalem justitiam nec perfectam, nec

nec imperfectam, nec inchoatam, nec completam, sed tantummodo ad dispositiones justificationis prævias pertinere; consequens etiam fuerit, caritatem (in qua potissimum formalis justificationis causa ex hypothesi Bellarmini consistit) abolere fidem, ne per eam amplius simus Christo dissimiles. Cap. 5. disputat contra Osiandrum, quod formalis causa justificationis non sit justitia Dei *essentialis*, qua in parte, quod ad summam rei, habet nos Bellarminus sibi ὁμοψήφους, aliis tamen argumentis utimur, quorum præcipua superius §. 196. enumerata sunt, quid autem in ἐργασίᾳ hujus capitis desideremus, patere potest ex antedictis. Cap. 6. probare nititur, justificationem nostram non constare sola peccatorum remissione, quod dicit se contra Calvinum demonstraturum. Atqui Calvinus non excludit imputationem justitiæ Christi, ut superius demonstratum fuit, sed in sola peccatorum remissione justificationem statuens, negat in remissione peccatorum & renovatione simul eam quærendam esse, qua in parte nobiscum consentit.

An justificatio consistat in renovatione?

§. CCXXXII. Videt hoc ipse Bellarminus, ideo ad illum scopum argumentorum suorum tela dirigit, quod justificatio non consistat in sola remissione peccatorum, sed etiam in interna renovatione. Atqui justificatio & renovatio multis modis differunt: 1.) τῷ εἶναι sive *forma*. Justificatio est remissio peccatorum, & imputatio justitiæ. Renovatio est impurarum qualitatum ad puras reductio. 2.) *Subjecto*. Justitiæ enim illius, qua justificamur, fundamentum est in Christo, sed renovationis subjectum est mens, voluntas, adfectus & omnia membra exteriora. 3.) *Objecto*. Justificatio respicit Christum, renovatio vero legem. 4.) *Causa efficiente proxima*. Justificatio non habet causam in nobis inhærentem, renovatio habet voluntatem, quæ est principium actionum. 5.) *Effectis*, illa nos absolvit in judicio Dei: hæc minime. 6.) Justificatio est actus ἀδιαίρετος, renovatio *dividuus*, successive enim perficitur ex Dei beneplacito. Ita Pelargus in Jesuitismo loco IX. §. 9. Hæc membra distinctionis alii hoc modo proponunt, quod justitia imputata ac justitia inchoata differant: 1.) *prædicamentis*. Justitia imputata est χέσις relatio, seu λογισμὸς Dei, seu obedientia Christi imputata credenti: at justitia inchoata est qualitas vel actio seu ἐνέργεια in nobis. 2.) *Causis efficientibus propinquis*. Imputata est propriissimum & immediatum beneficium Christi mediatoris. Inchoata immediate & proprie est opus Spiritus sancti. 3.) *Ordine naturæ* seu causæ & effectus, seu antecedentis & consequentis. Nam imputata prior est inchoata, & donatio Spiritus sancti initium seu causa efficiens renovationis & vivificationis est, ita ut nemo domicilium & templum Spiritus sancti esse possit, nondum coram Deo justificatus; inde Paulus de illa ex professo disputat, Rom. III. IV. & V. de hac cap. VI. & VII. 4.) *Ratione perfectionis*. Ut enim justitia seu obedientia Christi in se perfecta & omnibus numeris absoluta est, ita in conspectu Dei & angelorum eadem tota, plena & integra omni credenti ad justitiam imputatur, & justitia personæ credentis semper perfecta est, nec majus aut minus recipit: sed instauratio imaginis divinæ, etsi subinde augetur, nunquam tamen ad perfectionem pervenit in hac vita. 5.) *Effectibus*, pace scilicet & tranquillitate conscientiæ in Deo propitio suaviter acquiescentis per & propter Christum fide adprehensum. Donatio Spiritus sancti est testimonium saltem nostræ cum Deo per Filium mediatorem reconciliationis & adoptionis in filios. Ita Schilterus in disp. de justificat. th. 89. & seqq. Renovatio differt a justificatione: 1.) *Ordine*. Justificatio enim præcedit, renovatio vero sequitur. 2.) *Effectu*, per justificationem reddimur justi λογισμῷ seu imputatione: per renovationem habitu justi & sancti fieri incipimus. 3.) *Forma*, justificatio est perfectissima & absolutissima, renovatio autem imperfecta. 4.) *Duratione*, justificatio imputativa cessabit in altera vita, renovatio vero tunc complebitur: ita Lobechius disput. VII. in August. confessionem thes. 75. Ex quibus omnibus patet, justificationem a renovatione differre *genere*, *efficiente causa proxima*, *forma*, *subjecto*, *objecto*, *gradibus*, *effectis & adjunctis*, quæ omnia ex parabo-

rabola de filio prodigo, qui primum patri reconciliatur, postea vero pretiosis donis ornatur; ex distinctione inter spiritualem desponsationem & Spiritus sancti obsignationem, arrhæ loco datam, ex praxi Pauli, qui de inhærente sua justitia flebiliter exclamat: *video aliam legem in membris meis &c.* sed de imputata justitia magnifice gloriatur ex loco Rom. VIII. 30. *quos justificavit; hos & glorificavit, (per donorum largitiones*, ut exponit Chrysostomus hom. XV. in ep. Rom.) & ex aliis fundamentis declarari possunt uberius. Habet se peccatum in nobis ut reatus & morbus, justificatio tollit reatum, sanctificatio sanat morbum; qui reo ægro debitum pœnæ remittit, non statim morbum radicitus tollit.

Justificationem consistere in renovatione. 1 Rom. IV. Christus resurrexit propter justitiam nostram.

§. CCXXXIII. Quomodo ergo probat Bellarminus, justificationem consistere in renovatione? I.) Rom. IV. 25. *apostolus ita loquitur de Christo: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justitiam nostram, ubi nomen justificationis tribuit potius renovationi internae, quam remissioni peccatorum, ac per hoc docet, justificationem non modo non constare sola remissione peccatorum, sed neque praecipue ea constare* (*). Resp. 1.) Quamvis videri velit Bellarminus, quod non plane neget, in peccatorum remissione consistere justificationem, monendum tamen, quod per remissionem peccatorum non intelligat absolutionem a peccatis, sive non-imputationem eorum propter Christum, sed totalem eorum deletionem & expunctionem per infusam gratiam, sic enim paulo post scribit: *Una & eadem gratia per Christi meritum nobis infusa atque in nobis inhaerens & peccata delet, & animam justitia ornat;* longe ergo alio sensu Bellarminus accipit remissionem peccatorum, quam in nostris ecclesiis accipitur, nimirum confundit eam cum renovatione & carnis mortificatione. 2.) Dictum apostoli Bellarminus sic interpretatur: *Christus mortuus est propter delicta nostra, videlicet remittenda, & resurrexit propter justificationem nostram, id est, ut in novitate vitae ambulemus*, quam expositionem probare conatur ex cap. VI. Rom. ubi apostolus adserit, *mortem Christi fuisse exemplar mortis peccatorum, id est, remissionis & deletionis peccatorum; resurrectionem vero exemplar regenerationis & renovationis internae, per quam in novitate vitae ambulamus.* At ψευδέρμηνειαν illam non recipimus. Quamvis enim apostolus Rom. VI. proponat mortem & resurrectionem Christi ut causam & exemplar nostræ renovationis, quæ in mortificatione veteris & resurrectione novi hominis consistit: tamen in loco Rom. IV. 25. non de exemplari, sed de merito passionis & resurrectionis Christi agit, id quod particula *propter* satis evidenter comprobat; exponit enim aliam & quidem primarium passionis & resurrectionis Christi in salute nobis promerenda finem, ac verus dicti apostolici sensus is est, Christum passione & morte sua veram justitiam coram Deo valentem nobis promeruisse, distincte vero morti Christi peccatorum nostrorum expiatio, ac resurrectioni ipsius nostra justificatio adscribitur, non quod ab adquisitione ac merito justificationis passio & mors Christi sint exclusæ, (cujus con-

(*) Pererius disp. X. in cap. IV. Rom. thes. 48. *Paulus hoc loco remissionem peccatorum distinguit a justificatione, dicens Christum esse mortuum propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram, aperte indicans, nec in sola remissione peccatorum consistere justificationem nostram, sed principalem justificationis partem esse renovationem vitae ac rectitudinem mentis, cujus exemplum fuit resurrectio Christi.* Resp. renovatio vitæ non est justificationis pars, sed fructus; exemplaris illa interpretatio resurrectionis Christi locum non habet, nondum enim apostolus de *effectis*, sed de *causis* justificationis agit, postea demum cap. 6. dicit, nos consepultos cum Christo in mortem. Pererius ibidem num. 48. falso scribit, *resurrectionem Christi non habere causam meritoriam nostræ justificationis.* Nam si Christus mansisset in morte, nondum devicta esset mors, nec dum expiata peccata, 1 Cor. XV. 17. Hieronymus Rom. IV. *Christum resurrexisse, ut justitiam credentium confirmaret.* GERHARDUS.

contrarium vel centies in scripturis occurrit) sed quia mors Christi ad justitiam acquirendam nobisque adplicandam otiosa fuisset, nisi de peccato, morte & satana victor ex mortuis resurrexisset. Augustinus libr. XIII. de Trinitate c. 15. *Non est difficile videre diabolum victum, quoniam qui ab illo occisus est, resurrexit.* Resurrectio ergo Christi est evidens testimonium, quod plena & perfecta satisfactio pro peccatis nostris Deo præstita, & perfecta justitia adducta sit, alias cœlestis Pater hunc sponsorem non eduxisset ex sepulchri carcere. 3.) Nequaquam igitur renovationi internæ nomen justificationis tribuitur, sed *fides* Christum, pro peccatis nostris mortuum, & propter justitiam nostram resuscitatum, adprehendens *ad justitiam imputari* dicitur. Rom. IV. 5. 4.) *At*, inquit Bellarminus, *Christi mors, quae est redemtionis nostrae pretium, fuit non solum causa remissionis peccatorum, sed etiam internae renovationis.* Resp. id vero libenter fatemur, quod tam renovatio, quam peccatorum remissio sit Christi beneficium, quin etiam addimus, in justificatis hæc semper esse conjuncta, interim tamen adcurate sunt distinguenda, nec in utroque justificatio statuenda. 5.) Aliud enim est peccati remissio, quæ est solius Dei opus, nec magis aut minus recepit, idcoque in justificatione perfecte contigit: aliud peccati mortificatio, quæ non est absolute solius Dei opus, sed ex parte etiam nostrum, quatenus renati novis viribus a Spiritu sancto donati in mortificatione peccati sunt Dei συνεργοι, atque hæc mortificatio recipit magis & minus, alii enim renati magis, alii minus, quin iidem renati diversis temporibus magis ac minus mortificeant peccatum; neque enim in momento perficitur illa mortificatio & renovatio, sed suos habet gradus, suaque incrementa, *interior homo de die in diem renovatur*, 2 Cor. IV. 16.

2.) *Rom. V. Sicut peccatum regnavit in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam aeternam.*

§. CCXXXIV. II.) Rom. V. 21. *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam aeternam; ubi renovatio interna dicitur justitia, utique ergo erit justificationis causa.* Resp. per *justitiam* intelligitur ibi non nostra inhærens, sed Christi justitia, siquidem opponitur peccato Adæ, per carnalem propagationem in nos traducto, & diserte additur, gratiam regnare per justitiam in vitam æternam *per Dominum nostrum Jesum Christum:* de ea igitur justitia loquitur apostolus, quam gratis Deus donat in Christum credentibus, ut sic *gratia exuberet supra delictum.* Sed demus ex hypothesi, renovationem internam hic vocari justitiam, & peccato opponi, num ex eo statim consequens, quod sit justificationis causa? minime vero: cum enim imperfecta & immunda sit, ideo non potest Dei judicio opponi; cum sit justificationis consequens, ideo non potest ejus causa statui. Tiletanus in confut. conf. Antverp. urget potissimum hoc, quod dicatur *justificatio vitae*, per quam intelligi vult *inhaerentem justitiam ac vitae novitatem.* Atqui *justificatio* ibidem manifeste opponitur *condemnationi.* Ergo non significat virtutum infusionem, sed absolutionem, quæ vocatur justificatio vitæ, quia adfert vitam æternam, sicut Christus Joh. VI. 35. dicitur *panis vitae*, id est adferens vitam, phrasi hebraica. Ex quo facile adparet, quid ad reliqua loca, quæ Bellarminus adducit, respondendum sit. Damus enim, quod ex dictis scripturæ & Augustini testimoniis obtinere voluit, esse in renatis justitiam aliquam inhærentem, at ex eo nondum potest deduci, quod inhærens illa justitia sit formalis justificationis causa, eum illi ipsi renati, quibus inhærens justitia tribuitur, quotidie renovari & peccatorum remissionem petere jubeantur. Augustinus epist. XXIX. ad Hieron. *Caritas* (quæ ex hypothesi Bellarmini est potissima pars inhærentis justitiæ) *in aliis major, in aliis nulla est; plenissima vero, quae jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine est. Quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est: ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet: ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens: propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est: propter quod etiam, quan-*

quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, dimitte nobis debita nostra, cum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata sunt remissa. Idem in Psalm. LXV. *Perfecta justitia non erit nisi in illa vita, tamen ad profectum & bonos mores ab ipso inspiramur, ab ipso donamur: noli ergo merita tua computare. &c.* Hæc Augustinus, imperfectionem inhærentis justitiæ manifeste adferens, utique ergo requiritur alia perfecta justitia, quæ coram Deo judice justissimo possit subsistere, ea vero est justitia Christi per fidem imputata. Specialem dictorum scripturæ ἐξήγησιν vide apud Battum libr. I. de justificat. cap. 24.

Justificationem non consistere in imputatione justitiæ Christi.

§. CCXXXV. Cap. 7. adgreditur Bellarminus acropolin controversiæ ac probare conatur, *justificationem nostram non consistere in imputatione justitiae Christi.* Ceterum cum doctrinæ huic de imputatione justitiæ Christi admodum iniqui sint Pontificii, adeo, ut adpellent *putativam & imaginariam justitiam* (Andradius in defens. fid. Trid. p. 477. vocat *amentissimam insaniam.* Stapletonus in antid. apost. p. 97. nominat *spectrum cerebri Lutherani.* Censura Colonienſis dicit, *hanc imputationem a seculo non esse auditam* (*). Wilhelm. Rainoldus in libr. contra Witak. p. 324. vocat *mathematicum solifidianum commentum.* Sanderus libr. V. de justif. cap. 1. scribit, *dolo malo verbum apostolicum λογίζεσθαι a nostris redditum compositio Latino imputari* (**). Ideo præmittenda quædam explicatio hujus imputationis. Quod Hebræis est חָשַׁב Græcis λογίζειν sive λογίζεσθαι, id latinus bibliorum interpres vertit per *imputari, reputari, acceptum ferre.* Plinius libr. XVIII. cap. 1. *Quod terra noxia parit, nostra est culpa, nos eam nostris criminibus urgemus, & culpam nostram illi imputamus.* Erasmus in cap. IV. Rom. p. 262. λογίζεται *imputat sive acceptum fert. Est autem acceptum ferre, pro accepto habere, quod non acceperis, quae apud jurisconsultos vocatur acceptilatio.* Vide tit. IV. libr. 46. ff. Flacius in libr. de diss. Pontif. p. 175. & in apolog. confess. Antverpiensis cap. VI. p. 147. adlegat locum ex Dominico Soto, qui in cap. IV. Rom. *imputandi* vocabulum hoc modo declarat: *Acceptum ferre (quod ad praesentem attinet expositionem) remissionem significat debitorum. Cum enim creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre, unde verbum juris dimanavit* acceptilatio, *ubi scilicet debitor, qui non est solvendo, interrogat suum creditorem, utrum acceptum habeat, quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto & soluto deputet, tunc enim si creditor respondeat, habeo quidem acceptumque tibi fero, remissio illa & condonatio dicitur* acceptilatio, *quae e regione opponitur justae solutioni. Pulcherrima ergo hic adcommodatissimaque oratione explicat Paulus, tum id quod dixerat:* reputatur fides ad justitiam, *tum clarissime rationem nostrae justificationis. Cum enim nos solvendo non simus Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, id est, pro accepto dusit, si modo illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca magis perspicua esset, fateor, verso: cui Deus acceptum fert justitiam sine operibus, hoc est, sine debiti solutione.* Hæc Sotus non male. Declarari potest hæc imputatio ex sequentibus scripturæ locis: Num. XVIII. 27. de Levitarum decimis dicitur: וְנֶחְשַׁב *& reputabitur vobis elevatio vestra sicut frumentum de area*, hoc est, coram Deo perinde id erit ac si de area vestra frumentum esset oblatum. 1 Reg. I. 21. *cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus suis, ero ego & filius meus peccatores,* וְהָיִיתִי חַטָּאִים reputabimur peccatores, hoc est, rei criminis læsæ majestatis ac digni, qui morte adficiamur.

(*) Smalcius, Photinianus, vocat *satanæ impostura.* disp. II. contra Frantzium. Cornelius a Lapide adpellat *larvam*, in cap. IV. Ephes. GERHARDUS.

(**) Sibrandus in declarat. p. 110. *Si viva fides, quatenus viva, nobis imputatur ad justitiam, sequitur Christi obedientiam nobis non imputari.* p. 76. *Fides proprie dicta non imputatur nobis ad justitiam.* GERHARDUS.

ciamur. Esa. LIII. 12. אֶת־פֹּשְׁעִים נִמְנָה *cum praevaricatoribus numeratus est*, Marc. XV. 28. id sic reddit, μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη, *cum iniquis reputatus est*. Christus certe ἄκακος, ὅσιος, ἀμίαντος, sed nostri causa in judicio divino & humano cum iniquis reputatus est, nimirum quia *Pater posuit in eo iniquitates omnium nostrum*, ut Esaias ibidem exponit. Paulus in epist. ad Philem. v. 18. *Si quid nocuit aut debet tibi* ἐμοὶ ἐλλόγει *mihi imputata*. Rom. II. 26. *Ethnicis servantibus legem praeputium imputabitur* λογισθήσεται *ad circumcisionem*, id est, censebuntur pro circumcisis. Hæc & similia exempla ostendunt esse veram quandam & realem imputationem, quæ fundamentum habet in imputante, non autem in eo, cui fit imputatio (*). Ergo quid sit, quod apostolus dicit, *fidem Abrahamo imputatam ad justitiam;* item *credentibus imputari justitiam absque operibus*, tum ex dictis patet, tum ex sequenti consideratione magis erit manifestum. Deus in judicio suo rationes a nobis exigit donorum nobis concessorum, hoc est, ejus perfectionis & integritatis, in qua & cum qua nos creaverat ad imaginem suam. Exactio illa fit per tabulas legis, quæ hoc sensu recte dicuntur tabulæ accepti & expensi, accepti scilicet a nobis & expensi a Deo. Atqui concreatam illam integritatem, sapientiam ac justitiam non invenit Deus in nobis, sed contra peccatum & iniquitatem στέρησιν τῶν ἀγαθῶν ac ἕξιν τῶν κακῶν, accusamur igitur & damnamur voce legis, sive quod idem est, justitia Dei in lege revelata. Verum hic misericordia venit in medium, quæ Christum mediatorem ac redemtorem nobis exhibet, tollentem a nobis, quod nostrum est, hoc est, peccata & iniquitates; ac donantem nobis, quod suum est, nimirum obedientiam legi præstitam. Ex hoc vere admirando justitiæ & misericordiæ divinæ temperamento oritur nostra justificatio. Deus enim, qui est simul misericors & justus, non imputat nobis peccatum, sed imputat nobis justitiam Christi, nimirum per fidem. Fides enim est, quæ ad propitiatorium hoc in Christo nobis propositum confugit, atque in eo recumbit ac nititur. Neve Bellarminus obvertat, *satisfactionem quidem Christi, non autem justitiam ejus nobis imputari*, monemus, homi-

(*) Rom. IV. 5. imputationis fundamentum constituitur in judicio & voluntate imputantis, non in nobis, in quibus contrarium est fundamentum, non ad justitiam, sed ad iram, si Deus intrare vellet judicium. *Imputatio* 1.) *non est opinio aut figmentum aliquod:* 2.) *nec realis alicujus infusio, sed realis adplicatio meriti Christi & justitiæ extra nos præstitæ, per fidem autem nobis adscriptæ. Habet autem duplicem considerationem.* a) *Fit imputatio rei ab una persona ad aliam, & sic justitia Christi ad nos & vicissim nostra injustitia ad Christum solo Dei decreto & æstimatione transfertur. Sic Paulus dicit, justitiam Christi nobis imputari & peccatum nostrum imputari Christo* 2 Cor. V. *in qua imputatione res absens accipitur & habetur pro præsente. Nam justitia Christi, quæ in nobis non hæret, æstimatur a Deo, quasi in nobis esset, & peccatum nostrum, quod non in Christo, acceptatur a Deo, ac si in ipso esset.* b) *Est imputatio pretii seu dignitatis, ubi pretium seu dignitas unius rei ad aliam transfertur cogitatione & decreto, ita ut loco illius rei habeatur, quemadmodum deprecatio fontis supplet locum justitiæ innocentiæ, fides supplet locum justitiæ. Atque hac ratione fides imputari dicitur ad justitiam, id est, ejus pretii, valoris ac dignitatis habetur, ac si persona ipsa in se esset justa, quia alienam justitiam precario accepit.* Balduinus in cap. IV. Rom. *In justificatione duo concurrunt imputationis modi, unus* κατηγορικὸς, *privativus, est que rei, quæ in homine exsistit, & imputari potest, non imputatio, & consistit tum in oblivione & non annotatione peccati, tum in dimissione reatus; alter* θετικὸς *positivus, quando nobis justitia imputatur, estque ejus rei, quæ in nobis non exsistit, & quam minime promeruimus, ac si in nobis exsisteret, attributio, quando scilicet Deus pro vere justis nos habet propter Christi obedientiam, cum tales per nos non simus.* Meisnerus. Flacius in clav. p. 422. *Cum dicitur Deus imputare justitiam, dupliciter id accipi debet:* 1.) *ratione causæ:* 2.) *ratione effectus. Ista enim locutio* a) *indicat justitiam Christi credenti transferibi, sicut nostra injustitia Christo potenter est transscripta, atque hæc est propria causa nostræ justitiæ.* b) *Monstrat effectum, nempe aliquem haberi pro justo, qui non sit talis, sicut Christus habebatur pro injusto.* Gerhardus.

hominem in peccatum prolapsum debere Deo non solum pœnam, sed etiam plenam legis observationem, quare cum & pœnam sustinere ipsi fuerit intolerabile, & legem perfecte implere impossibile, ideo Christus & pœnas peccatorum nostrorum in se recepit, & perfectam legi obedientiam nostri loco præstitit: hæc satisfactio & obedientia Christi non alia ratione fieri potest nostra, nisi sola imputatione, neque enim in animam infundi potest, ut ei velut accidens quoddam inhæreat, cum non sit quædam qualitas, sed meritum in actionibus & passionibus consistens; restat igitur, ut nobis imputetur: in qua imputatione duplex concurrit adplicatio. *Prior* est Dei, qui nobis credentibus satisfactionem Christi, hoc est, legis impletionem & pœnæ peccatis nostris debitæ persolutionem imputat ac nostram ducit, perinde ac si ipsimet legem impleviſſemus, & pro peccatis nostris debitas luiſſemus pœnas: *posterior* est nostra, tunc enim adplicamus nobis Christi satisfactionem, cum firmiter statuimus, nos propter Christum in gratiam a Deo recipi, peccata nobis remitti, & justos nos reputari. Declarari hoc potest parabola servi proposita Matth. XVIII. 28. Homo peccator debet Deo decies mille talenta. Filius Dei incarnatus offert se ad satisfaciendum pro tota summa, & sibi eam transscribi patitur: *Er liest ihm die Schuld zurechnen*, ut ipse fiat debitor, & sic debitum illud imputatur Christo, unde scriptura pronunciat, *Deum posuisse in Christo iniquitates omnium nostrum*, Es. LIII. 6. *fecisse Christum pro nobis peccatum*, 2 Cor. V. 21. *Christum esse agnum Dei, αἴροντα* in se *susci-*

pientem & auferentem peccata mundi, Joh. I. 29. unde ipse *exsolvere cogitur, quod non rapuerat*, Psalm. LXIX. 5. & *propter iniquitates nostras vulneratus est*, Esa. LIII. 5. Exemplo imputationis factæ Christo, rem hanc declaravimus superius §. 202. ut enim Christo imputata sunt peccata nostra, ita per fidem nobis imputatur Christi justitia: monuimus etiam, duplicem ab apostolo constitui *imputationem, secundum gratiam & secundum debitum*. Rom. IV. 4. & 5. Referendæ huc æquipollentes scripturæ phrases, quæ illam justitiæ imputationem & peccatorum non-imputationem describunt &c. Quod enim apostolus dicit, *fidem imputari ad justitiam, peccata remitti & non-imputari*, id alibi sic exponitur, quod Deus *non recordetur peccatorum*, Ezech. XVIII. 22. *projiciat peccata in profundum maris*, Mich. VII. 19. *non observet iniquitates*, Psalm. CXXX. 3. sed *easdem tegat*: Psalm. XXXII. 2. *non intret nobiscum in judicium*, Psalm. CXLIII. 2. sed *post tergum peccata projiciat*, Esa. XXXVIII. 17. eaque *a nobis elonget*, Psalm. CIII. 12. *abscondat faciem suam a peccatis nostris*, Psalm. LI. 11. &c. Contra vero *imputare peccata* est *in conspectum & judicium ea adducere*, Thren. I. 12. *statuere alicui peccata*, Act. VII. 59. *alligare & retinere peccata*, Matth. XVIII. 18. *consignare peccata*, Job. XIV. 17. *facere alicui secundum injustitiam ejus*. Psalm. CIII. 10. &c. Ex quibus & similibus phrasibus evidenter liquet, quid sit imputatio justitiæ & non-imputatio peccatorum apud apostolum; nusquam vero *imputare* in scripturis accipitur pro *infundere* (*).

§. CCXXXVI.

(*) Pontificii quidem urgent factum Pinees, quod Psalm. CVI. 31. ei *ad justitiam imputatum* dicitur, ubi imputationis fundamentum in ipso Pinees facto statuitur. *Resp.* 1.) Factum est singulare, non propositum ad imitationem, de imputatione vero facta Abrahæ dicit apostolus, quod scripta sit propter nos, quibus imputabitur, ac psalmus dicit imputatum esse Pineæ ad justitiam in generationem & generationem, sed Rom. IV. 12. dicitur, *imputabitur non omnibus, qui sunt ex Abraham, sed qui vestigiis fidei illius insistunt*. 2.) Libenter concedimus, quandam imputationem habere fundamentum in eo, cui fit imputatio; sed quæstio est, an præter eam non sit alia imputatio, & qualis imputatio intelligatur apud apostolum Rom. IV. 3.) Psaltes loquitur de facto & opere Pineæ, Paulus vero de credentibus, quibus sine operibus imputatur justitia. 4.) Nec ex uno aliquo opere posset homo coram Deo justificari, cum scriptum sit: maledictus, qui non permanet in omnibus. 5.) Factum ipsum adparebat externa specie truculentum & aliquid habuisse vitii, ideo opus declaratione justitiæ. GERHARDUS.

§. CCXXXVI. Hisce præmissis audiamus, quomodo imputationem illam Bellarminus impugnet. I.) *Nullum in scripturis aut Patribus imputatio justitiae Christi habet testimonium: legimus quidem, beatum esse, cui non imputantur peccata, & fidem reputari ad justitiam, & Christum factum nobis esse a Deo justitiam; sed nusquam legimus, Christi justitiam nobis imputari, alias sequetur, etiam redemtionem aut sapientiam Christi nobis imputari.* Resp. repetenda hoc loco ea, quæ ad confirmationem nostræ sententiæ ex scriptura & patribus, adeoque ex ipsis adversariis produximus. Certum est & ab utraque parte concessum, in justificatione hominis coram Deo requiri omnino justitiam, cum judicium Dei sit secundum veritatem, cumque justificationem sine justitia constituere, sit insomnium sine somno cogitare. Illa igitur justitia aut erit nostra inhærens, aut Christi justitia. Prius dici nequit multis de causis. 1.) Justitia quæ valet coram Deo, oportet ut sit perfecta, ac toti legi conformis: ratio est manifesta, quia Deus est judex justissimus, & lex ejus est æterna & immota norma justitiæ. Atqui inhærens nostra justitia non est perfecta. 2.) Justitia, qua coram Deo justificamur, imputatur nobis Rom. IV. 6. Atqui inhærens justitia non imputatur nobis, sed, ut Bellarminus statuit, *infunditur*. Imputare nusquam significat *infundere*, nec imputari usquam significat *subjective inhærere*. Ergo justitia imputata non est infusa aut habitualiter inhærens. 3.) Justitia, qua coram Deo justificamur, non est *nostra*. Rom. X. 3. Phil. III. 9. Atqui inhærens justitia est nostra: quanquam enim sit ratione efficientis donum Dei: tamen ratione subjecti, cui inhæret, est & dicitur nostra. Etiam panis quotidianus dicitur *noster*, Matth. VI. 11. cum tamen illum a Deo petamus. 4.) Imputatio justitiæ fit *secundum gratiam*. Rom. IV. 4. Atqui inhærens justitia non dicitur imputari secundum gratiam, cum *ei, qui operatur, merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum.* 5.) *Justitia Dei*, hoc est, justitia illa, qua coram Deo justificamur, *manifestata est sine lege*. Rom. III. 21. unde dicimur justificari ex Evangelio, non ex lege, fide sine operibus, credendo, non operando, ex gratia, non ex operibus. Atqui inhærens justitia pertinet omnino ad legem & opera legis. Quamvis enim ratione causæ *efficientis* referatur ad evangelium, cujus beneficium est donatio Spiritus sancti naturam renovantis, tamen ratione causæ *formalis* pertinet omnino ad legem, definitur enim, quod sit rectitudo interna normæ legis congruens. 6.) Justitia Dei, qua justificamur, *est in Christo*, sit autem nostra per imputationem, sicut *Christus factus est pro nobis peccatum*. 2 Cor. V. 21. Atqui justitia nostra inhærens non est in Christo, sed in nobis. 7.) Imputatio justitiæ definitur apud apostolum per remissionem sive non-imputationem peccatorum. Rom. IV. 8. At inhærens justitia non est ipsa remissio seu non-imputatio peccatorum, sed consequens ejus, videlicet mortificatio peccati. 8.) Justitia, quam apostolus dicit nobis imputari, consideratur absque operibus. Justitia inhærens non consideratur absque operibus. Ergo justitia inhærens non est illa, quam apostolus dicit nobis imputari. Nec est, quod Bellarminus regerat, *Christum factum esse nobis a Deo justitiam, sicut factus nobis est sapientia & redemtio; ac proinde cum sapientia & redemtio Christi nobis non possit imputari, ideo nec justitia.* Quæ enim absurditas est, dicere, quod in Christo, *qui nobis factus est a Patre sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio*, per fidem simus justi, sancti, sapientes & redemti, qui in nobis sumus injusti, impii, insipientes, potestati satanæ & mortis subjecti? neque enim ex eo sequitur, quod simus mundi redemtores, ut ἀπαιδεύτως Bellarminus infert, sed quod simus redemti. Ut enim imputatione justitiæ Christi non reddimur nec dicimur justificatores, vel imputatione sanctitatis Christi sanctificatores, sed justi ac sancti; ita imputatione redemtionis Christi non reddimur nec dicimur redemtores, sed redemti: interim libenter fatemur, Christum etiam talem quandam justitiam & sanctitatem nobis promeruisse, qua in nobis ipsis formaliter & inhæ-

1.) Imputatio justitiæ Christi in scripturis aut Patribus nullum habet testimonium.

inhærenter sumus sancti & justi, sed illa justitia & sanctitas in judicio Dei non subsistit propter imperfectionem & immunditiem ex vetustate carnis adhuc reliquam. Possunt igitur in explicatione dicti apostolici beneficia Christi conjungi. *Christus factus est nobis sapientia* in suo verbo, *justitia* in sua obedientia, *sanctificatio* in suo spiritu, *redemtio* in suo sanguine: interim tamen ex eo nulla veritatis specie inferri potest, quod Christi justitia nobis non imputetur. Quid quod ab hoc loquendi modo ne ipsum quidem concilium Tridentinum abhorreat. Cum enim in sess. VI. can. 11. neget, *nos justificari sola imputatione justitiae*, concedit, justificari quidem nos imputatione justitiæ Christi, sed non sola. Regerit Bellarminus, *concilium damnare errorem illorum, qui dicunt, sola imputatione justitiae Christi hominem justificari, nequaquam vero adprobare aliorum errorem, qui statuunt, hominem justificari partim renovatione interna, partim imputatione justitiae Christi, cum in* can. 10. *neget hominem justificari formaliter per justitiam Christi ullo modo.* Resp. can. 10: non habentur illa verba *ullo modo*, sed a Bellarmino attexuntur, verba canonis 11. manifesta sunt: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia & caritate, &c. anathema sit:* ubi observa, eodem modo patres concilii loqui de imputatione justitiæ Christi & de peccatorum remissione. Atqui peccatorum remissionem non plane excludunt a justificatione, sed eam solam sufficere negant sess. VI. cap. 7. Idem ergo judicium de imputatione justitiæ Christi, quod nec ea plane excludatur. Ineptum foret, si quis adferat aliquid solum non sufficere, quod plane exclusum vellet. Adde, quod Piggius & auctores antididagmatis Colonienses verba concilii sic intellexerint, cum quibus Bellarminus prius transigat, antequam Chemnitium hoc nomine flagellet.

§ CCXXXVII. II.) *Nulla potest adferri necessitas illius imputationis, quia remissio peccatorum notat totalem eorum deletionem, adserit enim scriptura peccata tolli* 1 Paral. II. *deleri*, Esa. XLIII. *mundari* Ezech. XXXVI. *ablui* Psalm. L. *purgari* Prov. XV. *a nobis removeri* Psalm. CII. *projici in profundum maris* Mich. VII. *quae phrases etiam in nov. test. repetuntur*, ubi etiam addit argumentum *ex collatione Adami & Christi*, quod existimat nullam admittere responsionem. *Resp.* de collatione Adami & Christi egimus superius §. 11. nec dubitamus cordatis satisfactum esse. De peccatorum remissione an sit totalis eorum deletio, egimus prolixe in tractatu germanico de baptismo cap. 16. p. 93. Verba *mundandi, delendi, lavandi*, &c. reatum plane & plene solutum esse arguunt, interim tamen negari nequit, 1.) *In carne renatorum adhuc habitare peccatum* teste apostolo Rom. VII. 14. & seq. 2.) in renatis *manere luctam carnis & spiritus*, Gal. V. 17. 3.) *interiorem hominem in renatis quotidiana renovatione indigere*, 2 Cor. IV. 16. 4.) infantes baptizatos & *morbis & morti* obnoxios esse, Rom. V. 14. 5.) etiam fidelium baptizatorum liberos *peccato originali* obnoxios nasci, Joh. III. 6. 6.) inde eadem scriptura, quæ peccata deleri testatur, ea *tegi* & *non imputari* adserit, Rom. IV. 6, 7. &c. plura hac de re suo loco. Invertimus igitur argumentum: In sanctis manent adhuc peccata, pro quibus quotidie orare coguntur Psalm. XXXII. Matth. VI. Rom. VII. 1 Joh. I. &c. Ergo summa est imputationis illius necessitas. Addit Bellarminus duplicem calumniam a) opponit imputationem veritati: b) tribuit nobis hanc sententiam, quod Christus *imputative* tantum deleverit peccata.

2.) *Nulla potest adferri necessitas illius imputationis.*

§ CCXXXVIII. III.) *Si fides, spes & caritas in hac vita possunt esse perfecta, non erit necessaria imputatio justitiae Christi. At verum prius.* 1.) *Fides aut in hac vita perfecta est, aut nunquam poterit esse perfecta, in vita aeterna non perficietur, sed evacuabitur, quid quod auro ignem sustinenti comparatur*, 1 Petr. I. *& quidam dicuntur credidisse toto corde* Act. VIII. *Abraham dicitur πληροφορηθεὶς in fide* Rom. IV. *nec languidam, sed robustam oportet esse fidem, quae vincit regna & obturat ora leonum* Hebr.

3.) *Fides, spes & caritas in hac vita possunt esse perfecta.*

Hebr. XI *vincit mundum* 1 Joh. V. *resistit diabolo*, 1 Petr. V *& omnia ejus tela exstinguit*, Eph VI. *unde πληροφορεια, hoc est, plenissima & perfectissima persuasio tribuitur fidei*, Hebr. III 2.) *Spes vocatur anchora animae tuta ac firma*, Hebr. VI. 3.) *Martyres ex caritate animam posuerunt pro fratribus, jam vero nemo habet caritatem majorem, quam ut animam suam quis ponat pro amicis*, Joh. XV. *qui servat verbum Dei, in hoc perfecta dicitur caritas* 1 Joh. II. *denique quidam dicuntur Deum toto corde dilexisse* Deut. XXX. *ac multis tribuitur perfectio.* Matth. V. 1 Cor. II. Phil. III. *Restat igitur, fidem, spem & caritatem in renatis esse perfectam, ideoque imputatione justitiae Christi neutiquam indigere.* Resp. 1.) Ostendimus suo loco, ad summum illum perfectionis gradum in lege divina requisitum neminem in hac naturae corruptione adspirare, ubi pleraque, quae hoc loco Bellarminus adfert, prolixe sunt discussa. Breviter, *lex spiritualis est, nos autem* (etiam post regenerationem) *carnales sumus, venundati sub peccatum* Rom. VII. 14. 2.) Perfectio igitur renatorum non consistit in perfecta legis impletione, sed in imputatione perfectae justitiae Christi, in sinceritate novae obedientiae, in agnitione imperfectionis, in comparatione ad alios, in serio ad perfectionem cursu, &c. qua de re late tractat Augustinus in libro de perfect. justitiae contra Coelestium Pelagianum. Distinguendum igitur inter perfectionem *absolutam & κατα τι* sive *comparate sic dictam*, ipse Thomas p. II. 2. q. 184. artic. 2. in charitate tres statuit perfectionis species 1.) *absolutam secundum totalitatem ex parte diligentis & ex parte diligibilis; hanc perfectionem negat esse creaturae possibilem:* 2.) *perfectionem secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, hanc tribuit patriae sive statui vitae aeternae:* 3.) *perfectionem, quae nec attendatur secundum totalitatem ex parte diligibilis, (qua Deus tantum diligatur, quemadmodum est diligibilis) nec secundum totalitatem ex parte diligentis, quemadmodum ad hoc, quod semper actu feratur in Deum, sed quemadmodum ad hoc, quod excludantur ea, quae repugnant motui dilectionis, hanc solum perfectionem in hac vita haberi posse concludit.* (Ostendit autem ipsa piorum experientia, ne hanc quidem perfectionem semper ab omnibus piis & renatis obtineri, cum ex corde exsurgant motus vitiosi dilectioni divinae repugnantes.) 3.) Fides consideratur vel ratione *objecti*, quod adprehendit, vel ratione *qualitatis; priori* modo perfectio ejus consistit in adprehensione Christi, *posteriori* modo suos habet gradus, suaque incrementa. 4.) Quomodo & quo respectu fides in vita aeterna cessatura sit, non opus est hoc loco late explicare. Ipsi scholastici distinguunt inter habitus & actus virtutum, nec concedunt, ut ex remotione actus, ipsius habitus remotio colligatur. Fidei sane, ut est cognitio in speculo, succedet manifesta visio, nec amplius occupata erit fides in adprehensione promissionis evangelicae de peccatorum remissione, interim tamen lux notitiae & fiducia misericordiae divinae in voluntate non abolebitur, sed perficietur. 5.) Phrases scripturae, quibus fidei & caritatis sinceritas ab hypocrisi & simulatione discernitur, non sunt eo trahendae, quasi perfectam legis impletionem describant. 6.) Verbum Dei servare intelligendum est non legaliter, sed evangelice: *Hoc est praeceptum ejus, ut in Christum credamus, & nos invicem diligamus.* 1 Joh. III. 23. 7.) Quanti omnino roboris sit fides, quantacunque perfectionis charitas, tamen *plenissima illa, quae augeri omnino nequit, quamdiu hic homo vivit, in nemine est, quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.* Augustinus epist. XXIX. ad Hieron. &c. Idem libr. III. contra duas epist. Pelag. cap. 7. *Virtus, quae nunc est in homine justo, hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat ipsius etiam imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confessio.* De nat. & grat. cap. 26. *Si omnes sanctos & sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seduci-*

mus.

mus. 8.) Martyres, quamvis ex vera & seria dilectione pro gloria Dei mortui sint, tamen communem illam totius ecclesiæ vocem usurparunt: *Dimitte Domine nobis debita nostra.* Psalm. XXXII. 6. Luc. XI 4. Ubicunque vero necessaria est peccatorum remissio, ibi nondum est perfecta legis implerio, cum peccare & legem implere sint contradictoriâ. 9.) Quædam dicta describunt pios, non quales sint, sed quales esse debeant. 10.) Denique procedit argumentum Bellarmini ex falsa hypothesi, quod justificatio consistat in fide, spe & caritate, cum sit solius fidei, & quidem, non ut est habitus vel qualitas nobis inhærens, sed ut Christum in verbo evangelii adprehendit.

§. CCXXXIX. IV.) *Fieri non potest, ut justitia Christi nobis imputetur, & pugnat cum recta ratione, ita nobis imputari Christi justitiam, ut per eam formaliter justi nominemur & simus. Tametsi enim aliquando denominatio fiat a forma extrinseca, quo modo res dicitur cognita per cognitionem, quae est in mente, & paries dicitur visus per visionem, quae est in oculo: tamen cum in aliquo duae sunt formae contrariae, una inhaerens, altera extrinseca, sine dubio absoluta denominatio sumitur ab inhaerente forma potius, quam extrinseca. Si quis enim aethiopem candida veste induret, non recte diceret, hic aethiops est albus, sed potius diceret, hic aethiops est niger.*

4.) *Fieri non potest, ut justitia Christi nobis imputetur,*

Resp. 1.) Modus justificationis non est æstimandus ex regulis physicis, nec audienda humana ratio contra mysteria doctrinæ cœlestis insurgens (*). Justitia imputata vocatur *admiranda justitia*, Psalm. LXV. 6. *sapientia abscondita*, Psalm. LI. 8. *prudentia justorum*; Luc I. 17. quid mirum, si ratio hanc rem non adlequatur? Unde etiam *Spiritus sanctus arguet mundum de justitia.* Joh. XVI. 10. 2.) Bellarminus ibi ipsi contradicit, disputat enim libr. II. de justif. cap. 4. *caritatem esse formam fidei extrinsecam, a qua sit & dicatur fides formata.* Quodsi fides respectu *formae extrinsecae* est & dicitur vel informis vel formata, quomodo negari potest, denominationem fieri a *forma extrinseca?* certe antequam accedat caritas, fides habet suam formam internam, est enim qualitas, nihilo tamen minus fidem absque caritate, quæ est forma ejus extrinseca, Bellarminus vocat informem. Libr. de gratia primi hominis c. 5. & seqq. disputat, *in primo homine fuisse morbum & languorem naturae, pugnantes propensiones, concupiscentiam pravam &c. sed additum fuisse justitiam originalem, qua velut aureo freno pars inferior superiori, & superior Deo subjecta contineretur.* Certe hæc justitia ex hypothesi Bellarmini fuit donum supernaturale & extrinsecum, unde etiam in sequenti cap. 6. confert honori, interim tamen denominatus est primus homo tum ex eo justus. 3) Justificatos dici peccatores & justos diverso respectu, tam non est absurdum, quam non est pro absurdo habendum, quod *caro & spiritus, novus & vetus, interior & exterior homo* in renatis statuuntur. Justificati sunt peccatores, respectu peccati in carne adhuc hærentis, sunt justi respectu justitiæ imputatæ & inchoatæ. Quid enim? an non *omnes sancti peccatorum remissione indigent?* Psalm. XXXII 6. an non omnes renati fateri coguntur, *se habere peccatum.* 1 Joh. I. 8. Ecclesia Cant. I. dicit se esse *nigram* v. 5. & *pulchram* v. 8. Eat nunc Bellarminus, & dicat oppositum esse in adjecto, si statuatur, sanctos esse adhuc peccatores. 4) Ne vero imputationem justitiæ Bellarminus ridere pergat, constanter urgemus collationem apostolicam 2 Cor. V. 21 *Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo.* Quemadmodum Christo imputata sunt peccata nostra, etiamsi in se & sui ratione esset justissimus, imo ipsa justitia: ita quoque imputatur

(*) Physica ignorat humani generis lapsum, ignorat medicum Christum, quomodo igitur sciret justificationis modum? Costerus in euch. pag. 327. *Hæ voces* (justificare & justificari) *juris christianorum propriæ, utpote qui solum justificantur, & quid justificatio sibi velit, soli cognoscunt & experiuntur.* GERHARDUS.

tatur nobis Christi justitia, etiamsi in nobis ac nostri ratione adhuc simus peccatores: quæ est ratio adpellationis, quando Christus dicitur *peccatum*, eadem est ratio adpellationis, quando dicimur *justitia*. At illic ratio adpellationis non æstimatur a forma inhærente, sed extrinseca & imputata. Ergo & hic ratio denominationis a forma imputata æstimanda est. 5.) Exempla Bellarmini de pallio albo in æthiope, de visu in pariete, de cognitione in re cognita &c. sunt valde disparia, quia fundamentum imputationis illius, quam propugnamus, est in Deo, qui *vocat ea, quae non sunt tanquam ea, quae sunt* Rom. IV. 17. Sicut imputatio peccatorum nostrorum facta Christo non fuit umbratilis & imaginaria, sed imposuit ipsi tale onus, sub quo tam miserabiliter clamat & ingemiscit: ita quoque imputatio justitiæ Christi per fidem non est umbratilis, putativa ac imaginaria. 6.) Quid? quod exempla in medium adlata possunt inverti, & ad nostræ sententiæ confirmationem adcommodari. Quemadmodum enim æthiopem candida veste indutum & nigrum & album diverso respectu adpellare possum: ita quoque justificatos & peccatores & justos diverso respectu adpellare possum, peccatores in se, justos in Christo fide adprehenso; peccatores respectu carnis, justos respectu spiritus, sive inchoatæ renovationis. Probe igitur notandum, quod peccatum quidem dicimus in renatis manere, interim tamen addimus, & reatum ejus vere solutum esse, & peccatum ipsum mortificari cœptum. Proinde quod urget Bellarminus, denominationem fieri potius ab intrinseco, quam extrinseco, id cum hac limitatione accipiendum est, si intrinsecum illud suam (ut ita loquar) *formalitatem* & vigorem obtineat: atqui peccatum, quod post justificationem in renatis adhuc hæret, amisit suum formale, id est, reatum, ac manet tantum materiale, atque illud ipsum mortificari cœptum, ut non amplius subjuget renatos. 7.) Quare cum nihil obstet, quo minus etiam a forma extrinseca fieri possit denominatio, quanto magis pii denominari possunt justi a justitia Christi per fidem imputata? quamvis enim ea non inhæreat, tamen cum a Deo imputatur, denominatio inde verissima oritur. 8.) Cur non adfert Bellarminus exemplum debitoris, quod scripturis conforme & propius accedit ad imputationis hujus explicationem? Quemadmodum enim debitor, cui aliena solutio a creditore imputatur, in se quidem debitor est, sed in alio, qui pro ipso solvit, habetur non debitor, propter solutionem alienam, quæ ipsi imputatur, hoc est, ipsius propria censetur: ita in nobis sumus debitores, sed Christi solutio nobis per fidem imputatur. 9.) Quid? quod ipse Bellarminus hoc loco scribit, *Christi merita nobis imputari, ut possimus ea Deo Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis?* Certe si merita Christi nobis imputantur, utique etiam ipsius justitia, siquidem non solum passiones, sed etiam actiones ejus meritoriæ fuerunt, ut constat: si Christi satisfactio ideo nobis imputatur, quia in se onus satisfaciendi suscepit, utique etiam Christi justitia ideo & inde nobis imputatur, quia peccata nostra, & onus implendi legem in se suscepit. Si merita Christi ita nobis imputantur, ut possimus ea Deo adferre pro peccatis nostris, utique in judicio Dei merita Christi (quæ tamen nobis non inhærent) censebuntur nostra: & quia peccata quædam sunt commissionis, quædam omissionis, utique non solum meritum satisfactionis pro peccatis commissionis, sed etiam meritum obedientiæ pro peccatis omissionis nobis imputari consequens fuerit.

§. CCXL. V.) *Si vere nobis imputaretur Christi justitia, profecto non minus justi haberi, censerique deberemus, quam ipse Christus, proinde deberemus dici atque haberi redemtores & salvatores mundi, quod est absurdissimum.* Resp. 1.) Quamdiu est, quod Bellarminus in negotio justificationis & salutis tam modestus esse cœpit? Certe libr. I. de purgatorio cap. 14. diserte scribit: *hominem sui ipsius redemtorem & salvatorem recte adpellari posse.* Propugnat nostras satisfactiones & operum nostrorum merita, quod gloriæ Christi detrahere suo loco ostendemus.

5.) Essemus non minus justi quam ipse Christus.

Scho-

Schoppius in apol. de indulg. cap. 47. disputat, *sanctos adpellari posse redemtores licet improprie, eo quod debitum parvi momenti persolvant, si cum eo debito conferatur, pro quo Christus satisfecit.* De Christi satisfactione scribit Tapperus tom. I. artic. 6. *eam non mereri nomen perfectae satisfactionis.* Quidam ex Scholasticis disputant, *passionem Christi non esse ex se, sed tantum ex caelestis Patris acceptatione meritoriam.* Hæc sunt, quæ honorem Christo proprium adimunt, ac nostris operibus tribuunt, nequaquam vero imputatio justitiæ Christi repugnat ipsius honori, cum eo fine justitiam illam merito passionis suæ adquisierit, ut nobis imputari posset. 2.) Dicimus igitur, quamvis Christus redemtor & salvator catholicus pro peccatis totius mundi satisfecerit, cuilibet tamen credenti id ex merito illo imputari, quod suo loco præstare debebat, nec præstare poterat. *Quantum in bonis Domini pedem fiduciae porrexeris, tantum ex illis habebis.* Ex pretiosa & abundantissima illa justitiæ medicina quisque sibi adplicat, quod suæ saluti conveniens ac sufficiens. Christus veluti sponsor noster debitum nostrum in se transferens sua obedientia & satisfactione plenissime illud persolvit, hanc persolutionem velut prægrande quoddam pondus auri ad suum tribunal soliumve in usum egentium peccatorum deposuit, ex eo fide quisque accipit, quantum sibi sufficit. 3.) Christum *per fidem in cordibus nostris habitare* Eph. III. 17. adeoque *in nobis vivere*, Gal. II. 20. per Christum *divinae consortes naturae nos effici*, 2 Petr. I. 4. *corpora nostra esse Christi membra* 1 Cor. VI. 15. evidenter adserunt apostoli, ecquis vero ex eo colligere voluit, nos mundi redemtores & salvatores effici? 4.) Si justitia Christi nobis inhæreret, vel si cum Osiandro statueremus, *essentiali* justitia Christi nos justificari, tum fortassis aliquid roboris huic argutiæ inesset, sed imputari nobis dicimus Christi justitiam, non inhærere. 5.) Ex hac imputatione non poterit colligi nos esse mundi salvatores ac redemtores, siquidem ad hoc non sufficit imputata quædam justitia, sed requiritur unio divinæ & humanæ naturæ, adeoque ut in se se quis sit ἁμίαντος, quod soli Christo ex omnibus hominibus competere constat. 6.) Urgemus denuo collationem apostolicam: quemadmodum imputatio peccatorum nostrorum facta Christo non efficit, ut Christus dicatur peccator *active*, sed tantum *passive*, quatenus ei peccata nostra imputantur: ita quoque imputatio justitiæ Christi facta per fidem non efficit, ut dicamur justificatores *active*, sed tantum *passive*; non redemtores, sed redemti; non justificatores, sed justi; non salvatores, sed salvati; ex quo fundamento Lutherus justitiam fidei vocat *justitiam passivam.* 7.) Quando igitur a justitia Christi per fidem nobis imputata, denominamur justi, vocabulum *justi* accipitur non active, sed passive, ita quoque a redemtione & salvatione non dicimur redemtores & salvatores, sed redemti & salvati. Rom. II. 26. *Si praeputium justitias legis custodiat, praeputium illius reputabitur in circumcisionem*, nec tamen haberi active, aut dici possunt circumcidentes, sed passive habentur pro circumcisis.

§. CCXLI. VI.) *Christus id nobis restituit, quod perdideramus in Adamo, atqui in Adamo perdidimus non imputatam, sed veram inhaerentem justitiam. Ergo per Christum veram justitiam, non extrinsecam tantum imputatamque recipimus.* Resp. 1.) Mutatur quid in quale, ac confunditur res & rei modus. Veram & perfectam justitiam in Adamo amisimus, veram & perfectam justitiam restituit nobis Christus; idem ergo, quod per primum Adamum est amissum, per secundum Adamum est restitutum, sed modus participationis variat. Adami injustitia propagatur in nos carnali generatione; sed Christi justitiæ participes reddimur vera verae fidei adprehensione. 2.) Oppositio inter veram & imputatam justitiam non est legitima, & repugnat collationi apostolicæ 2 Cor. V. 21. Quemadmodum Christo vere imputata sunt peccata nostra, ita quoque vere imputatur nobis per fidem Christi justitia. 3.) Concedimus, Christum non solum imputatam, sed etiam inhærentem justitiam nobis promeruisse, cum non solum peccatorum

6.) In Adamo perdidimus non imputatam, sed veram justitiam.

remissionem, sed etiam donationem Spiritus sancti nobis promeruerit; interim tamen inhærens illa justitia in hac vita tantum inchoatur, in futura demum perficietur, ergo non est id, quod judicio Dei in justificatione opponi possit. Imago Dei, quam in Adamo amissimus, non restituitur nobis perfecte in hac vita, sed in altera demum perfecte restituetur. 1 Cor. XV. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni; ita portabimus* (φορέσωμεν) *etiam imaginem cælestis: in hac vita interior noster homo de die in diem renovatur.* 2 Cor. IV. 16. (*)

7.) *Christus posset dici vere peccator.*

§ CCXLII. VII.) *Si per justitiam Christi nobis imputatam vere dici possumus justi & filii Dei, ergo poterit Christus per injustitiam nostram sibi imputatam dici vere peccator, & quod horret animus cogitare, filius diaboli, atqui hoc est blasphemae & sacrilegae impudentiae.* Resp. 1.) Apostolus diserte dicit Christum factum esse pro nobis *peccatum*, 2 Cor. V. 21. quem locum ex Chrysostomo, Theophylacto & Oecumenio, Ruardus Tapperus sic explicat, quod Christus pro nobis factus sit insignis peccator, cum illis prius transigat. 2.) Neque est, quod regerat Bellarminus, *Christum in sacris literis dici semel peccatum per tropum, quia fuit hostia pro peccato, ac semel dici maledictum, quia maledictis & opprobriis ac pœnis plurimis subjectus fuit.* Vera est hæc explicatio, sed non plena, cum ex subordinatis faciat opposita. Christus vocatur peccatum, non tantum quia factus est victima pro peccato, verum etiam, quia *imposuit illi Deus peccata omnium nostrum*; Esa. LIII. 6. unde dicitur *agnus Dei tollens peccata mundi.* Joh. I. 29. Id quod superius late fuit declaratum. 3.) Invertimus igitur argumentum: Christus vere & realissime pœnas peccatorum nostrorum in se suscepit; ergo peccata nostra recte ipsi dicuntur imputata. Christus *victimae loco in ara crucis obtulit se Deo Patri in odorem suavitatis*, Eph. V. 2. Ergo *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, 1 Petr. II. 24. *Christus vulneratus est, propter iniquitates nostras.* Ergo *Deus posuit in ipso iniquitates omnium nostrum.* Vere igitur Christus dici potest peccator, imo peccatum, non ratione *inhaesionis*, sed ratione *imputationis.* 4.) Quanquam vero semel tantum κατ' ἐξοχὴν in scripturis Christus dicatur *factus pro nobis peccatum*, tamen æquipollentes phrases complures exstant, ut suo loco ostendimus, ac sufficit omnibus christianis ad fidei πληροφορίαν, si vel semel Spiritus sanctus, qui est ipsa

(*) Si quis regerat: *Per Christum plus recuperatum, quam per Adamum perditum. Ergo peccata penitus delentur.* Resp. 1.) Quamvis succesive expurgentur peccati reliquiæ, ex eo tamen nihil decedit merito Christi, ejusdemque efficaciæ. Si vel maxime Deus sex dierum spatio hunc mundum condidit, tamen omnipotentiæ ejus nihil detrahitur. Posset una hora infantem in utero matris formare, sed placet ipsi novem mensium spatio illud absolutum reddere. 2.) Ut duo nobis per Adamum collata sunt, pravitas & reatus, ita duo viciissim nobis a Christo donata sunt, regeneratio & renovatio, reatus condonatio & sanatio, ergo Christi beneficium efficacius est Adæ veneficio. 3.) Si nimis abjecte de Christi gratia loquimur, quod negamus omnimodam peccatorum deletionem in hac vita, sequetur etiam Pontificios nimis abjecte de ea loqui, agnoscunt remanere concupiscentiam peccati fomitem, fateri coguntur renatos mori, obnoxios esse morbis & calamitatibus, quæ omnia in Adamo non fuissent reperta, si in perfectione perstitisset. 4.) Si urgeatur, quare Christus non statim post justificationem omnia peccata in renatis tollat? Resp. verbis Augustini libr. IV. contra Julian. c. 3. *Quis cognovit sensum Domini, non tamen parum scio, quæcunque illa sit causa, quod ne justi Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in abdito & alto ejus consilio, cur quamdiu vivimus in hac mortali carne, est in nobis contra quod dimicet motus noster, est etiam propter quod dicamus, dimitte nobis debita nostra.* 5.) Si omnino danda ratio, dicemus id fieri, *primo* propter divinæ potentiæ manifestationem 2 Cor. XII. 9. quæ magis elucescit in salute infirmatorum, *deinde* propter spiritualem exercitationem, *ut sub istis passionibus contra concupiscentiam homo depugnans adquirendæ coronæ misericordiam habeat.* Augustinus libr. I. de bapt. parv. c. 39. Denique propter conformitatem cum Christo, qui obnoxius fuit passionibus ex peccato nostro redundantibus. GERHARDUS.

ipsa veritas, aliquid adferat. 5.) Christus factus est pro nobis maledictum, non solum quia maledicta & opprobria hominum nostri loco pertulit, sed etiam quia peccata nostra, quibus maledictio debebatur, ipsi sunt a Patre cœlesti imposita, id quod ex loco apostolico evidenter colligitur. Sic enim procedit apostolus Gal. III. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* v. 13. *Christus nos redemit a maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno,* v. 14. *ut in gentes benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.* Hic diserte exponitur, quomodo Christus factus sit pro nobis maledictum, nimirum quia maledictioni legis, cui propter peccata nostra subjecti eramus, sese subjecit, atque hac ratione a maledicto legis nos liberavit. Quo referendus est anxius ille clamor Christi in cruce, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. XXVII. 46. nimirum non hominum solum opprobria & maledicta sustinebat, sed etiam in justissimo Dei judicio propter peccata generis humani in se conjecta factus erat maledictum. Ideo *Deus Pater ipsi non pepercit;* Rom. VIII. 32. *sed propter nostra scelera* ipsi imputata *percussit eum.* Esa. LIII. 5. Quemadmodum igitur Christus vere dici potest ab apostolo ἐπικατάρατος, *quia factus est pro nobis κατάρα*, Gal. III. 13. ita quoque vere dici potest ἁμαρτωλὸς, *quia factus est pro nobis ἁμαρτία.* 2 Cor. V. 21. 6.) *At,* inquit Bellarminus, *si Christus dici potest peccator propter nostra delicta ipsi imputata, dici etiam poterit filius diaboli.* Resp. ἀσυλλογίστως id infertur, filius diaboli in scripturis is demum dicitur, *qui facit opera diaboli,* Joh. VIII. 44. adeo ut nec renati, quamvis adhuc in illis habitet peccatum, filii diaboli propterea dici debeant; at Christus nec *inhaerenter*, nec *active* peccator est, sed tantum *imputative*, quatenus peccata nostra in ipsum conjecta, ipsique imputata sunt.

§ CCXLIII. VIII.) *Christus in Cantico Canticorum comparatur sponso, & ecclesia sive anima justificata comparatur sponsae.* 8.) *Sponsa habet propriam quandam pulchritudinem.* *Dicitur autem sponsa illa pulcherrima pulchritudine sibi inhaerente, non pulchritudine sponsi sibi imputata. Nam idcirco tribuitur sponsae pulchritudo propria, ut aliam intelligamus esse Christi, aliam ecclesiae vel animae justificatae pulchritudinem. Adde quod absurdissimum foret, si sponsus cœlestis & vere pulcherrimus haberet sponsam turpissimam & solum extrinsecus ornatam pretiosa aliqua veste viri.* Resp. 1.) Nemo nostrum negat, ecclesiam & animam justificatam habere propriam & inhærentem pulchritudinem, non tamen innatam, sed a sponso sibi donatam. 2.) Sed enim cum inhærens illa pulchritudo in hac vita nondum sit perfecta, *sponsa* enim *naevo nigredinis hic nondum caret,* & quod Eph. V. 27. de ea pronunciatur, in futura demum vita perfecte implebitur, ut pluribus in locis Augustinus testatur, quod & agnoscit ipse Thomas Aquinas part. III. q. 8. art. 3. resp. ad 2. *Ecclesiam esse gloriosam non habentem maculam neque rugam est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi, unde hoc erit in statu patriae, non autem in statu viae, in quo si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,* ideo per & propter illam inhærentem pulchritudinem non potest coram Deo justificari, sed requiritur ipsius Christi cœlestis sponsi justitia, quæ tegat ipsius nuditatem ac nævos, atque hæc est *vestis illa nuptialis, vestis justitiae, pallium salutis,* quod sponsam facit Deo gratam, qua de re superius. 3.) Quamvis pulchritudo sive justitia Christi per fidem sponsæ imputetur, ex eo tamen non potest inferri, quod non amplius sit alia Christi, alia ecclesiæ pulchritudo. Distinguendum enim inter justitiam *personae & officii.* Justitia personæ Christus *essentialiter & formaliter* justus & pulcher est, sed ratione officii *nobis factus est a Deo justitia*, quicquid enim in officio mediatoris adquisivit, id nobis adquisivit, ac per fidem donat. *Duplici ergo jure,* (ut ex Bernhardo

hardo audivimus §. 179.) *obtinet Christus regnum cœlorum, haereditate scilicet Patris, & merito passionis, altero ipse contentus est, alterum nobis donat &c.* 4.) Cant. I. 5. ecclesia se dicit *nigram* & v. 8. *formosam.* Quando fatetur nigredinem suam, deformitatem intelligit nativam, quando de pulchritudine gloriatur, pulchritudinem intelligit a sponso sibi donatam. Invertimus igitur argumentum: ecclesia est sponsa Christi, atqui sponsa & uxor coruscat radiis sponsi & mariti. Ergo ecclesia formam & dignitatem suam accipit a Christo.

9.) Cor immundum, licet mundum reputetur, non potest videre Deum.

§. CCXLIV. IX.) *Per justificationem mundatur cor, ut praeparetur ad visionem Dei,* Matth. V. Act. XV. 9. *At oculus re ipsa immundus, quamvis mundissimus habeatur, non potest solem videre, igitur nec cor immundum, quamvis mundum reputetur, Deum unquam videbit.* Resp. 1.) *Per fidem purificantur corda* Act. XV. 9. quia fides in Christo peccatorum remissionem & justitiam adprehendit. 2.) Cum hac peccatorum remissione conjuncta est veteris hominis mortificatio & interior renovatio, per quam itidem cor purificatur, sed haec puritas in hac vita inchoatur & quotidie crescit, in futura demum vita plene perficitur. *Quis enim* (respectu hujus inhaerentis puritatis dicere potest) *mundum est cor meum, & mundus sum a peccatis?* Prov. XX. 9. *cum ex corde* renatorum quandoque *exsurgant pravae cogitationes, quae ipsos coinquinant coram Domino* Matth. XV. 19. & 20. 3.) Unde etiam in hac vita visio seu cognitio Dei est imperfecta, sed in aeterna vita, ubi peccatum plane fuerit abolitum, & cum omnibus fibris eradicatum, *videbimus Deum a facie ad faciem,* 1 Cor. XIII. 12. & perfecte erimus mundi sine macula & ruga, sine omni peccati labecula etiam minima. Augustinus libr. III. contra Cresc. c. 3. *Ad existimationem humanam magna testium, qui me noverunt, suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam cum contra vestras criminationes intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo, magisque ab eo effluentem misericordiae largitatem, quam judicii summum examen exspecto; cogitans quod scriptum est; cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur se castum habere cor, aut mundum esse a peccatis?* 4.) Nec quisquam nostrum negat conferri homini justificato munditiem quandam inhaerentem, sed in hac mundicie formaliter consistere justificationem ac munditiem illam Dei judicio opponi posse, negamus.

10.) Christus frustra passus est, si imputative tantum sanctificamur.

§. CCXLV. X.) *Christus passus est, ut sanctificaret & mundaret sibi populum per suum sanguinem; at si non vere, sed imputative tantum populum suum Christus sanctificavit, frustra passus est & mortuus, & non poterit perficere, quod optabat.* Resp. 1.) Denuo recurrit vitiosa oppositio imputationis & veritatis, toties profligata. 2.) Imputatae sanctitati conjuncta est interior renovatio & sanctificatio, sed ea in hac vita est imperfecta, unde jubentur renati *perficere sanctificationem, & ab omni inquinamento carnis & spiritus sese mundare.* 2 Cor. VII. 1. Prior igitur sanctitas per fidem imputata justificat, posterior est fructus & consequens justificationis. 3.) Quamvis in hac vita sanctitas inhaerens inchoata & quotidie proficiens non veniat ad perfectionem: tamen in vita aeterna erit plena, perfecta & numeris omnibus absoluta, proinde non frustratur Christus mortis & passionis suae fine, sive imputatam, sive inhaerentem sanctitatem respicias.

Dicta patrum.

§. CCXLVI. Cap. 8. adfert Bellarminus *dicta patrum* pro inhaerente justitia. Resp. 1.) Hoc genus argumentorum est secundarium, *neque enim quorumlibet disputationes, etiamsi catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis hominibus debetur, aliquid in illorum scriptis improbare ac respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas*

ritas habet, ut loquitur Auguſtinus epiſt. CXI. 2.) Scriptura verbum *juſtificandi* accipit in ſignificatione forenſi pro abſolutione a reatu peccatorum, ſed patres quandoque, ſecuti grammaticam vocis compoſitionem, pro donatione inhærentis juſtitiæ uſurpant (*). Hanc latinam vocis compoſitionem ſecutus ipſe Brentius in apol. confeſſionis Wirtemb. de juſtif. p. 287. ſic ſcribit: *Cum homo credit in Chriſtum, duplici ratione juſtificatur: Una juxta alterum ac hebraeum ſignificatum juſtificationis, quod abſolvitur a peccatis, & conſequitur remiſſionem peccatorum, ac imputatur ei juſtitia Chriſti, adeoque adoptatur in filium Dei & haeredem aeternae ſalutis, idque tantum propter Chriſtum, quem fide accepit. Cum enim Deus proprio Filio non pepercerit, quemadmodum Paulus loquitur, ſed pro nobis omnibus tradiderit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quare quicunque accipit per fidem Chriſtum a Deo Patre donatum, is ſimul accipit remiſſionem ſeu condonationem peccatorum, juſtitiam Chriſti & jus adoptionis filiorum Dei ac cœleſtis haereditatis. Haec eſt una ratio juſtificandi, qua videlicet juſtificamur coram Deo, hoc eſt, abſolvimur a peccatis, & pronunciamur liberi ab aeterna morte propter juſtitiam Chriſti, quae nobis ex gratuita Dei clementia per fidem imputatur. Et haec ratio juſtificandi ut natura prior eſt, ita durat per omnem hanc vitam, quamdiu vitam in hac carne agimus. Altera ratio eſt juxta alterum & latinum ſignificatum juſtificationis, quod, cum credimus in Chriſtum, donamur Spiritu ſancto, qui renovat nos & efficit in nobis opera juſtitiae, ut mortificetur caro, & non ambulemus ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Haec juſtificandi ratio priori ita conjuncta eſt, ut ab ea non recedat. Quicunque enim per fidem in Chriſtum juſtificatur, pro hebraea loquendi conſuetudine, hoc eſt, abſolvitur coram tribunali Dei a peccatis, & adoptatur in filium Dei propter Chriſtum, is etiam ſtatim juſtificatur pro latina loquendi conſuetudine, hoc eſt, excitatur a Spiritu ſancto, ut non ſolum deteſtetur opera carnis & fugiat peccata, verum etiam faciat opera juſtitiae, & ambulet in lege Domini obedienter. Quae juſtitia & obedientia etſi ſit in homine per Spiritum ſanctum, tamen in hac vita non eſt perfecta, ideoque ſemper reſpiciendum eſt ad priorem illam juſtificationem, qua condonantur nobis peccata gratis per fidem propter Chriſtum.* Hæc omnia Brentius, quem abſit ut propterea pontificii erroris de juſtificatione reum ſuſpicari velimus, quod termino *juſtificationis* in latiori ſignificatione, latinam vocis compoſitionem ſecutus

(*) Non deſunt tamen luculenta patrum ſuffragia, quibus diſertis verbis aſſerunt, το δικαιον forenſem habere ſignificatum. Ita JUSTINUS martyr το δικαιον egregie περιφραζει per δικαιον τινα και ανημαρτητον εχειν *juſtum peccatisque ſolutum aliquem habere ac reputare.* Vid. ejus *dial. cum Typh. p. m. 63.* Eandem expoſitionem adoptavit quoque BASILIUS, cognomine *magnus*, dum illud δεδικαιωται *Rom. VI. 7.* explicat απηλλακται, ηλευθερωται, κεκαθαρισται αμαρτιας, *abſolutus, liberatus atque purgatus eſt ab omni peccato.* Vid. ejusdem *libr. I. de bapt. cap. 2.* ad *Rom. VI. 7.* Nec diſſentit THEOPHYLACTUS, qui eundem locum per απολελυται, ηλευθερωται, *liberatus, abſolutus eſt,* exponit. Prætermittimus alia hujus generis teſtimonia, quæ diligenter collegit JO. CASP. SUICERUS in *theſ. eccleſiaſt. tom. I. f. 915.* Ipſe quoque GERHARDUS ſupra §. *VIII. p. 7. ſeqq.* nonnulla, quæ huc ſpectant, veterum loca recitavit. Jungi tamen merentur, qui argumentum de juſtificatione ex patribus copioſe illuſtrarunt, veluti DAN. CHAMIERUS *panſtrat. cathol. tom. III libr. XXII. cap. V. p. 463.* JO. FORBESIUS *inſtruct. hiſtorico-theolog. libr. VIII. cap. XXIV. p. 424.* & BALTH. BEBELIUS *antiquit. eccles. ſec. IV. art. VIII. ſect. 2. §. 55. ſeqq. p. 370.* Quod reſtat, paucis adhuc notamus, ipſorum quoque adverſariorum, ESTII inprimis, CORNELII a LAPIDE, MALDONATI, SALMERONIS aliorumque teſtimoniis comprobari poſſe, verbum *juſtificandi* forenſe eſſe. Nonnulla ex iis ſupra §. *VIII.* in medium adduxit laudatiſſimus GERHARDUS noſter. Plura vero exhibet ABRAH. CALOVIUS in *ſyſtem. theol. tom. X. de juſtif. quæſt. I. p. 163. ſeqq.*

cutus, utatur. Idem de dictis patrum habendum. 3.) Nimirum plerisque ipsorum, præsertim vero Augustino res fuit cum Pelagianis (*), gratiæ Dei inimicis, contra quos demonstrandum fuit, non solum remissione peccatorum, sed etiam interiori renovatione nos indigere, ac utrumque esse gratiæ cœlestis beneficium. Pelagius concessa gratia *primæ* (justificationis) negavit *secundam*, (renovationis) inde in veterum disputationibus frequentior fuit usus gratiæ de *secunda*, quam de *prima* gratia. 4.) Adde, quod remissio peccatorum, & interior renovatio nexu arctissimo invicem sint conjuncta, quemadmodum igitur ex consequenti alias describitur antecedens, ex effectu causa; ita quoque ex renovatione, quæ est consequens justificationis, naturam ejusdem veteres describunt. 5.) Quid quod obviam ire voluerunt inani persuasioni de fide justificante, etiamsi non adsit interior renovatio & serium sanctitatis studium? 6.) Quando autem emphases scripturæ penitius introspiciunt, & præcipue quando in tentationibus ac meditationibus quasi ad tribunal Dei sese sistunt, tunc dulcissimis sententiis doctrinam de gratuita peccatorum remissione propter Christum fide adprehensum in scriptis suis exprimunt, quarum aliquas in tract. de bonis operibus recensebimus. 7.) Quamvis igitur verbum *justificandi* pro donatione inhærentis justitiæ usurpent, expresse tamen addunt, inhærentem illam justitiam ac renovationem in hac vita nondum esse perfectam, adeoque quosvis sanctissimos quotidiana remissione peccatorum indigere. 8.) Quandoque justificationem a renovatione expresse distinguunt. Cyrillus Alexandrinus in c. XLIV. Esaj. *Ubi est peccati remissio & justificatio per fidem, & Spiritus sancti participatio, & adoptionis splendor, & regnum cœlorum, & non vana spes bonorum, quae mens nequit complecti, ibi est laetitia & gaudium.* Quo pertinent dicta superius enumerata, in quibus justificationem per remissionem peccatorum definiunt.

§. CCXLVII. Cap. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. conatur Bellarminus nostræ sententiæ firmamenta subruere, quorum discussionem proposuimus superius. Cap. 15. disputat contra quosdam pontificios, *qui actuali justitia nos formaliter justificari* adserunt, ac pro stabilienda justitia habituali producit dicta scripturæ, quæ de efficacia sacramentorum, præsertim vero baptismi agunt: Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Eph. V. 26. *Mundans eam lavacro aquae in verbo.* Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis &c.* ex quibus ita colligit, *sacramenta non justificant nisi concurrendo per modum instrumenti ad infusionem justitiae habitualis. Ergo.* Resp. Ostendemus suo loco, sacramentorum finem præcipuum hunc esse, quod sint media fidei excitandæ, augendæ, & confirmandæ ergo instituta, hac fide accipimus remissionem peccatorum, induimus Christum & in filios Dei adopta-

An actuali justitia formaliter justificemur.

(*) Controversia, quæ orthodoxis cum pelagianis olim intercessit, non tam spectabat ad justificationem *stricto sensu* acceptam, de qua heic sermo est, quam potius ad justificationem *late* sumtam, quæ & *sanctificationem* complectitur. De hac quippe docebant pelagiani, eandem homini esse possibilem, solis naturæ viribus, absque ullo gratiæ adjutorio. Acriter vero contra eos disputabant orthodoxi, atque argumentis in medium adductis comprobabant, justitiam, quæ peculiari nomine *sanctificatio* adpellatur, esse gratiam Dei, seu donum Dei gratuitum, nullo nostro merito, sed gratis a Deo donatum. Hinc frequens apud AUGUSTINUM occurrit notatio verbi *justificare*, hoc est, *justum facere*, quia non ex nobis sumus justi, sed Deus nos justos facit. Vid. ejus *epist. CV.* & *CVI.* itemque libr. *de praedest. sanctor. cap. VII. VIII. XII.* Add. FULGENTIUM *libr. I. ad Monimum.* Copiosius hæc edisseruit, quem in præcedenti nota jam laudavimus, GUIL. FORBESIUS in *instruct. hist. theol. libr. VIII. cap. XXIII. p. m. 423. seqq.* ubi data opera ostendit, statum controversiæ de justificatione inter catholicos olim & pelagianos agitatæ, diversum fuisse a statu controversiæ, quæ nunc inter catholicos & romanenses de justificatione intercedit.

adoptamur. Non negamus, per usum sacramentorum augeri etiam interiorem hominis renovationem, sive gratiam habitualem, (ut loquuntur) sed quod sacramenta non concurrant ad justificationem per modum instrumenti, nisi ad infusionem habitualis justitiæ, id vero scripturis, quæ de fructu & fine sacramentorum agunt, contrarium esse dicimus. Nec est, quod Bellarminus infantum exempla proferat, illos enim fidei per baptismum ipsis collatæ capaces esse, demonstravimus in tractatu germanico de baptismo cap. 25. pag. 156.

§. CCXLVIII. Cap. 16. Tria producit scripturæ dicta, quibus ex pontificiis aliqui probare conantur, *actuali* justitia nos *formaliter* justificari. Rom. II. *Factores legis justificabuntur.* Jac. II. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo.* 1 Joh. III. *Qui facit justitiam, justus est.* Respondet autem, *dictis illis hoc tantum evinci, quod opera meritorie justificent, non autem formaliter.* Atqui ne hoc quidem ex testimoniis illis evinci, ostendemus suo loco. Quando factores legis justificari apostolus pronunciat, de perfecta legis impletione loquitur, eam vero in nullum hominem, excepto Christo Θεανθρώπῳ, cadere, ibidem evidenter probat. Jacobus per verbum *justificandi* intelligit justitiæ *declarationem*, nec exprimit id, propter quod homo coram Deo justificatur, sed ex quo coram hominibus justus agnoscitur. Eodem modo etiam Johannes loquitur. Qui enim justificatus est per fidem, is facit justitiam ac bona opera, ex quibus agnoscitur justificatus. Quod ad distinctionem inter justificationem *primam & secundam* attinet, de ea suo loco plenius agetur, hac vice illud tantum monemus, Bellarminum potius debuisse triplicem justificationem ponere: siquidem 1.) opera, quæ ad infusionem justitiæ præparant, justificant per modum *dispositionis*, vel etiam per modum *meriti de congruo.* 2.) Infusa gratia justificat formaliter. 3.) Opera absolute bona justificant per modum *meriti de condigno.* Certe si opera absolute bona ideo dicuntur justificare, quia faciunt hominem justiorem, cur non & opera præparatoria dicenda sunt justificare, cum incipiant facere justum? Si vero justificationem per merita de congruo referre velit ad justificationem per infusionem justitiæ, non poterit negare, etiam primam illam justificationem esse quodammodo meritoriam & actualem. Neque hoc dissimulat Bellarminus; sic enim scribit cap. 15. circa medium: *Augustinus quando dicit opera non præcedere justificandum, sed sequi justificatum, non loquitur de operibus, quæ disponunt ad justitiam adquirendam, quales sunt actus fidei, spei, dilectionis, pœnitentiæ & similes, sed solum de operibus absolute justis & meritoriis. Quamvis autem opera absolute justa sequantur justificatum, non præcedant justificandum, tamen opera pœnitentiæ, dispositia ad gratiam justificationis, omnino præcedunt.*

CAPUT V.

DE CAUSA FINALI JUSTIFICATIONIS.

Causa finalis justificationis.

§. CCXLIX. Et de forma justificationis hactenus. Causa *finalis* ejusdem respectu *nostri* duplex est; in hac quidem vita, pax & tranquillitas conscientiæ. Esaj. XXXII. 17. *Fructus justitiæ erit pax, & cultus justitiæ erit quies & securitas usque in sempiternum.* Rom. V. 1. *Justificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* In altera vero vita, salus & beatitudo æterna. Rom. VI. 22. *Liberati a peccato habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam:* v. 23. *Stipendium enim peccati mors est: donum autem Dei est vita æterna, in Christo Jesu, Domino nostro.* Tit. III. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit, &c. ut justificati illius gratia hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* In symbolo apostolico

lico hæc tria sunt invicem connexa : *Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem & vitam aeternam ;* ubi ipsa series articulorum ostendit, remissionem peccatorum dari credentibus propter resuscitationem ad vitam æternam, ac Petrus pronunciat, *finem fidei nostrae*, qua coram Deo justificamur, esse *vitam aeternam*, 1 epist. I. 9. Respectu *Dei* finalis justificationis nostræ causa est gloria *Dei* (*). Rom. III. 24. *Justificamur gratis per illius gratiam, per redemtionem, quae est in Christo Jesu*, v. 25. *quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus, ad ostensionem justitiae suae*, v. 26. *ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Gratuita per Christum justificatio ostendit Deum esse misericordem, justum & veracem. *Illud*, quia ex gratia alienam satisfactionem & justitiam nobis donat; *istud*, quia non remittit peccata, nisi intercedente satisfactione, non pronunciat justum, nisi intercedente justitia ; *hoc*, quia credentibus in Christum promisit remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, Psalm. LI. 6. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Qui vero sunt illi sermones Dei ? Resp. duæ sunt præcipuæ Dei conciones in tota scriptura, *una* est accusatio legis, *altera* promissio evangelii ; *illa* est concio iræ, *haec* vero est concio gratiæ, utraque est universalis ; dicit ergo David, se ingenue & aperte confiteri peccatum, ut Deo tribuatur laus justitiæ & æqualitatis, non solum in concione legis & iræ, qua omnium hominum peccata accusantur ; sed etiam in concione evangelii & gratiæ, qua omnibus offertur peccatorum remissio. Additur autem *ut vincas, cum judicaris*, quia hypocritæ solent cum Deo contendere, non agnoscunt peccata, non tribuunt Deo laudem justitiæ &c. (**)

CAPUT VI.

DE USU DOCTRINÆ JUSTIFICATIONIS EJUSQUE DEFINITIONE.

§. CCL. Atque hæc satis quidem prolixe dicta sunt de gratuita justificatione hominis peccatoris coram Deo per fidem in Christum, quorum omnium verus ac salutaris usus in seriis tentationibus & conscientiæ angoribus demum conspicitur. Extra tentationes dominatur in cordi-

(*) Jer. XXXIII. 8. *Emundabo illos ab omni iniquitate sua, qua peccaverunt contra me, & parcam omnibus iniquitatibus eorum, quibus peccaverunt contra me, & quibus praevaricati sunt contra me*, v. 9. *& erit mihi in nomen, gaudium, in laudem & in gloriam cunctis gentibus terrae, quae audierint omne bonum, quod ego faci eis.* 4 Esdr. 8. *In hoc adnunciabitur justitia tua & bonitas tua Domine, cum misertus fueris eis, qui non habent substantiam bonorum operum.* GERHARDUS.

(**) *Effecta* justificationis sunt bona opera. Eph. II. 10. 2 Petr. I. 10. Jac. II. 14. *Subjectum circa quod*, seu objectum, est homo peccator non quilibet, sed pœnitens ac credens, Rom. IV. 5. III. 22. qui consideratur *primo* secundum naturæ corruptionem & legis exsecrationem, *deinde* secundum gratiam & evangelicam consolationem ; *illo* respectu adcusatur, *hoc* absolvitur. Jesuitæ *subjectum* justificationis statuunt solam hominis peccatoris animam, unde Becanus suaviter philosophatur cap. 5. de justific. cathol. thesi 8. *An gratia educatur de potentia animae, an per simplicem creationem producatur?* Atqui 1.) non sola anima, sed totus homo est justificationis objectum, quia peccatum, a quo homo justificari seu absolvi debet, invasit totum hominem Psalm. LI. 7. Job. XIV. 4. 2.) Sententia Jesuitarum nititur falsa hypothesi, quasi gratia justificans *inhaesive* & *habitualiter* hoc loco sit intelligenda. *Adjuncta justificationis* sunt pax & tranquillitas conscientiæ, Esaj. XXXII. 17. Rom. V. 1. odium peccati & studium bonorum operum, Rom. VIII. 4. quotidiana renovatio, 2 Cor. IV. 16. sanctificatio, Apoc. XXII. 11. *Contraria* sunt justitia legalis, Rom. III. 20. Gal. II. 16. pharisaica seu hypocritica & Jesuitica. Luc. VIII. 9. GERHARDUS.

cordibus hominum persuasio propriæ justitiæ, maledictioni legis, atrocitati peccati & judicii divini severitati opponendæ; ac connatum nobis est post protoplastorum lapsum, ut in nobis ipsis quæramus peccati remedium ac reconciliationis meritum, sicut servulus ille Matth. XVIII. 26. *se omnia persoluturum* in se recepit, sed vanam illam persuasionem verus ac spiritualis divinæ legis usus deprimit & exstinguit. Proinde illa omnia, quæ de gratuita justificatione per & propter Christum hactenus dicta, referenda sunt, 1.) ad justitiæ & misericordiæ divinæ gratam agnitionem ac deprædicationem. Lucet enim in nostra justificatione admirandum justitiæ & misericordiæ divinæ temperamentum; quod Christi obedientiam & satisfactionem nostri loco præstitam Deus acceptat, & propter illam a peccatis nos absolvit. Esaj. LXIV. 6. *Nostrae justitiae sunt sicut pannus mulieris menstruatae* v. 8. *Tu autem Jehovah Pater noster.* Dan. IX. 7. *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei.* v. 18. *Non in justitiis nostris prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis.* 2.) Ad certam conscientiæ consolationem, siquidem animam peccati pondere pressam & sensu iræ divinæ territam nihil quicquam erigere ac consolari potest, præterquam gratuita promissio evangelii de remissione peccatorum propter Christum. Rom. III. 25. *Christum proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus.* Hebr. IV. 16. *Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum.* 3.) Ad veræ fidei & grati animi per bona opera testificationem. Cum tanti consliterit Christo mediatori pro peccatis nostris satisfactio, utique etiam peccata serio odisse convenit. Cum tanti per Christum participes reddamur beneficii, idque ex gratuita Dei misericordia, ideo per verum ac serium sanctitatis studium nos gratos præstare convenit. Cum vera & salvifica fides efficax sit per dilectionem, utique etiam fidem nostram per bona opera demonstrare necessarium erit. Rom. V. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. VI. 1. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* v. 2. *absit! qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* 1 Cor. VI. 9. *Nec scortatores, nec idololatrae, nec adulteri &c. regnum Dei obtinebunt.* v. 11. *& haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis &c.* quasi dicat, quia estis justificati, ideo non amplius indulgendum erit peccatis. Tit. II. 14. *Christus dedit se ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem ζηλωτὴν cum zelo quodam bona opera sectantem.*

§. CCLI. Definitionem justificationis ex superioribus constituimus talem. *Justificatio est actio Dei Patris, Filii & Spiritus sancti, qua ex mera gratia & misericordia propter Christi mediatoris ac redemtoris obedientiam & satisfactionem homini peccatori, vere in Christum credenti, gratis, sine operibus aut meritis propriis, peccata remittit, justitiam Christi imputat, & ad vitam aeternam eum acceptat, ad divini nominis sui gloriam & hominis salutem.* Huic uni ac vero Deo, Patri nostro benignissimo, qui nos in Christo Filio suo ante jacta mundi fundamenta elegit, qui in plenitudine temporis hunc Filium suum misit natum ex muliere factum sub lege, ut eos, qui sub lege, redimeret; qui ex mera gratia & misericordia per & propter hunc unicum mediatorem nostrum nos vocavit, justificavit & glorificavit, sit laus, honor & gloria in omnem nunquam finiendorum seculorum æternitatem, Amen! *Definitio justificationis.*

(o)

SVPPLEMENTVM

EDITORIS

EXHIBENS

CONTROVERSIAS DE IVSTIFICATIONE CUM SOCINIANIS AGITATAS.

Quum omnes, quæ inter nos atque cœtus romani doctores in loco de *iustificatione* intercedunt, controversias tam solide copioseque pertractaverit b. GERHARDUS, ut nihil fere, quod præcipuum aliquod momentum secum vehat, iis, quæ hanc in rem scripsit, addi queat; supplementi loco de erroribus *Socinianorum*, qui in gravissimo hoc religionis christianæ articulo turpiter hallucinantur, ex dissertatione nostra haud ita pridem de hocce argumento edita, nonnulla, quæ scitu cognituque sunt necessaria, heic subiungemus, variasque subinde adspergemus observationes, lectoribus nostris, ut speramus, non ingratas.

* * * * * * * *

§. I. Ante omnia vero necessarium esse ducimus, ut mentem dissentientium de arduo, quod nobis iam pertractandum est, argumento, breviter quidem, sed accurate edisseramus. Videntur quidem SOCINI sectatores, contra quos scriptio hæc nostra directa est, in nonnullis capitibus ad veritatem cœlestem, quam propugnant protestantes, propius accedere. Largiuntur enim, vocabulum *iustificationis* non aliter, quam in *forensi* significatione adhibendum esse, nihilque aliud, quam remissionem peccatorum ac declarationem hominis pro iusto denotare. Nec inficiantur, nos propter *fidem*, eandemque *solam*, ab omni peccatorum reatu liberos, ac proinde filios Dei atque hæredes vitæ æternæ a Deo pronunciari. Verum, si totum eorum systema attenta mente, prout par est, consideremus, facile deprehendimus, eos non una, sed multiplici ratione a veritate cœlesti plurimum deviare. *1)* enim falsam prorsusque erroneam *fidei* iustificantis notionem animo effingunt, statuentes, *fidem* non in fiduciali meriti Christi adprehensione (1), sed in nudo *adsensu* (2), ac fiducia generali promissionibus Dei nixa, itemque in *obedientia* sanctissimis ipsius mandatis, sub spe vitæ æternæ, præstita consistere (3). Quum vero, qui in SOCINI castris militant, ipsimet agnoscant, obedien-

(1) Hanc adprehensionem meriti Christi FAUST. SOCINUS *merum humanum commentum & inanissimum somnium* adpellare haud dubitat, *part. IV. de Iesu Christo servatore cap. XI. p. 560.* Atrociora adhuc convitia CHRISTOPH. OSTORODUS, in libro suo *Unterrichtung* inscripto, *p. 304.* contra nostram de fide doctrinam effutiit.

(2) *Fides*, inquit SOCINUS in thes. de iustif. *est talis adsensus doctrinæ Christi adhibitus, ut eum ad rem ipsam adplices, id est, Deo per Christum confidas, proinde voluntati illius exsequendæ, quo promissa consequaris, totum te tradas.* Idem docet SOCINUS toto *cap. XI. & XII. part. IV. de servat.*

(3) Hanc genuinam Socinianorum de fide doctrinam esse, patet ex *catechismo Racoviensi cap. IX. de fide, quæst. 417-420. p. 848. seqq.* edit. OEDERI. Conf. SOCINUM *loc. cit.* & in *synopsi de iustif. p. 15.* ubi hæc leguntur verba: *Ex hominum parte requiritur resipiscentia, & Dei præceptorum in posterum obedientia, quæ illa fides est revera, quæ semper hominem Deo acceptum reddit, & redditura est.* Idem in *notis ad dialogum de iustif. p. 25.* scribit, *fidem obedientiam præceptorum Dei, non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam & formam continere atque complecti.* Add. OSTORODUM *loc. excitat. p. 303.* qui suam hac de re mentem ita exponit: *Solte man aus den Werken, wie durch ein Verdienst gerecht werden, so müßte man nie im allergeringsten das Gesez übertreten. Weil das aber nicht geschiehet, so kan man durch die Werke des Gesezes nicht gerecht werden. Deshal-*

dientiam *perfectam*, quam lex divina a nobis exigit, in hominem peccatorem cadere haud posse (4), priori, quem modo indicavimus, errori alium adiungunt, adseruntque *II)* obsequium nostrum, quod præceptis evangelicis præstamus, ut ut sit valde *imperfectum*, a benignissimo tamen numine, ex mera gratia (5) & per *acceptilationem* quandam, ac si *perfectum* esset, censeri. Atque ex his *III)* colligunt, opus nobis haud esse *iustitia aliena*, cum sufficiat *propria*, negantque, iustitiam sponsoris nostri eiusdemque obedientiam cum *activam*, tum *passivam*, quam vocant, esse causam *meritoriam* nostræ iustificationis (6), nobisque a Deo ex gratia imputari *ad iustitiam* (7). Subiungunt *IV)* diverso plane modo iustificatos esse illos, qui

halben hat uns GOtt nach seiner grossen Barmherzigkeit einen anderen Weeg, für ihm gerecht zu werden, gezeiget, nemlich den Glauben an Iesum Christum, das ist, den Gehorsam der Gebote Christi, unter der Hofnung das ewige Leben zu erlangen; um welches Gehorsams willen ein jeglicher, der ihn hat, ob er schon etwan ein Sünder und GOttes Feind gewesen ist, GOtt dennoch lieb und angenehm ist, und aller seiner Sünden Vergebung erlangen wird. OSTORODO ad latus ponimus IO. VOLKELIUM, qui *libr. IV. de vera relig. cap. III. de fide*, tertium fidei gradum collocat in obedientia mandatorum Dei. *Tertius*, inquit, *est Christo confidere, perque ipsum Deo, atque adeo spe immortalitatis subnixum, totum se ad Dei studium adcommodare, id est, Christi, & sic etiam Dei præceptis obtemperare.*

(4) Vid. SOCINUM in *fragm. de iustif. p. 48.* ubi disertis verbis fatetur, *neminem esse, qui perfectissime atque integerrime per totam vitam ea opera faciat, quae sive sub veteri, sive sub novo testamento præscripta sunt.*

(5) Vid. rursus SOCINUM *libr. IV. de Christo servatore cap. XI. p. 560.* ubi observat, fidem operibus eapropter merito opponi, quia nec perpetuam & absolutissimam præceptorum Dei conservationem ipsa per se contineat, nec propria vi iustificet: sed *propter Dei clementiam*, qui eiusmodi opus facientibus iustitiam, quantumvis antea iniustis imputet, ipsosque pro iustis coram se habere, pro *incomparabili sua benignitate*, velit. Idem SOCINUS in *libro* modo *adlegato* passim inculcat, iustificationem esse universalem adfectionem fidei, *non quod fides virtutem efficiendi iustitiam & vitam in se contineat; sed quod censeatur talis per gratuitam Dei acceptilationem; quae visum ei reputare fidem pro perfecta iustitia, sive pro perfecta legis impletione, haud secus quam olim sub foedere legali, perfecta legis obedientia erat universalis ista iustitia, ex qua pendebat vita.* Nec his dissimilia sunt, quæ apud SMALCIUM in *disput. contra Franzium*, VOLKELIUM *libr. IV. cap. III.* aliosque leguntur.

(6) Sunt quippe SOCINI adsectæ, uti constat, iurati hostes meriti & satisfactionis Christi: quippe quam penitus negant, atque ex omni vita ac passione Christi nihil aliud nisi exemplum nobis datum, aut ad summum conditionem qualemcunque, sub qua ille exaltatus, & nos aliquando exaltandi simus, facere haud dubitant. Ipse FAUSTUS SOCINUS, infaustæ illius sectæ conditor, suam hac de re mentem hisce verbis expressit: *Ego censeo, & orthodoxam sententiam esse arbitror, Iesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quia salutis viam nobis adnunciarit, confirmarit, & in sua ipsius persona, tum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit.* Vid. eiusdem librum modo excitatum *de Christo servatore, part. I. cap. I.* Conferendus quoque heic est *catechismus Racovienss. cap. VIII. de morte Christi*, ubi ad quæstionem: *At quae ratio erat, easdem adflictiones & mortem servatori Christo perferendi, quibus credentes sunt obnoxii?* sequentem in modum respondetur: *Duae eius rei extiere causae, quem ad modum etiam duplici ratione Christus suos servat: Primum enim exemplo suo, ut in salutis via, quam sunt ingressi, persistant, suos movet. Deinde iisdem in omni tentationum, laborum & periculorum certamine adest, opitulatur, & tandem ab ipsa aeterna morte liberat. Ad utramque hanc servandi nos rationem vehementer pertinuit, ut Christus dux noster non aliter, quam per eiusmodi perpessiones & mortem, ad vitam & gloriam penetraret aeternam.* Præter has causas etiam alias esse, negat *catechismus* iste *Racovienss*, &, nonnullis interiectis, in hanc impiissimam vocem erumpit: *Etsi nunc vulgo christiani sentiant*, (Christum ideo esse mortuum, ut salutem nostram proprie loquendo mereretur, & peccatorum nostrorum debita proprie itidem loquendo dissolveret) *tamen ea sententia tum falsa est & erronea, tum admodum pernicios.*

(7) Ex mente Socinianorum phrasis biblica, *fidem imputari ad iustitiam, Rom. IV. 5.* nihil aliud significat, quam *fidem iustitiæ loco duci*, non

qui ante Christum vixerunt, ab eo, quo christiani in novo testamento iustificantur. Nam primum *iustificationem per fidem ante nov. test. non fuisse propositam, vel fœderi inclusam*: deinde *fidem illorum, qui ante Christum vixerunt, nihil commune habuisse cum ea, qua nunc homines iustificantur* (8). Singulas hasce hypotheses a Socinianis propugnatas sigillatim iam expendemus, easdemque adcuratiori examini theologico subiiciemus.

§. III. *Primo* itaque loco id in quæstionem heic venit: an *ratio formalis* fidei iustificantis constat in *fiduciali adprehensione gratiae divinae propter meritum Christi?* an vero in *obedientia mandatorum Dei? Prius*, præeunte scriptura sacra, statuunt theologi recte sentientes; posterius vero adserunt SOCINI sectatores, contenduntque, fidem esse *obedientiam* erga imperata tum *Dei* in decalogo, tum speciatim *Christi* in evangelio. In hoc enim Christum novas tulisse leges, fingunt SOCINI adsectæ (1). Admittunt equidem, *fiduciam* constituere alteram fidei iustificantis partem, sed addunt, eandem non in Christo *promerente*, sed *promittente*, sive in promissionibus divinis, morte Christi con-

non vero *Christi iustitiam nobis imputari*. Clara hanc in rem sunt loca, quæ occurrunt apud SOCINUM *part. IV. de Christo servat. cap. IV.* ut & SMALCIUM in *refut. thes. Franzii p. 104.* ubi ait, Deum *non innocentiam, non iustitiam Christi imputare credentibus, sed fidem illorum imputare illis pro iustitia*. Nititur hocce adsertum falsa hypothesi, qua *fidem* nihil aliud esse statuunt Sociniani, quam *observationem mandatorum Dei*. Sic totius evangelii natura in doctrinam operum convertitur. Cæterum ex SOCINI adsectis conferri quoque heic possunt OSTORODUS in libro sæpius iam adlegato, qui inscribitur: *Unterrichtung &c. p. 304. seqq.* VOLKELIUS *libr. V. de ver. relig. cap. 21. f. 564.* itemque SCHLICHTINGIUS in *disp. pro Socino contra Meisnerum de iustif. f. 246. seqq.*

(8) Sunt hæc verba SMALCII in *refut. thes. Franzii f. 93. seqq.* Ut vero mens Socinianorum clarius pateat, adscribemus heic verba ex *catech. Racov. cap. XI. de iustif. §. 454. p. 933. seqq.* ex edit. OEDERI: *Etsi omnes, qui unquam in Deum crediderunt, ob fidem iustificabantur, (ut e cap. XI. Ebr. aperte colligi potest) nihilominus ea iustificandi ratio in fœdere per Mosen dato non fuit comprehensa, verum ab ipsa Dei gratia mere pependit: at nunc ea iustificandi ratio per fidem in Christum in ipso fœdere continetur. Unde illorum fides fidem in Christum non includebat, eoque apostolus ait: fidem venisse per evangelium. Atque ad eum modum illi non propter fidem in Dei filium, sed in ipsum Deum sunt iustificati Gal. III. 22, 23, 24, 25.* Adiungimus hisce locum ex SOCINI *tract. de iustificat. p. 15.* desumtum, hisque verbis expressum: *Est quidem sub utroque fœdere eadem hominis coram Deo iustificandi ratio, quatenus utrobique ex parte Dei peccatorum remissio requiritur, ex hominum vero parte resipiscentia, & Dei præceptorum in posterum obedientia, quæ illa fides est revera, quæ semper hominem Deo acceptum reddit & redditura est; sed tamen, quia obedientia, quam a nobis requirit Deus in novo fœdere, non eadem plane est cum ea, quam in veteri fœdere requirebat, sed multo, quam illa, absolutior atque præstantior: idcirco non sunt hæ tractationes confundendæ, nec una cum altera iustificandi ratione miscenda, præsertim, ubi de rudibus in religione christiana instituendis agitur &c.*

(1) Conferenda, quæ de hocce Socinianorum errore in *not.* ad b. GERHARDI *locor. theol. tom. VI. p. 147.* diximus. Iungi vero meretur b. FEUERLINI, theologi nuper Gœttingensis, dissertatio lectu dignissima *de Christo novo legislatore sententiam veram partim & theologorum quorundam explicans & defendens, & a falsa Socinianorum opinione secernens* Prodiit hæc dissertatio Gottingæ *MDCCXXXIX.* Licet vero sententia de Christo novo legislatore, in sensu Socinianorum accepta, varios complectatur errores, nullaque admitti queat ratione, ipsa tamen legum Christi novitas, prout a theologis recte sentientibus exponitur, vel ideo necessario adserenda est, quod character est Messiæ contra Judæos defendendus, prout recte monuit b. FEUERLINUS *loc. cit. §. XXIV. p. 19. seqq.* Scilicet Messias, secundum oracula vet. testam. debuit esse *legislator*, novasque condere leges. Vid. *Esai. XXXIII. 22. LV. 4. Jerem. XXXI. 31, 32.* Demonstrandum proinde est adversus Judæos, Iesum Nazarenum, quem christiani tanquam verum Messiam colunt, novas leges tulisse.

confirmatis, unice ponendam esse. Purioris vero fidei doctores longe aliam intelligunt *fiduciam*, quando de fide iustificante, secundum præscriptum verbi divini verba faciunt. Intelligunt nimirum *fiduciam specialem* misericordiæ Dei in Iesu Christo, qua non tantum in *promissionibus* Christi, sed vel maxime in eiusdem *satisfactione* vicaria, eaque perfectissima, *meritoque* infiniti valoris unice recumbimus, atque propter istud peccata nobis remissum, vitamque æternam donatum iri, nulli dubitamus. Atque huc tendit doctrina maiorum nostrorum in *apologia August. confess. art. II.* ubi disertis verbis profitentur, tria in fide iustificante consociata esse obiecta: 1) *gratuitum* aliquid, quod nostra excludit merita, 2) *propitiationem* Christi pro peccatis nostris, 3) eiusdem *promissionem* fide accipiendam.

§. III. Orthodoxam hanc ecclesiæ nostræ doctrinam, quod nimirum fides iustificans sit *fiducia* in Christum, salutis nostræ auctorem, peccata nostra morte sua cruenta expiantem, magno argumentorum syrmate dudum comprobarunt b. GERHARDUS (1) aliique theologi, quos infra nominabimus (2). Sufficiat, paucis heic adnotasse, ex ipso fidei *obiecto*, totaque *iustificationis indole* intelligi ac comprobari luculenter, fidem, qua iustificamur, sine fiduciali adprehensione meriti Christi esse haud posse. Etenim fides pro *obiecto speciali* habet *Christum*, in quantum est caussa salutis nostræ meritoria, *factus pro nobis peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in eo 2 Cor. V. 21.* & quatenus est μεσιτης ille *Dei hominumque unicus, qui sese ipse dedit redemtionis pretium pro omnibus, 1 Tim. II. 5, 6.* itemque *agnus* ille *Dei, qui tollit peccata mundi, Ioann. I. 29.* Hinc & sæpissime in sanctioribus litteris præsertim in scriptis Paulinis, *fides* describitur, prout versatur circa *Christum*, non quocunque modo spectatum, sed prout Deus eundem proposuit ιλαστηριον, *propitiatorium*, dum sanguinem suum pro nobis effudit, atque ita nostra expiavit crimina, *Rom. III. 25.* Accedit, quod gentium apostolus fidem adpellet *fidem Christi*, quia hunc præcipue pro obiecto habet, *Rom. III. 22. fidem Iesu*, eodem sensu *v. 26. fidem in sanguine Christi, v. 25.* quia nimirum occupatur circa reconciliationem cum Deo, sanguine Christi adquisitam, fidem, quæ *per Christum habet aditum in gratiam, ibid. v. 2.* Quin hic ipse sanctissimi servatoris legatus fidei salvificæ naturam *Gal. III.* ex professo traditurus, in hac propositione adquiescit: *Christus redemit nos ab exsecratione legis, factus pro nobis exsecratio, vers. 13.* atque *Eph. III. 12.* diserte docet, nos in Christo habere την παρρησιαν και την προσαγωγην εν πεποιθησει, δια της πιστεως αυτου. Quibus verbis vis atque natura veræ fidei adpellatione *fiduciae*, seu *confidentiae* exprimitur, quia fiducia ista cum fide semper est coniuncta.

§. IV. Proinde a recto veritatis cœlestis tramite plurimum heic deviant SOCINI sectatores, qui, ut facilius evertant fiducialem satisfactionis Christi adprehensionem, in qua fidei essentiam constituunt orthodoxi, nihil aliud con-

[ten-

(1) Vid. eius *locos theolog. tom. VII. loc. XVII. de iustif.* §. LXXII. *p. 81. seqq.* edit. nostræ, itemque in *confess. cathol. libr. II. part. III. art. 23. cap. I. thes. 2.*

(2) Sufficiat ex iis heic nominasse THUMMIUM, præstantissimum quondam academiæ nostræ theologum, in *impietate Photin. art. de fide p. 386.* HOEPFNERUM *de iustif. disp. VI. p. 265.* & *disp. IX. p. 557.* MEISNERUM *tom. II. disput. Witteb. disp. VII. thes. 46.* SCHERZERUM *in collegio anti-socin. disp. LXXXIII.* & LXXXIV. CALOVIUM *tom. X. system. theolog. art. III. cap. IV. quæst. 3. p. 350.* & *in socinismo profligato art. VI. controv. I. p. 725. seqq.* IO. MUSÆUM *de conversione disp. III. cap. III.* QUENSTEDIUM *in syst. theol. part. IV. p. 1339.* itemque ven. SCHUBERTUM *in den Gedanken von der Rechtfertigung, cap. III. §. 69.* Quibus ex cœtus reformati doctoribus CHAMIERIUS *tom. III. panstratiæ catholicæ libr. XII. cap. II. III. IV.* & XI. IO. FRANC. TURRETINUS *in institut. theolog. elenct. part. II. p. 635. seqq.* aliique iungi merentur.

tendunt esse fidem, quam *obedientiam mandatorum Dei*, ita ut bona opera non tam sint *fructus* fidei, quam eius *forma*. Falsam esse hancce sententiam meritoque proscribendam, vel ex eo intelligitur, quia hac ratione confunduntur ea, quæ ex se & sua natura sunt distincta, atque adeo minime confundenda. Confunduntur enim *fides* atque *obedientia* mandatis divinis præstita, quam a fide ita distinguit gentium apostolus, ut alteram alteri in negotio iustificationis disertis verbis opponat *Rom. III. 28.* Confunduntur porro duo fœdera, quæ tamen constanter opponuntur tanquam e diametro sibi opposita, fœdus nimirum *evangelicum*, & *legale*, utcunque licet temperatum. Confunduntur denique duæ virtutes, quæ inter se sunt distinctæ, *fides* & *charitas*, *1 Cor. XIII. 13.* *Illa* versatur circa promissiones evangelii, *haec* circa præcepta legis divinæ, atque eapropter dicitur *finis*, seu *impletio legis Rom. XIII. 10.* *Illa* est caussa, *haec* effectus; *praeceptionum* enim *finis est charitas, ex animo puro, bonaque conscientia & fide non ficta proficiscens, 1 Tim. I. 5.* *Illa* est instrumentum nostræ iustificationis coram Deo, *haec* autem fructus consequens, ex quo veluti *a posteriori*, ut in scholis loquuntur, fides cognoscitur. Et sane plurimum interest, præeunte scriptura sacra, ea, quæ distinguenda sunt, probe distinguere, atque adcurate definire, quænam sit *forma* fidei iustificantis, eiusdemque *pars essentialis*, & quæ sint signa duntaxat, *fructus* atque effectus fidei, *Rom. VI. 22. Phil. I. 11. Gal. V. 6.* coll. *v. 13, 22.* Quod si enim ad hæc non attendamus, sed cum Socinianis dicamus, *obedientiam* mandatorum Dei, seu vitæ sanctitatem, aliquo saltim modo vel *formam*, vel partem quandam essentialem fidei constituere, vera eaque divina πληροφορια cum side nunquam poterit esse coniuncta, semperque de eius coram Deo integritate ac valore sufficiente iure meritoque dubitari poterit. Nullum enim opus bonum, nisi quod sit *perfectissimum*, & quidem omnia in universum opera, coniunctim sumta, atque præscripto legis divinæ ad amussim conformia, ad iustificationem nostram in iudicio divino valere possunt. Iam vero fidelium quoque opera, utut bona, in hac tamen vita valde esse imperfecta, semperque aliquid mali ac labis habere, nec proinde eum perfectionis gradum, quem Deus in lege sua requirit, adsequi posse, nemo est, qui nesciat. Vid. *Ecclesiast. VII. 21.*

§. V. Nec sane ipse SOCINUS eiusdemque sectatores negare audent, bonis nostris operibus multum adhuc infirmitatis adhærere. Fatentur ingenue, *neminem* esse, *qui perfectissime atque integerrime per totam vitam ea opera faciat, quae sive sub veteri, sive sub novo testamento praescripta sunt, id quod tamen omnino requiritur, sive requireretur ad hoc, ut per ipsa opera, tanquam eius rei aliquo modo meritoria, iustificatio contingeret* (1). Nihilo tamen minus adserere haud dubitant, *haec opera efficaciam habere iustificandi coram Deo ad vitam aeternam, non quidem ut opera, sed per fiduciam, quae per Christum in Deo collocetur* (2). Ast quomodo *fiducia* per Christum in Deo potest collocari, nisi eidem substernatur *fiducia* in *sanguine* Christi, *Rom. III. 25.* qua confidimus, Christum θεανθρωπον obedientia sua perfectissima patri cœlesti nostra solvisse debita, nosque morte sua cruenta cum Deo reconciliasse? cur fidei *formam* constituunt *opera* legis a Christo correcta, hisque operibus efficaciam iustificandi coram Deo adscribunt, cum tamen *fides* in negotio iustificationis absolute & simpliciter *operibus* opponatur a gentium apostolo? Vid. *Rom. III. 28. Gal. II. 16.* Addimus & hoc, mirum oppido videri, quod Sociniani maiorem fiduciam habeant in Christo, olim mortali, mortuo, nunc vero redivivo, quem negant natura Deum esse, quam in Deo vivente & iurante: חי אני quam vere *vivo!* quæ iurandi formula prima vice occurrit *Num. XIV. 21. 28.* & exstanter repetitur *Deuter. XXXII. 40.* per חי

(1) Ita ipsemet SOCINUS suam hac de re mentem exponit in *fragmento de iustif. p. 48.*

(2) Sunt hæc rursus verba SOCINI, quæ *loc. cit. p. 55.* leguntur.

חי אנוכי לעולם *vivo egomet in aeternum*, ac alibi sæpius.

§. VI. Comprobavimus hactenus orthodoxam ecclesiæ nostræ de fide iustificante doctrinam. Iam & præcipua Socinianorum argumenta, quibus contra sententiam nostram insurgunt, adferemus in medium, eaque diluemus. Obiiciunt *I) confidere, quod per Christi mortem deleta fuerint peccata nostra, quodque Deus propter ipsum Christum nos acceptos ac gratos habeat, non esse proprie fiduciam, sed potius historicam fidem, qua scilicet id, quod iam est, aut fuit, creditur, cui historicae fidei alioquin nulla iustificandi vis competat* (1). Urgent *II.) fidem inniti promissione divina. Promissionem autem futurum tempus respicere. Necessarium proinde esse, fidem in Christum firma persuasione alicuius rei, quae futura sit, contineri. At nostram isthanc in Christum fidem praeteritum tempus omnino respicere: & firma opinione eius rei, quae iam peracta sit, totam contineri* (2). Monent *III.) de fide illa, qua firmiter credimus, quod per passionem Christi, eiusdemque mortem cruentam peccata nostra fuerint deleta, in sermonibus olim a Christo habitis nihil prorsus contineri; nec verborum eius, cum populo concionaretur, summam hanc fuisse, se iis, quae passurus esset, ipsorum peccata deleturum* (3). Obiiciunt *IV)*, vel ex eo satis patescere, fidem in meritum Christi non esse veram fidem, quoniam alias *omnes ante Christi adventum Deo placentes eandem habuissent. Verum contrarium adserere apostolum Ebr. XI. ubi multorum credentium, sed nunquam obedientiae, iustitiae & meriti Christi fiat mentio.* Provocant inprimis ad exemplum *Rahabae, loc. cit.* commemoratæ, aiuntque, eandem *utpote ethnicam*, nil potuisse *scire de merito Christi, sed Deo confidisse, ipsum remuneraturum, si sit populo ipsius benefacturа* (4). Vid. *Ebr. XI. 31. Ios. VI. 23.* Addunt *V) fidem nemini, nisi personae eique divinae deberi: in meritum autem Christi, etiamsi id tandem exstaret, fidem requiri, plane insolens & exoticum quiddam esse* (5). Tandem probaturi, quod *obedire Deo sub spe vitae aeternae sit forma fidei iustificae*, obiiciunt *VI)*, *Paulum 1 Thess. I. 9, 10. duas partes religionis christianae, proinde & fidei fecisse, quarum una est servire Deo, altera filium eius exspectare e cœlo; quod nihil aliud est, quam sub spe irae divinae effugiendae, & immortalis vitae consequendae Deo & Christo obedire. Idem docere apostolum Tit. II. 11. 1 Cor. XV. v. ult.* (6). Addunt *VII.) fidem, Ioann. VI. 29. opus*, & *Rom. I. 5. obedientiam fidei* dici (7), nullumque proinde dubium esse, quin fidei iustificantis forma sit *obedientia*.

§. VII. Verum hæ dissentientium obiectiones, ut ut aliquam videantur habere speciem, opera tamen haud difficili dilui queunt. Quod enim ad *primam* attinet obiectionem, oppido falsum est, eam fidem, qua *confidimus*, morte Christi cruenta expiata esse nostra peccata, Deumque propter Christum nos gratos acceptosque habere, non esse *fiduciam*, sed fidem mere *historicam*, cui nulla nos iustificandi insit efficacia. Neque enim *fides* ista, qua *confidimus*, in nuda notitia atque adsensu intellectus subsistit, sed

(1) Sunt hæc verba FAUSTI SOCINI *libell. suasor. cap. II. f. 22.*

(2) Vid. eundem *part. IV. de Christo servatore, cap. IX. tom. II. operum* iunctim editorum, *fol. 229.*

(3) Vid. eundem *loc. cit. f. 21.*

(4) Est hoc argumentum CHRISTOPH. OSTORODI in *institut. relig. christ.* germanico sermone editis, *cap. II. p. 22. seqq.* Conf. SOCINUM libr. *quod regni Poloniae &c. cap. V. error. VI. fol. 63. tom. I. oper. fol. 704.* & VALENTIN. SMALCIUM in *refutat. thes. Wolfg. Franzii, fol. 296. seqq.*

(5) Vid. SMALCIUM *loc. cit. disp. XII. de causa pecc. f. 449.*

(6) Urget hæc loca IOH. SCHLICHTINGIUS in *quaestionib. duabus* contra Balthasar, Meisnerum *f. 308.* atque in *comment.* ad hæc loca *tom. II. oper. fol. 285.*

(7) Vid. SCHLICHTINGIUM in *comment.* ad hæc ll. *tom. I. oper. f. 48, 157.*

sed cum motu quodam voluntatis est coniuncta, unde non potest non ea tandem inde oriri voluntatis adfectio, quæ *fiducia* adpellari solet, nihilque aliud est, quam *recumbentia mentis in merito Christi*. Scilicet homo peccator, ob peccata anxius, obque iram divinam peccatis incumbentem tremens ac trepidus, meritum Christi omniaque bona, per illud nobis parta, avidissime arripit, amplectitur, sibi vindicat, meritum istud suum veluti facit, atque in eo, tanquam remissionis peccatorum nostræque salutis caussa, penitus adquiescit. Hac fide qui donatus, & per eandem cum Christo unitus est, cum apostolo Paulo lætabundus exclamare potest: *fide vivo filii Dei, qui me adeo amavit, ut se ipsum pro me dederet, Gal. II. 20.* (1). Ad *alteram* obiectionem paucis respondemus, adversarios *spem* & *fidem* confundere, quæ tamen quam maxime differunt. *Illa* enim futura duntaxat, *haec* etiam præsentia ac præterita respicit. Addimus & hoc, fidem quidem inniti promissione divina olim iam *facta;* verum promissionem istam respicere *futuram* peccatorum remissionem, de *praesenti* obtinendam, si quis Christum cum suo merito vera fide amplectatur. Licet itaque fides *adsentiendo* verbo promissionis feratur in præsens, attamen *adplicando* perfectissimam Christi satisfactionem olim pro nobis præstitam, adhuc valentem, nobisque in posterum quoque profuturam, omnia *tria tempora* respicit, præteritum nimirum, præsens & futurum; prout recte monent theologi nostri. Quod ad *tertiam* obiectionem attinet, paucis notamus, oppido falli Socinianos, caussantes, de fide ista, qua quis credit, peccata nostra per Christi mortem fuisse deleta, nihil prorsus haberi in sermonibus Christi ad populum habitis. Luculentum sane huius rei testimonium habetur in sermone Christi *Ioann. VI. 51. seqq.* litteris consignato, ubi disertis verbis ait: *carnem meam dabo pro mundi vita: si quis ederit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Ubi *to edere ex hoc pane*, nihil aliud est, quam in Christum, qui se pro mundi vita in mortem tradidit, credere, idemque plane innuit, quod toties inculcaverat servator, *qui in ipsum credat*, illum *habiturum vitam aeternam.* Atque huc quoque referri merentur complura alia Christi oracula, quæ *Ioann. III. 14. X. 15.* itemque *Matth. XX. 28. Marc. X. 45.* alibique passim leguntur. Ad *quartum* dissentientium argumentum breviter respondemus, fidem istam in Christum, quam nos, præeunte scriptura sacra, veram prorsusque necessariam esse statuimus ad salutem, omnes habuisse vet. testamenti fideles, ac per eandem fuisse salvatos. *Eodem* enim *modo* omnes homines iustificantur, *Act. IV. 12. XV. 11.* prout infra copiosius ostendemus. Ipsa *Rachab*, quæ fuit gentilis, hac *fide* servata est, secundum corpus, & secundum animam, *Ebr. XI. 31.* Dicitur enim iustificata eadem *fide*, qua *Abrahamus*, pater credentium, *comm. 21.* Abrahamum autem veram habuisse fidem salutarem & iustificantem in Christum, quis negaverit? nisi religionis christianæ hostis. Et unde probabunt dissentientes, *Rachabam* Christi, seu Messiæ, qui lapsum genus humanum aliquando esset redemturus, ignorantia laborasse? probabilissimum potius est, eandem ampliſſimam religionis Israëliticæ habuisse cognitionem, promissionemque de semine benedicto non audivisse tantum, sed & eandem intellexisse. In *quinto*, quod Sociniani urgent, argumento, falso supponitur, *fidem* nonnisi in *personam* dirigi posse. Ipsi adversarii fidem in Dei *benignitatem* collocandam esse censent. Quid itaque obstat, quo minus

(1) De hac fiduciali meriti Christi adprehensione egregie disserit IO. MUSÆUS in *tract. de conversione disp. IV. §. CCXV. p. 240. Fidei tribuitur adprehensio, non quod qualitercunque coniungat, aut uniat, sed quod uniat Christum mediatorem, eiusque meritum ad nos, ut fiat nostrum; quod ex parte intellectus facit credendo, Christum esse meum, tuum, & omnium mediatorem, qui passione & morte sua pro omnium & singulorum peccatis Deo satisfecerit &c. ex parte voluntatis autem, in ipso, ut mediatore & auctore nobis impetrandæ gratiæ & remissionis peccatorum unico credito, secure recumbendo & adquiescendo. Non enim quilibet actus uniens est adprehensio, sed ille demum, quo res ad nos unitur, ut nostra fiat, nos iuvet, erigat, sustentet.*

minus fides in merito quoque Christi adquiescere queat? Et quid opus est multis? Ipse apostolus Paulus nos condocet, *liberationem* nostram *fieri in Christo Iesu, quem Deus proposuerit propitiatorium per fidem in eius sanguine, Rom. III. 24, 25.* Iam vero fides in *sanguine* Christi nihil aliud est, quam fides, quæ in *Christi sanguine*, pro peccatis nostris effuso, *recumbit.* Nec sane, quod ad *sextum* dissentientium argumentum regerimus, ex oraculis Paulinis supra excitatis comprobari potest, *obedire Deo sub spe vitae aeternae* esse *formam* fidei iustificantis. Certe locus *1 Thess. I. 9, 10.* ad quem provocant, hocce adsertum haud evincit. Sermo enim ibidem est de religione christiana, ad quam conversi erant Thessalonicenses. Iam vero *religio christiana & fides* iustifica non sunt synonyma. Nec proinde legitima est hæc argumentandi ratio: Quidquid est pars religionis christianæ, illud etiam partem essentialem fidei iustificantis constituit. De reliquis effatis Paulinis ut quidquam heic addamus, vix opus esse arbitramur, siquidem ipsa eorum inspectio edocere potest quemlibet, in iis de fide iustifica sermonem plane haud esse. Denique ad *septimam* obiectionem paucis respondemus, fidem iustificantem non *absolute* vocari *opus*, sed ἔργον τῦ Θεῦ, quod Deus in nobis absque ullo virium nostrarum concursu operatur & producit, adeoque non esse opus *hominis*, uti perperam existimant dissentientes, sed *Dei.* Quod vero attinet ad ὑπακοην πίστεως, de qua Paulus loquitur *Rom. I. 5.* per eandem non intelligenda est fides iustifica, sed *doctrina evangelica*, cui utpote a Deo revelatæ adsentiri iubemur; prout dudum ad hunc locum observarunt interpretes (2). Reliquas Socinianorum obiectiones, quas in medium attulerunt, solideque confutarunt THEODORUS THUMMIUS (3), IO. ADAM. SCHERZERUS (4), aliique, brevitatis studio heic prætermittimus.

§. VIII. Pergimus ad alteram controversiam inter nos ac Socinianos agitatam, ubi quæritur: an obsequium nostrum præceptis evangelicis præstitum, licet valde sit *imperfectum*, nihilo tamen minus a supremo numine per *aestimationem* gratiosam, seu *acceptilationem* quandam, pro perfecto reputetur? Supra iam (§. 1.) observavimus, SOCINI adseclas adfirmantem heic amplecti sententiam. Iure vero meritoque quæstionem hanc negant theologi recte sentientes. Cum enim ne *perfecta* quidem *opera* hominem iustificent, quod admittunt Sociniani, quomodo quæso *imperfecta* legis observantia hominem poterit iustificare? Impossibile prorsus hoc esse vel ex eo intelligitur, quia res nobis heic est cum exacta Dei iustitia, quæ perfectam numeris omnibus absolutam a nobis exposcit obedientiam. Nec regeri debet, *perfectionem istam omnimodam requisitam fuisse sub lege, non vero sub evangelio*; siquidem relaxatio, quæ facta est sub evangelio, non eo tendit, ut imperfecta iustitia pro perfecta censeatur; sed potius in eo consistit, quod aliena iustitia, perfectissima nempe sponsoris nostri obedientia, qua usque ad mortem crucis *patri suo obediens fuit*, nostra per fidem evadit, & pro *propria* admittitur. Accedit & hoc, quod iustificatio nostra, fatentibus Socinianis, sit actus forensis & iudicialis, in quo Deus se iustum demonstrat, *Rom. III. 25.* plenamque exigit solutionem. Nullus proinde *acceptilationi* heic locus est. Hæc enim nunquam procedit per auctoritatem & sententiam iudicis, sed per voluntariam & privatam partium stipulationem. Generatim id notandum, *acceptilationis* commentum satisfactionis a Christo præstitæ perfectionem, quam, præ-

(2) Sufficiat ex iis heic laudasse BEZAM, GROTIUM, WITSIUM, WOLFIUM, BENGELIUM, itemque HEUMANNUM, qui locum Paulinum in versione sua vernacula ita reddidit: *durch welchen ich Gnade, ja gar das Apostel-Amt bekommen habe, alle Heyden auf seinen Namen zum Gehorsam gegen die Glaubens-Lehre zu bringen* &c. Vid. eiusdem *Erklärung des neuen Testaments, part. VII. p. 32. & 34.*

(3) Vid. eiusdem librum, qui inscribitur: *impietas Photiniana.*

(4) Vid eius *collegium anti-Socin. p. 726. seqq.* edit. tertiæ.

eunte scriptura sacra adserimus, penitus destruere, nec *acceptilationis* voculae ex iurisconsultorum scholis petitae, quidquam inesse, quod ad remissionem peccatorum commode adplicari queat (1).

§. IX. Haud opus esse arbitramur, ut argumento huic de *acceptilatione* diutius immoremur. Iusto itaque ordine ad *tertiam* quaestionem, cum priori illa arcte connexam, progredimur, quae huc redit: num ratio, ob quam pro iustis reputamur coram Deo, sit *propria* nostra *obedientia*, seu obsequendi studium? an vero ipsa *Christi iustitia* perfectissima, eaque vicaria, legis adimpletione nobis comparata, perque fidem imputata? Prius adserunt SOCINI sectatores, statuentes, non opus esse iustitia *aliena*, cum *propria*, utut imperfecta, sufficiat, unde & imputationem iustitiae Christi ex opere iustificationis nostrae excludunt, eandemque penitus negant. Ast purioris fidei doctores, qui scripturae sacrae ductum unice sequuntur, in aliam plane heic abeunt sententiam, statuuntque, opus omnino nobis fuisse iustitia *aliena*, cum propria haud sufficisset, *iustitia* nimirum Iesu Christi, eiusdemque *obedientia*; tum *activa* (2), qua agendo totam legem, cui se ultro subiecit, pro toto genere humano lapso adimplevit perfectissime; tum *passiva* (3), quae cum *satisfactione* coincidit, inque eo consistit, quod Christus ea pro nobis passus est usque ad mortem crucis, quibus pro omni reatu & poena peccatorum

(1) Luculenter hoc ostendit vir summus HUGO GROTIUS, in elegantissimo libro *de satisfactione Christi cap. VI. §. 6.* Verba eius huc spectantia ita sese habent: „ Bis fallitur SOCINUS, cum ad eam remissionem, quam nobis Deus concedit, ex iure vocem *acceptilationis* adplicat. *Primum* enim illa vox, etiam cum solutio nulla antecessit, ad ius crediti aptari potest, ad poenas nec potest, nec solet. Nemo enim unquam legit, ab ullo veteri scriptore indulgentiam criminum *acceptilationem* vocari. Nam accepto fertur ea res, quae accipi potest; at poenam corporalem rector revera exigit, sed non accipit, quia nihil ex poena ad ipsum proprie pervenit. *Deinde* vero *acceptilatio* opponitur qualicunque solutioni, unde figurate definitur solutio imaginaria. Ast Christus λυτρον *redemtionem dedit vitam suam pro nobis*, *Matth. XX. 28.* & *pretio emti* h. e. solutione aliqua liberati sumus. *1 Cor. X. 20.* & *VII. 23.* Non est ergo hic *acceptilatio*, non est etiam solutio ipsius rei debitae, quae ipso facto liberet. Nostra enim mors, & quidem aeterna, erat in obligatione &c.„ Hactenus GROTIUS, cum quo conferri merentur MATTH. ZIMMERMANNUS, in peculiari commentatione *de acceptilatione Socinana*, & HENR. ERHARD. SCHROEDERUS in dissertat. *de acceptilatione iuridica ad sacram redemtionis humanae doctrinam variis modis adplicata*, quae sub praesidio b. FEUERLINI Goettingae *MDCCLII.* fuit habita, §. *XII. p. 26. seqq.*

(2) Hanc *obedientiam* Christi *activam* alii vocare solent *obedientiam vitae*, cum contra *passivam* adpellent *obedientiam mortis*. Vid. GERHARDUM *loc. theolog. de iustificatione §. LV. p. 60.* & SCHERZERUM *system. theolog. p. 427. seqq.* An vero satis adcurate ita loquantur, non sine ratione dubitat vir celeb. CHRIST. GUIL. FRANCISC. WALCHIUS in *commentatione* lectu dignissima *de obedientia Christi activa §. VI. p. 33.* in *nota*. Obedientia enim Christi *passiva* ad solam mortem parum recte refertur, prout ex vero iudicat laudatissimus WALCHIUS.

(3) Probe tamen notandum, obedientiam Christi *passivam*, quae, ut supra observavimus, cum eiusdem *satisfactione vicaria* coincidit, ab *obedientia* eius *activa*, neutiquam ita separandam esse, ut obedientia *passiva* seorsim, penitusque exclusa obedientia *activa*, peccata nostra expiaverit, nosque in statum integritatis restituerit. Utraque enim obedientia tam *passiva*, quam *activa*, seu *meritum* strictius sic dictum, prorsus sunt inseparabilia, ut Christus tam *agendo*, quam *patiendo*, hominum lapsorum expiaverit peccata, ac bona tum spiritualia, tum aeterna, nobis adquisiverit. Vid. GERHARDUM *loco excitato*. Illud quoque attendi heic meretur, quod in omni peccato duo deprehendantur: omissio scilicet boni, ac perpetratio mali. Quemadmodum itaque cum utroque poena a iustissimo iudice irrogata suam habet proportionem; ita & pro utroque erat satisfaciendum. Atque hoc ipsum praestitit incomparabilis redemtor noster Iesus Christus. Is enim poenam omnem & perpetrationi mali, & omissioni boni debitam, sponte in se suscepit patienterque sustinuit.

torum nostrorum satisfieri potuit ac debuit. Hancce iustitiam Christi, quæ & alias *meriti*, itemque *satisfactionis* nomine venire solet, vera fide adprehensam, ita nobis imputari a Deo, statuunt theologi, ut ista sit unicum fundamentum & caussa meritoria, cuius solius intuitu a Deo absolvamur a peccatis, atque ius ad vitam æternam obtineamus.

§. X. Quod iustitia *propria* ad iustificationem nostram coram Deo haud sufficiat, sed opus sit iustitia *aliena*, illa scilicet Christi, exinde comprobari potest luculenter, quia Deus, qui est veracissimus, non aliud de qualitate obiectorum ferre potest iudicium, quam quod veritati prorsus est consentaneum, nec proinde quemquam pro iusto potest declarare, nisi qui vere iustus est. Iam vero iustitiam nostram multis laborare nævis, neminemque esse mortalium, qui, quam diu vivit, peccare desinat, apud omnes in confesso est, nec ab ipsis dissentientibus in dubium revocatur. Quum itaque nemo nostrum legem divinam in mortali hacce vita perfecte adimplere, hacque ratione *propriam* sibi comparare queat iustitiam, Deus neminem pro iusto declarare, eundemque æternum salvare potest, nisi *alienam* iustitiam pro nostra habeat, h. e. eam nobis imputet. Sed ille, qui iustitiam nobis adquisivit, omniaque præstitit, quæ ad opus redemtionis nostræ pertinent (1), solus est Christus, mediator hominum. Proinde ad id, ut homines pro iustis declarari, & sic æternum a Deo salvari queant, necessarium est, ut illis imputetur (2) iustitia Christi perfectissima pro nobis præstita.

§. XI. Atque hanc perfectissimam Christi iustitiam, per fidem nobis imputatam, fundamentum esse, & caussam, quam vocant, *meritoriam* nostræ iustificationis, multis iisque gravissimis argumentis comprobant theologi nostri, quorum nonnulla eaque præcipua paucis heic indicabimus. *Primum* desumimus ex oraculo Paulino *Rom. III.* 24, 25. ubi ita pronunciat gentium apostolus: *δικαιουμενοι iustificamur gratis per gratiam ipsius* (Dei) *δια της απολυτρωσεως της εν χριστω Ιησε per redemtionem, quae in Christo Jesu est, quem proposuit Deus ιλαστηριον*

(1) Copiose ac luculenter veritatem hancce comprobavit GERHARDUS loco *de iustificatione, cap. II. §. XXXVII. p. 35. seqq.*

(2) Cum iam de *imputata Christi iustitia* data opera nobis sit agendum, de *imputatione* tum *generatim*, tum *speciatim* spectata, pro instituti nostri ratione nonnulla heic præmonebimus. Notamus itaque *I) generatim*, *imputationem* eandemque iustam nihil aliud esse, quam iudicium superioris, quod aliquis sit auctor actionis cuiusdam, quodque adeo ad illum pertineant actionis consectaria, quæ ex præscripto legis illi actioni sunt destinata, sive præmia sint, sive pœnæ. *II)* Non tantum *imputari* actiones, quas quis ipse perpetravit; prout *peccatum imputari* dicitur impiis 2 *Sam. XIX.* 20. & factum Pinehasi *Num. XXV.* 8. *seqq.* recensitum, *imputatum illi est in iustitiam*, *ps. CVI.* 31. sed & imputari *speciatim* facta *aliena*, sive bona sint, sive mala. Possunt nobis imputari peccata aliorum, si in ea consentimus. Possunt imputari peccata viventium, prout versus ille notissimus habet:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Possunt & mortuorum peccata nobis imputari, dum, ea imitando, consentimus. Ita Iudæis peccatum a Caino commissum fuit imputatum. *Matth. XXIII.* 35. Ita & præclarum Pinehasi facinus posteris fuit imputatum in eo, ut supremi sacerdotis admoverentur dignitati, *ps. CVI.* 31. Hinc *III.)* consequitur, imputari etiam posse iustitiam *alienam*, ita, ut uno, alterius postulationes contra tertium explente, tertius debito exsolvatur. Atque hoc sensu nobis imputatur iustitia Christi. Totus quippe *mundus erat Dei debitor*, *Rom. III.* 19. At Christus, qui *vadis* erga nos partes sponte in se suscepit, *quod non debuerat*, *solvit*, *psalm. LXIX.* 5. & solvit quidem, *loco mundi*, h. e. hominum in mundo viventium, *μη λογιζομενος αυτοις τα παραπτωματα*, *non imputans illis peccata*, 2 *Cor. V.* 19. Atque hanc *solutionem* a Christo *nostri loco factam rati labuit pater coelestis*, *Ioan. XIV.* 31. atque intuitu iustitiæ Christi nobis imputatæ, seu meriti Christi fide adprehensi, sententiam absolutoriam in nos pronunciat, ut proinde iustificatio nostra *formaliter* nihil aliud sit, quam peccati nostri in Christum, & iustitiæ Christi in nos translatio, per *imputationem* facta.

ειον *propitiationem per fidem* εν τω αυτου αιματι *in ipsius sanguine.* Quibus quidem verbis duo distinguit apostolus; primo enim loco caussam *meritoriam* iustificationis nostræ significat, quæ est *redemtio* Christi; ac deinceps caussam eius *formalem*, quæ in ιλασμω in *propitiatione*, seu reconciliatione per adprehensum fide sanguinem Christi consistit, commemorat. Manet itaque id ratum fixumque, *redemtionem*, quæ est in Christo Jesu, esse caussam antecedaneam *meritoriam* iustificationis, quæ commoveat Deum patrem, ut nos velit justificare, iustitiam Christi nobis per fidem adplicando, eandemque nobis *imputando*, quin credentes hac ratione revera iustificet. Neque enim per redemtionem Christi aliter possumus iustificari, quam per iustitiæ ab ipso præstitæ *imputationem*. *Alterum* pro hac sententia argumentum nobis suppeditat aliud apostoli effatum, quod exstat *Rom. V.* 18, 19. Ibi enim luculenter & velut ex instituto docet vir divinus, imputationem iustitiæ Christi nobis omnino factam esse. Postquam enim aliquoties graviter inculcasset, Christum *pro nobis*, itemque pro improbis mortuum esse, dubiumque alicui haud immerito suboriri potuisset, quanam ratione Christus mortem *pro nobis* sustinuerit; exemplo primi nostri parentis eiusdemque posterorum ostendit, quem ad modum peccatum Adami posteris eius imputetur, ita quoque iustitiam atque obedientiam Christi omnibus in illum credentibus imputari. Hinc *vers. 19.* disertis verbis pronunciat: *sicut unius hominis contumacia peccatores constituti sunt multi; sic etiam unius obedientia iusti constituuntur multi*, i. e. iusti a Deo pronunciantur, vel declarantur. Ut vero unius hominis contumacia multi effecti sint peccatores, id per imputationem peccati factum esse docuerat apostolus. Non aliter itaque, quam per imputationem iustitiæ, seu obedientiæ Christi, multi efficiuntur iusti. Unicus quippe actus non potest fieri plurium, nisi per imputationem.

§. XII. Binis hisce, quæ modo adduximus, oraculis Paulinis *tertio* loco ea adiungimus sacræ scripturæ loca, in quibus Christus *pro nobis* mortuus, *pro nobis* traditus, *pro nobis* a Deo peccatum factus dicitur, verb. grat. *Gal. I. 4. 2 Cor. V. 21.* alibique passim. Hæc enim loquendi ratio aliter explicari nequit, quam omnia, quæ Christus præstitit, aut passus est, in iudicio divino eodem haberi loco, ac si nosmet ipsi ea fecissemus, aut perpessi essemus. Accedit, quod nos eodem modo effici dicamur in Christo *iustitiam*, quem ad modum Christus, peccati ignarus, factus est pro nobis *peccatum*. At vero Christus pro nobis factus est *peccatum*, non *inhaerenter*, aut *subjective*, ut in scholis loquuntur, sed *imputative*, quia Deus ei imputavit peccata nostra, omniumque nostrum crimina in eum coniecit, *Esai. LIII. 6.* Proinde & nos *iustitia Dei* in Christo facti sumus, non alia ratione, quam *imputatione*. Qua de re & eo minus dubitabit, qui consideraverit, Christum non tantum sponte mortalium peccata in se suscepisse, sed & homines credentes per fidem tam arcto cum servatore vinculo (1) uniri, ut *unum corpus*, *unusque cum ipso spiritus* sint, *1 Cor. XII. 13. VI. 17.* immo, quod amplius quid est, ut cum ipso sint

(1) Duplici nos vinculo cum Christo unire voluit Deus, *naturali* uno, altero *mystico*, cuius beneficio factum est, ut & mala nostra in Christum devolvi, & bona a Christo parta ad nos transire potuerint. *Prius* est *communio naturæ* per incarnationem, qua Christus carne nostra indutus, fraterque noster factus, mortalium peccata in se recipere, iusque nos redimendi sibi vindicare potuit. *Posterius* est *communio gratiæ*, qua mediationem, cuius fundamentum est pactum illud inter patrem & filium de genere hominum redimendo (si de rebus divinis more humano loqui licet) initum. Filius quippe, qua vas pro nobis factus, Dei contra nos postulationes explevit, *solvit*que, *quod non debuit*, *ps. LXIX. 5.* hancque solutionem & impletionem nec non sua merita vice nostri præstita omnibus in nomen eius credituris & per fidem cum ipso unitis, *imputari* vult. Quem ad modum itaque Christus pro nobis peccatum factus est a Deo per peccatorum nostrorum imputationem; ita vicissim nos evadimus iustitia Dei in ipso per obedientiæ ipsius imputationem, *2 Cor. V. 21.* Atque hæc ipsa *imputatio* eaque forensis fundamentum est nostræ iustificationis.

sint *unum*, ea quidem ratione, ut inter unionem Christi cum fidelibus atque arctissimam unionem patris cum filio aliqua intercedat similitudo, *Joan. XVII. 22, 23.* Quis itaque dubitaverit, eos, qui tam arcte cum Christo per fidem sunt uniti, iure meritoque in Christo idem feciſſe ac tuliſſe, cenſeri, quod Chriſtus pro illis fecit pertulitque, atque adeo iuſtitiam Chriſti perfectiſſimam iisdem recte imputari.

§. XIII. Pergimus ad *quartum* argumentum ex *Rom. VI. 3, 5.* deſumtum, ubi *fides* dicitur *nobis imputari ad iuſtitiam;* quod tamen non de fide in ſe ſpectata, ſeu ipſo actu credendi, eſt intelligendum (1), ſiquidem alias ipſa fides eſſet opus, neque ſic daretur iuſtificatio ſine operibus. Spectatur potius heic fides, *metonymice* ſumta voce, ut continens poſitum ſit pro contento, *obiective* ſcilicet, & *relate* ad *iuſtitiam Chriſti*, quam fides adprehendit ſibique adplicat, & quæ a Deo nobis imputatur. Unde & apoſtolus eandem vocat *iuſtitiam, quae a Deo eſt per fidem in Chriſtum, Phil. III. 9. in qua ſola vult inveniri*, nimirum in iudicio Dei, quia non alibi quærenda eſt, quam in Chriſto, qui eſt *Jehovah iuſtitia noſtra*, & qui nobis a Deo *factus* eſt *iuſtitia*. Confirmatur hæc noſtra expoſitio inter alia ex eo, quoniam gentium apoſtolus *loc. cit. imputationem fidei ad iuſtitiam* explicat per τὸ *imputare iuſtitiam absque operibus*, iuſtitiamque hanc, quæ alibi vocatur *iuſtitia Dei*, opponit iuſtitiæ ſuæ *Phil. III. 9.* quæ eſt ex lege. Unde conficitur, iuſtitiam *propriam* in negotio iuſtificationis penitus excludi, ſolamque heic valere iuſtitiam *alienam*, iuſtitiam nimirum Chriſti fide adprehenſam, nobisque per fidem a Deo imputatam.

§. XIV. Nec *quinto* prætermittendum heic eſt, quod Chriſtus nos iuſtificet per id, per quod nos liberat a condemnatione legis, eiusdemque poſtulatum in nobis adimplet. Hoc enim innuunt verba gentium apoſtoli, quæ exſtant *Rom. VIII. 3, 4.* atque ita ſe ſe habent: *quod impoſſibile erat legi, ſiquidem viribus erat deſtituta in carne, id Deus praeſtitit ſuo ipſius filio miſſo in forma conſimili carni peccato obnoxiae, & pro peccato condemnavit peccatum in carne, ut poſtulatum illud legis compleatur in nobis* &c. Scilicet iuſtificatione noſtra per legem impoſſibili facta per peccatum, Deus inſigne hocce beneficium in Chriſto nobis reſtituit, qui ſimilis carni peccatrici factus, peccati tamen expers, hoſtiam piacularem ſemet pro nobis obtulit, præſtitaque pleniſſima ſatisfactione *peccatum condemnavit*, h. e. perfecte illud in adſumta carne noſtra expiavit, omnemque eidem vim ademit (2), cum quidem in finem, ut condemnatio peccati in noſtram cedat iuſtificationem, & τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, id eſt, *poſtulatum legis*, quæ & debitam transgreſſionis pœnam, & perfectam obedientiam requirebat, in nobis impleatur, non quidem *inhaerenter*, ſed *imputative*, dum quod Chriſtus fecit & tulit loco noſtro, nobis adſcribitur, quaſi id ipſum præſtitiſſemus, atque hac ratione nos in Chriſto reputamur totum legis poſtulatum adimpleviſſe.

§. XV. Argumentis hactenus adductis adiungimus *ſextum*, ex *ſponſione* Chriſti, cui noſtra inni-

(1) Ita quidem ſentiunt ii, qui ARMINII premunt veſtigia, atque in Belgio *Remonſtrantium* nomine veniunt. Hi enim fidem in iuſtificationis negotio ut opus, (non tamen ut meritorium) conſiderari, ac proprietate ſua naturali obedientiam includere, adſtruere conantur. Erroneam eſſe hancce ſententiam, vel ex eo patet, quia ſic nulla daretur iuſtificatio ſine operibus. Plura hanc in rem alibi dicemus.

(2) Ita verbum κατέκρινε exponit b. BENGELIUS *in gnom.* ad *h. l. p. m. 575.* HEUMANNUS verba apoſtoli ſequentem in modum παρᾳφράζει: *GOtt hat die Sünde, oder die Sünden der Menſchen, verdammet und geſtrafet an dem Fleiſche ſeines Sohnes, das iſt, an deſſen Leibe, welcher vor die Sünder in den Tod dahin gegeben worden.* Vid. eius *Erklärung des neuen Teſtaments, part. VII. p. 291.* ubi & alii interpretes, quos præeuntes heic ſibi habuit HEUMANNUS, laudantur.

innititur iustificatio, deductum. Scilicet Christus non tantum est noster *mediator*, sed & *sponsor*. Hinc & εγγυος *sponsor* dicitur a gentium apostolo, *Ebr. VII. 22.* (1), quoniam summa erga genus humanum misericordia commotus, debitum loco captivorum solvit, pœnamque ab iis promeritam in se suscepit. Quem ad modum vero solutio a sponsore facta pro debitore, in huius commodum vergere haud potest, nisi per *imputationem*, quatenus solutio a vade facta illi ita adplicatur, quasi ab ipso debitore esset præstita; ita cum Christus vadimonium pro nobis suscepserit, & loco nostro solverit, nemo non videt, solutionem ab ipso factam, & λυτρον datum nobis imputari ad plenam absolutionem ab omnibus delictis nostris, hoc est, eodem apud Deum loco haberi, ac si a nobis esset datum. Hocce sensu dicimur *iustificari morte ac sanguine Christi*, *Rom. V. 9.* quia mors Christi cruenta fuit id, cuius intuitu Deus mundum sibi *reconciliavit*, *eis non imputans ipsorum peccata*, *2 Cor. V. 19.* Eodem quoque sensu de Christo dicitur, eundem *factum esse pro nobis peccatum*, immo *exsecrationem*, *ut in eo fieremus iustitia Dei*, utque *benedictio* & vitæ hæreditas ad nos *perveniret*, *2 Cor. V. 21. Gal. III. 13, 14.* quoniam maledictio & pœna peccati, quam nostro loco subiit servator, nobis cedit in benedictionis salutisque causam coram Deo, vi arctissimæ, quæ nobis cum eo intercedit, communionis, per quam ut nostra peccata Christo imputata sunt, ita vicissim eiusdem obedientia & iustitia nobis imputatur.

§. XVI Quum ii, qui in SOCINI castris militant, non tantum veritatem hanc divinitus revelatam penitus negent, sed & gravissimis eandem impetant calumniis, omnino necessarium esse ducimus, ut eandem ab eorum obiectionibus heic vindicemus. Obiiciunt *I) Deum nos ex absoluta misericordia & gratia pro iustis habere, nec proinde dici posse, quod aliqua heic intercedat satisfactio Christi, quae per fidem nobis adplicetur* (1). Verum respondemus 1.) nos quidem *gratia* iustificari, *Rom. III. 24.* non autem *absoluta*, siquidem δια της απολυτρωσεως & δια της πιστεως *v. 25.* iustificamur; 2.) non tantum *misericordiae*, sed & *iustitiae* divinæ heic habendam esse rationem, cui repugnat impunita dimittere peccata; proinde 3.) interventu satisfactionis a Christo præstitæ nos a Deo iustificari. Addimus 4.), argumentum contra nos evibratum in ipsos Socinianos retorqueri posse. Quod si enim Deus ex mera & simplici sua gratia nos iustificat, sponte consequitur, nos per & propter bona opera nostra haud iustificari. Instant quidem SOCINI sectatores, urgentque, *pugnare inter se gratiam Christique meritum*, *nec dici posse*, *nos ex mera gratia iustificari*, *si meritum heic intercedat* (2). Ast in promtu est responsio, hoc equidem verum esse, si meritum intelligatur *proprium*, secus autem se rem habere, si sermo sit de merito *alieno* ex *gratia* imputato. *Gratis* quidem nos Deus salvat, sed *propter Christum*, *illud* misericordiam, *hoc* iustitiam divinam luculenter demonstrat.

§. XVII. Cumprimis *II*) id urget SOCINUS, nullo pacto sustineri posse id, quod vulgo statuitur, *satisfactionem seu iustitiam Christi nobis imputari*. Hoc ipsum ut comprobet, *triplicem* verbi *imputandi* usum commonstrat. „VEL „ enim id nobis imputari dicitur, *quod antea* „ *non habuimus*, & quidem non alium in finem, „ nisi

(1) Equidem & sacerdotes vet. testamenti suo modo erant *sponsores*, siquidem victimarum oblatione præstabant id, quod Deus in ista temporis periodo exigebat ad expiationem peccatorum, *Lev. I. 4. IV. 26. seqq. XVI. 34.* Sed erant duntaxat *sponsores typici*, qui *inserviebant exemplo & umbrae rerum cœlestium*, *Ebr. VIII. 5.* Christus autem est *verus* ille *sponsor*, qui ex pacto cum patre, de quo alibi agitur, omnium peccatorum expiationem in se suscepit.

(1) Vid. SOCINUM *de Christo servatore*, *part. III. cap. 1, 2. oper. tom. II. p. 186. seqq.* quem SMALCIUS, OSTORODUS, VOLKELIUS aliique tanquam ducem gregis heic secuti sunt.

(2) Copiose hoc ostendere annisus est SOCINUS *loco excitato part. III. cap. VI.*

„ nisi ut *iustitiam habeamus*, vel potius *habere*
„ *censeamur*. VEL nobis imputatur id, quod
„ quidem *vere*, sed alium plane in *finem habemus*.
„ Ita verb. grat. peccata nobis imputantur, quæ
„ vere habemus, non ut ipsa habeamus: sed
„ in alium finem; nempe ut puniamur. Pot-
„ est enim fieri, ut peccata habeamus, nec pu-
„ niamur tamen: & sic peccata nostra nobis
„ non imputantur. VEL denique nobis impu-
„ tatur aliquid, quod habemus, sed pro alia re.
„ Ita fides, quamvis sit in nobis, eamque ha-
„ beamus, ideo tamen imputari dicitur, quia
„ pro alia re imputatur, nempe *pro iustitia*,
„ *Rom. IV. 5.* sive, ut græca sonant, & vul-
„ gata atque ERASMI editio habet, *ad iusti-*
„ *tiam*, quod idem est, ac fidem nostram no-
„ bis *iustitiae* loco duci „. Hisce præmissis
ostendere conatur SOCINUS, nullo sensu dici
posse, *satisfactionem* Christi nobis imputari.
„ Non *primo*, quia satisfactionem istam ante
„ ejusdem imputationem iam habemus: immo
„ si eam non haberemus, ea ne esset quidem,
„ atque ita imputari haud posset; & post im-
„ putationem non eam quidem habere existima-
„ mur: sed vere & proprie habemus, eo vide-
„ licet sensu, quod vere & proprie pro nobis
„ fuerit satisfactum. Nec *secundo* sensu satis-
„ factionem Christi nobis imputari, ea enim,
„ quæ aliquis iam habet, & ei in alium finem
„ imputantur, eius esse generis, ut effectum &
„ finem illum alioquin non necessario sint habi-
„ tura, sed fieri iure possit, ut illo careant. At
„ vero si satisfactionem Christi re ipsa habemus,
„ fieri nullo modo posse, quin iustificemur: &
„ sic iustificationis nostræ effectus eam satisfa-
„ factionem consequatur. *Iustificari* enim re ipsa
„ nihil aliud esse, quam a peccatis absolvi & pro
„ iusto haberi. Verum non posse non illum a
„ peccatis absolvi & pro iusto reputari, pro cu-
„ ius peccatis plenissime satisfactum est, & in
„ quo omnia penitus delicta sunt deleta. De-
„ nique nec *tertio* sensu *imputandi* verbum usur-
„ pari heic posse existimat SOCINUS, quoniam
„ alias ipsa *fides* haberetur pro iustitia, cum ta-
„ men non *fides*, sed potius *Christi satisfactio*,
„ aut ipsa sit iustitia, aut certe eam vere in se
„ contineat. Deletis enim per satisfactionem &
„ plane obliteratis omnibus peccatis nostris, nos
„ vere iustos esse „. Atque huc fere redeunt ea,
quæ magna dictionis copia hanc in rem disseruit
SOCINUS (1), nosque in brevem dictionis
nervum constringere adlaboravimus.

§. XVIII. Quisnam vero ex variis istis *imputandi modis* a SOCINO adductis heic sit adoptandus, ex iis, quæ supra (§. X. n. (2) hanc in rem diximus, facile liquet. Scilicet *satisfactio* Christi, seu eius *obedientia* tam *activa*, quam *passiva*, revera *primo* illo modo nobis imputatur, quo id nobis *imputari* dicitur, *quod antea non habuimus*. Certe non habemus satisfactionem, quæ a nobismet ipsis sit præstita. Opus itaque nobis est satisfactione *aliena*, seu Christi, quæ ita nobis imputari debet, ac si nosmet ipsi eandem præstitissemus. Ante imputationem illa *nostra* non est, siquidem nonnisi per imputationem *nostra* fieri potest. Deus quippe sola sua benignitate, propitioque favore inductus, perfectissimam Christi obedientiam credentibus imputat. Qua quidem ratione iustitia Christi recte *nostra iustitia* dicitur, seu *Christus nobis a Deo factus iustitia* 1 *Cor. I. 30. Ier. XXIII. 6.* Ineptum proinde est, quando regerit SOCINUS, nos *satisfactionem Christi*, utpote iam dudum factam, *ante imputationem iam habere*. Impossibile enim est, rem alienam, qualis est satisfactio atque iustitia Christi, in nostram transire posse, nisi accedat imputatio. Falsum quoque est, quando ait SOCINUS, imputationem vel eapropter minus esse necessariam, quia *satisfactio Christi aut ipsa sit iustitia, aut certe eam in se contineat*. Confundit enim SOCINUS iustitiam *absolute* spectatam cum iustitia, quatenus in ordine *ad nos* consideratur. Equidem satis-

(1) Vid. eiusdem librum sæpius iam a nobis excitatum *de Christo servatore, part. IV. cap. II. oper. tom. II. p. 214. seqq.*

(2) Vid. supra §. X. *not.* (2). *p. 28.*

factio *absolute* & *in se* considerata continet iustitiam, immo est ipsa iustitia; verum respectu *nostri* tum demum evadit iustitia nostraque esse censetur, quando nobis per fidem imputatur.

§. XIX. Sed pergunt SOCINI adsecłæ & *III.*) obiiciunt, *satisfactionem* Christi eam ob rationem *imputari nobis haud posse*, quoniam communis christianorum de satisfactione doctrina nec *expresse* & totidem verbis in scripturis traditur, nec *verbis aequipollentibus*, sed inter cerebri humani figmenta sit referenda. Nullibi in sanctioribus litteris legi, Christum pro nobis *satisfeciisse*, omnem pœnam iustitiæ divinæ pro nobis persolvisse, nostra peccata in se ut vadem derivasse, & quæ sunt alia huius generis plura, quæ *satisfactioni* respondent (1). Urgent *IV*) & hoc, *Deum de iure suo remittere, & peccata nostra condonare posse, nulla vera pro ipsis a quoquam satisfactione accepta.* Id quod sequentem in modum comprobare adnituntur: *Peccata nostra*, inquiunt, *nil aliud sunt, quam offensae maiestatis divinae, & debita quaedam, quae cum Deo contrahimus. Sic enim in sacris litteris adpellari solent. Atqui nemo est, qui iniurias sibi illatas, debitaque secum contracta summo iure condonare & remittere non queat, nulla vera pro ipsis satisfactione accepta. Ideo nisi velimus Deo minus concedere, quam hominibus ipsis concedatur, confitendum omnino est, Deum iure potuisse nobis peccata nostra ignoscere, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta* (2). Ad bina hæc dubia, quæ veritati satisfactionis Christi opponuntur a dissentientibus, figillatim iam respondebimus.

§. XX. Quod ad *primum* attinet, paucis respondemus, oppido falli Socinianos, quando obtendunt, doctrinam de satisfactionis Christi veritate in scripturis sanctioribus haud tradi. Licet enim, quod facile largimur, in iisdem haud exstet *explicite*, ut loquuntur, totidemque verbis; exstat tamen in iis *implicite*, siquidem consecutione necessaria, proxima atque evidenti, e scripturis divinis colligi potest. Quando enim verb. gr. disertis verbis dicitur: Christum *a maledictione legis nos redemisse*, ipsumque *factum pro nobis maledictionem*, nonne hoc idem est, ac si diceretur, eundem loco nostro satisfeciisse, pœnasque, quas propter peccatum commeriti eramus, in se suscepisse? Porro, quando dicitur, Christum se dedisse ἀντίλυτρον *pro nobis*, eundem *proprio sanguine* nos redemisse, nosque habere ἱλασμὸν *in eius sanguine*, nonne exinde colligere licet, Christum pretium illud, quod iustitiæ divinæ debebatur, pro nobis solvisse, &, surrogatione sui in nostrum locum facta, ut in sacrificiis vet. testamenti fieri solebat, nostram procurasse redemtionem? Possemus hisce scripturæ divinioris oraculis alia adiungere, quibus, per legitimam consequentiam exinde deductam, doctrina de veritate satisfactionis a Christo præstitæ luculenter comprobari potest. Ast nolumus cumulare scripturæ loca, atque ea, quæ ab aliis hanc in rem scripta sunt (3), præter necessitatem hoc repetere. Duo duntaxat, antequam ad

(1) Hanc obiectionem inprimis urget CHRISTOPH. OSTORODUS in libro supra iam adlegato, cui index: *Unterrichtung von den vornehmsten hauptpuncten der christlichen Religion &c. cap. XXXV.* Add. *catechism. Racovienss. c. VIII. de morte Christi, quæst. 390. p. 740.* edit. OEDERI, ubi hæc leguntur verba: *istius opinionis* (nostram intelligit) *asserlores nunquam perspicuas scripturas adferunt, ad probandam istam opinionem, verum quasdam consecutiones nectunt, quibus, quod adserunt, efficere conantur, quas, ut admittere aequum est, cum ex scripturis necessario adstruuntur, ita, ubi scripturis repugnant, eas nullam vim habere certum est.*

(2) Sunt hæc verba SOCINI in *prælect. theolog. cap. XVI. oper. tom. I. p. 566.*

(3) Peculiares de satisfactione Christi tractatus ediderunt HUGO GROTIUS, ANDREAS ESSENIUS, FRANC. TURRETTINUS, EDMUND. STILLINGFLEETUS, JO. FRID. STEINIUS, aliique. In academiis quoque de hocce argumento disputarunt GERHARDUS, HÜLSEMANNUS, CALOVIUS, DANNHAUERUS, BECKMANNUS, NIEMANNUS, JO. SCHMIDIUS, QUENSTEDIUS, AUG. BALTHASAR, JO. AND. SCHMIDIUS, HOEPFNERUS, PHIL. MÜL-

ad alia progrediamur, paucis adhuc notamus. *Primum* hoc est: hypothesin Socinianorum, omnes phrases terminosque, explicationi veritatum divinarum inservientes, in scripturis debere esse expressas, ita esse comparatam, ut multos articulos ipsius religionis Socinianae penitus subruat. Cadunt enim hac ratione, quaecunque SOCINI adsectae de Christi redemtione metaphorica, de voce *acceptilationis*, qua in dogmate de iustificatione haud raro utuntur, de raptu Christi in coelum, quem eo tempore contigisse VAL. SMALCIUS fingit, cum Christus ieiunus in deserto degeret, aliisque doctrinae suae capitibus tradunt, de quibus profecto nec vola, nec vestigium in scriptura deprehenditur. *Alterum* huc redit: si vel maxime doctrina de satisfactione Christi totidem syllabis legeretur in sanctioribus tabulis, ne sic quidem satisfieri posse impietati Socinianorum, qui scripturae effata parum curant, vocemque *satisfactionis* procul dubio iisdem sophisticationibus enervare haud dubitarent, quibus alias loquendi formulas in scripturis usitatas, verb. grat. το απολυτρουν, απολυτρωσιν, ιλασμον, καταραν in alienum plane sensum detorserunt. Nec quisquam hac de re dubitaverit, qui consideraverit, non puduisse SOCINUM impia haec verba proferre: *Si vel unus saltim locus inveniretur, in quo satisfactionis pro peccatis nostris Deo per Christum exhibitae mentio fieret, excusanda fortasse viderentur. Ego quidem etiamsi non semel, sed saepe in sacris monimentis scriptum exstaret, non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem* (2).

§. XXI. Nec altera obiectio, quam Socciani magno cum adparatu proferunt, eorum causae quidquam adfert praesidii. Nam 1) aliud est *ius*, aliud *iustitia* Dei. *Illud* potestas est, *haec* virtus; nec si de *iure* remittere posset Deus, idem statim liceret vi *iustitiae* & sanctitatis suae. Potestas eousque duntaxat se extendit, quousque iustitiae sanctitatisque divinae ratio id permittit. At si peccatum non sequeretur poena, peccato debita, gloria iustitiae sanctitatisque divinae obscuraretur. Sola enim poena declarare potest Deus, se peccatum infinite adversari & odisse. 2) Ipsius *iuris* variae dantur species. Aliud est ius *privatum*, aliud ius *publicum*; de *illo* cedere quis potest, de *hoc* non item. Porro, aliud est ius *domini*, aliud ius *iudicis*; *illud* quadantenus in certis circumstantiis remitti, nihil obstat, siquidem ea est dominii natura, ut eo possis uti, vel non uti, pro lubitu. Aut aliter se res habet cum iure *indicis*, siquidem heic non privata duntaxat res agitur, sed bonum societatis publicum. Iam vero Deus heic non simpliciter spectandus est ut *dominus*, vel *privatus*, sed ut supremus *iudex*, qui boni publici rector, legumque a se latarum custos ac vindex est. 3) Alia est ratio hominis, alia Dei. Homo ab altero laesus, si personam publicam haud sustinet, potest, immo debet condonare offensas, quia *eius non est vindicta*, *Prov. XX. 22. Rom. XII. 19.* sed *Dei*, *Deuter. XXXII. 35.* cui vindictam homo committere tenetur. Possunt quoque principes gratiam facere eorum delictorum, quae, absque iniuria boni publici, condonari possunt. Verum, si respiciamus ad Deum, res aliter se habet. Is enim est gubernator totius universi, qui cuncta regere ac disponere debet in gloriae suae manifestationem, tanquam finem suum ultimum, iustitiaeque tribunal, quod insidet, se ipsum abnegando, deserere nequit. Unde Christum ιλαστηριον per fidem in ipsius sanguine, εις ενδειξιν της δικαιοσυνης αυτου, *ut suam demonstraret iustitiam*, propter remissionem peccatorum proposuit, *Rom. III. 25.* Atque ex his 4) facile patet, ratiocinium Socinianorum prorsus esse ficulneum, quando ita argumentantur: *Nemo est, qui iniurias sibi illatas & debita condonare nequeat,*

MÜLLERUS, MAIERUS, FOERTSCHIUS, KAMBACHIUS, ac complures alii, excitati a b. cancell. PFAFFIO in *introduct. in histor. theolog. litterariam part. I. p. 358.* & celeberr. Jenensium theologo, JO. GE. WALCHIO in *der Einleitung in die dogmatische Gottesgel. p. 623. seqq.*

(2) Exstant haec verba apud SOCINUM *libr III. de Iesu Christo servatore, cap. II.*

queat, sine interveniente satisfactione. Ergo & Deus idem facere potest respectu peccatorum nostrorum. Scilicet hæc sequela longe est falsissima. Licet enim peccata nostra rationem læsionum ac *debitorum* quodammodo habeant, hocque nomine in scripturis sanctioribus subinde insigniantur, alia tamen, ut modo observavimus, ratio hominis, alia Dei est. Deus enim personam iudicis gerit, hancque ob rationem iniuriam sibi ab aliis illatam absque pœna æque condonare nequit, ac homo quidam privatus. Addimus 5) & hoc, a debito *proprie* sic dicto ad debitum *improprie* ac *figurate* dictum, quale est peccatum, nullam legitimam necti posse consequentiam, cum utriusque non par sit ratio, neque adeo a qualitate debiti *pecuniarii* ad qualitatem *delicti* liceat argumentari. Debita pecuniaria *liberalitas* remittit, delicta vero condonare res *gratiae* est ac *misericordiae*. *Illa*, illæsa iustitia, simplici liberalitate ac munificentia condonari possunt. *Haec*, cum iustitia id impediat, *Prov. XVII. 15.* sine satisfactione remitti nequeunt.

§. XXII. Mittimus alia, quæ de satisfactionis Christi veritate copiosius dici heic possent, atque ad reliquas, quæ a Socinianis contra nostram de iustificatione doctrinam moveri alias solent, obiectiones diluendas nos convertimus. Urgent ii *V*) stante satisfactionis dogmate, nulla opus esse imputatione, quæ fit per fidem. *Si enim*, ita arguunt, *Christus pro peccatis nostris satisfecit, annon hoc satis superque est, ut peccata nostra deleantur? Quid igitur opus est, ut nos ipsi praeterea pro illis satisfeciisse censeamur? --- Si quis pro alio aliquid solverit, iam ille, pro quo solutum fuit, liberatus est: nec opus est praeterea, ut ipsemet illud solvisse existimetur* (1). *Resp.* non sufficit, Christum pro nobis satisfeciisse, adeoque nostra solvisse debita, æternamque nactum esse redemtionem, *Ebr. IX. 12.* sed opus insuper est, ex ordine a Deo nobis præscripto, ut insigne hoc, quod nobis offertur, beneficium acceptemus, nobisque adplicemus, id quod per fidem fit. Hinc & fides ab omnibus, qui ex summa, qua circumsepti sunt, miseria eluctari, atque æternam salutem consequi volunt, requiritur. *Marc. XVI. 16. Joan. III. 15, 16, 17, 18, 36. Rom. III. 25. &c.* Instat equidem Socinus, & porro obiicit: *Nulla adplicatione opus est, si iam ante ipsam adplicationem Christus pro peccatis nostris vere satisfecit. Id adplicari potest, quod adhuc haud habemus, & ex cuius adplicatione aliquis effectus in nos proficiscitur, qui antea non erat. Atqui, si iam satisfactum est, satisfactionem iam habemus, nec alius ex adplicatione effectus in nos derivari potest, nisi quod pro nobis sit satisfactum, unde iustificemur, qui effectus iam antea exstabat* (2). Ast supra (§. XVIII.) iam observavimus, nos satisfactionem Christi quidem habere, quatenus ea a Christo revera fuit præstita, sed eandem non habere ut *nostram*, antequam nostra fiat per imputationem. Ut vero imputari nobis queat, necesse est, ut iam per fidem, quæ satisfactionem Christi in individuo nobis adplicat, *Gal. II. 20.* nostra facta sit. Atque ex hac adplicatione novus in nos derivatur effectus, nimirum satisfactionis, pro nobis præstitæ, fructus isque prorsus eximius, qui est nostra coram Deo iustificatio, quam antea haud habebamus. Reliquas instantias, quas heic urget Socinus, brevitatis studio prætermittimus (3).

§. XXIII. Illud quoque *VI.*) nobis obiiciunt Socinus eiusdemque adsectæ, *enunciatum istud*, Christi satisfactionem per fidem nobis imputari, *aut se ipsum destruere, aut certe perquam absurdam sententiam continere. Etenim* (ita pergit Socinus) *nisi nobis ea credenda sunt, quae non sunt vera, & nisi Deus eiusmodi fidem a nobis requirit, quae falsa credat, necesse est, antequam istam fidem habeamus, vere pro nobis iam satisfactum esse. Vere inquam, i. e. re ipsa:* &

(1) Vide Socinum in libro sæpius iam adlegato *de Christo servatore, part. IV. cap. II. oper. tom. II. fol. 216.*

(2) Vid. *loco excitato.*

(3) Confutavit easdem Scherzerus in *colleg. anti-Socin. disp. LXXX. p. 707. edit. tertiae.*

& sic non sub aliqua conditione, nimirum, si id ipsum crediderimus. Alioqui non simpliciter nobis credendum esset, satisfactum esse: sed ita demum, si id ipsum credimus. Quamquam se ipsam destruit ista conditio. Nam profecto, cum illud explicandum fuerit, quod credendum est: nisi in infinitum progredi velimus, id nihil aliud erit, quam, simpliciter satisfactum fuisse. Sed simpliciter satisfactum fuisse, &, fuisse satisfactum sub conditione, adeo pugnantia sunt, ut alterum ab altero necessario tollatur. Si credendum esset, non quidem satisfactum fuisse, sed id fuisse datum, quod satisfaciendi vim habeat, posset ista credendi conditio locum habere, quae, antequam impleatur, actum ipsum satisfactionis iam perfectum esse non arguit, ut altera illa facit. Id quod cum conditionis natura omnino pugnat. Sed, cum, iam satisfactum fuisse, credere debeamus, nulli conditioni est locus; &, iam satisfactionis actum perfectum fuisse, prorsus necesse est. Pugnantia igitur omnino loquitur enunciatum istud. Dum enim dicit, credendum esse, Christum pro peccatis nostris satisfeciss: iam, antequam credamus, re ipsa pro nobis satisfactum fuisse, aperte adfirmat. Dum vero dicit, per istam fidem nobis satisfactionem istam tribui, satisfactum re ipsa pro nobis fuisse, antequam credamus, non minus aperte negat. Verum, quae magna dictionis copia in medium huic protulit SOCINUS, opera haud difficili dilui queunt, si probe observemus, distinguendum huic esse inter *adquisitionem* & ipsam *adplicationem* salutis; *illa* fidem antecedit, *haec* vero nonnisi per fidem contingit. Satisfecit utique Christus pro hominum delictis, nobisque liberationem ab imputatione pariter ac servitute peccati *adquisivit*, antequam credamus. Ast satisfactio ista a Christo praestita nobis prodesse nequit, nisi per fidem nobis *adplicetur*. Haec enim est instrumentum atque organon, quo beneficium a Deo nobis oblatum acceptamus. Illustrabimus rem exemplo e sanctioribus litteris desumto: Cyrus, rex persarum, singulari edicto omnibus Judaeis in captivitate Babylonica detentis, in patriam redeundi concessit facultatem (1.) Nec tamen haec ab omnibus fuit acceptata (2), forte quod nonnulli ad possessiones, quas in terra captivitatis suae sibi comparaverant, relinquendas, statim inducere animum non potuerunt; ut coniicit FLAV. JOSEPHUS. Libertatem itaque habuerunt, antequam eandem acceptarent; nec tamen ea aliis profuit, inque iis suum sortita est effectum, nisi in illis, qui eandem acceptarunt. Eadem ratione res se se habet cum satisfactione Christi vicaria, quae in eorum duntaxat cedit utilitatem, qui eandem fide adprehendunt sibique adplicant. Vid. *Ioan. III. 16. Rom. X. 9, 10. Act. X. 43. XIII. 39. Deinde* & hoc notamus, ad fidem iustificantem ac salvantem haud sufficere, ut quis *simpliciter* credat, *satisfactum esse*, ut SOCINUS perperam supponit; eiusmodi enim fides, quae est nudi adsensus, in diabolos etiam cadit; *Iac. II. 19.* sed ad fidem iustificantem requiri fiducialem adprehensionem meriti Christi, *Gal. II. 20.* Nec est, quod cum SOCINO porro obiicias, *nihil absurdius excogitari posse, quam alicui beneficium dari, si credat sibi beneficium datum esse*; licet enim ad beneficii *veritatem* haud requiratur, ut id credam, ad eiusdem tamen *effectum* necesse est, ut fide illud mihi adplicem, illud acceptem, meumque veluti faciam, siquidem invito beneficium non datur. Christus quidem pro omnibus omnium & singulorum hominum peccatis, quantumvis multis, & gravitate atrocibus, plenissime satisfecit; nec tamen omnibus prodest ista satisfactio, quia multi, immo plurimi, fide destituuntur, ac redemtionem a Christo praestitam reiiciunt repudiantque.

§. XXIV.

(1) *Esdr. I. 3. seqq. 2 Paral. XXXVI. 22.*

(2) Vid. JOSEPHUM *libr. VI. antiq. iud. libr. XI. cap. I.* Idem quoque observavit SULPITIUS SEVERUS *libr. II. cap. VIII.* ubi haec leguntur verba: *Itaque pauci tum in Iudaeam regressi, ceteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus.*

§. XXIV. Denique *VII.)* hoc quoque tum dogmati de satisfactione Christi, tum doctrinæ de imputatione iustitiæ Christi obiiciunt SOCINUS eiusdemque sectatores, quod binæ istæ christianorum sententiæ studium pietatis inhibeant, hominesque ad carnalem securitatem vitæque improbitatem seducant, siquidem *in salutis nostrae a nobis excogitata ratione, non, ut nos vere in nobis ipsis pii simus, requiratur: sed satis sit, Christi satisfactionem per fidem nobis imputari* (1). Respondemus, idem hoc esse sophisma, quod gentium apostolo iam olim fuit obiectum: *Peccabimus, quoniam non sub lege sumus, sed sub gratia? Rom. VI. 15.* Quam vero concludendi rationem negat ac pernegat vir divinus: *absit*, inquit *loc. cit. vers. 18. peccato enim liberati, mancipati estis iustitiae.* Eum scilicet in finem per Christum *liberati sumus a peccato*, ut eidem nuncium mittamus, nec *peccato* amplius, *Rom. VI. 18.* sed Christo *serviamus, in sanctitate & iustitia, in ipsius conspectu, toto vitae nostrae tempore, Luc. I. 75.* A quocunque enim redimimur, illi ipso *redemtionis iure* ad serviendum atque obsequendum sumus obstricti. Quo argumentandi genere non tantum Zacharias *loc. cit.* usus olim est, sed & apostolus Paulus *1 Cor. VI. 19, 20.* ubi hæc leguntur verba: *redemti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro & spiritu vestro, quae sunt Dei.* Nec illud prætermittendum heic est, optimum servatorem nostrum non eum duntaxat in finem mortuum esse, ut *pro nobis satisfaceret*, sed etiam ut *nos sanctificaret*, ac sectatores bonorum operum redderet, *exemplar* nobis relinquendo, *ut subsequamur vestigia ipsius, 1 Petr. II. 21. Tit. II. 14.* Tantum itaque abest, ut ex positione *satisfactionis* a Christo præstitæ argutari quis possit ad negationem *obedientiae* Deo ac servatori Christo debitæ, ut potius duo ista amicissime conspirent, atque individuo nexu inter se copulentur. Posita enim satisfactione, quam Christus pro nobis præstitit, opus omnino est veræ sanctitatis studio bonisque operibus, non eum quidem in finem, ut vitam mereamur sempiternam, (hoc enim sensu a negotio salutis, tanquam opposita gratiæ ac merito Christi, removentur opera, *Rom. IX. 6. Eph. II 7, 8.*) sed ut salutis a Christo adquisitæ possessionem adeamus. Idem, quod de satisfactione Christi diximus, de eiusdem quoque *imputatione*, quæ fit per *fidem*, recte adseritur. Fidei enim comes indivulsa est seria resipiscentia, fructus certus, caritas pietatisque studium *Gal. V. 6.* Per *fidem* reconciliati Deo, accipimus vires, præceptis Dei obsequendi, vitamque nostram ad præscriptum voluntatis divinæ conformandi. Unde & Petrus pronunciat, Deum animas nostras *fide purgare*, *Act. XV. 9.* quod & Paulus suo confirmat suffragio, quando ait, *sanguinem Christi* profusum nobisque per fidem adplicatum *emundare conscientiam* nostram *a mortuis operibus, ut viventem colamus Deum, Ebr. IX. 14.* Fide itaque, quæ non otiosa quædam de Christo rebusque divinis idea est, sed divina quædam lux, quæ mediante Spiritu sancto nobis infunditur, non tantum iusti declaramur, inque gratiam Dei recipimur; sed &, ubi fides illa augmenta sua capit, sanctificamur & purificamur; ubi denique illa usque ad mortem

(1) Sunt hæc verba SOCINI *de Christo servatore, part. IV. cap. I.* oper. tom. II. f. 214. Idem *loc. cit. part. III. cap. XI. p. 212.* disertis verbis scribit: *omne pietatis studium frigescere atque exstingui: dum putant homines, iam re ipsa se iustos esse, quia scilicet omnium suorum peccatorum poenae universae iustitiae divinae persolutae fuerint.* Add. *catech. Racov. cap. VIII. de morte Christi, quaest. 393. p. 762.* edit. OEDERI, ubi ad quæstionem: *Credo etiam, qui haec opinio est perniciosa?* sequentem in modum respondetur: *Ad eum modum, quod hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut certe ad socordiam in pietate colenda eos invitet. Scriptura vero restatur, eum inter alios etiam Christi mortis finem esse, ut redimeremur ab omni iniquitate, ex hoc seculo nequam eriperemur & redimeremur ex vana conversatione a patribus tradita, & mundaremur conscientia a mortuis operibus ad serviendum Deo viventi. Tit. II. 14. Gal. I. 4. 1 Petr. I. 18. Ebr. IX. 14.*

tem noſtram perdurat, ſalvamur beatæque addicimur æternitati. Finis enim *fidei* eſt *ſalus animorum* noſtrorum æterna, *1 Petr. I. 9.*

§. XXV. Supereſt, ut quartam, quæ nobis cum Socinianis intercedit controverſiam, paucis diſcutiamus. Cardo huius controverſiæ in eo vertitur: an doctrina *de iuſtificatione per fidem in veteri teſtamento iam fuerit revelata?* itemque, *num ii, qui tempore vet. teſtamenti coram Deo iuſti ſunt habiti, eapropter pro talibus fuerint declarati, quod, ſicut nos in Chriſtum iam exhibitum, ſic ipſi in eundem, quem exhibitum iri ſperabant, omnino crediderint? an vero haec iuſtificandi ratio olim prorſus fuerit ignota, veteriſque teſtamenti fideles diverſo plane modo fuerint iuſtificati, ac quidem ii, qui in novo teſtamento iuſtificantur? Prius* affirmant purioris doctrinæ magiſtri. Licet enim facile largiantur, differentiam ratione *gradus & modi patefactionis* inter vetus novumque teſtamentum intercedere; inque novo fœdere promiſſiones evangelicas clarius fuiſſe propoſitas; unum tamen idemque quoad *rem* ipſam in utroque teſtamento evangelium fuiſſe revelatum, diſertis verbis docent. Aſt *poſteriorem* ſententiam amplectuntur ii, qui Socinianorum partibus ſunt addicti, contenduntque, eam iuſtificandi rationem, quæ fit per fidem, olim fuiſſe ignotam, ac *demum per Chriſtum orbi terrarum manifeſtatam, promulgatam atque adnunciatam* (1). Oſtendendum igitur nobis eſt, fidem patriarcharum veterumque Iſraëlitarum, qua iuſtificationem nacti ſunt, pariter in Chriſto hominum redemtore fuiſſe poſitam, ac eorum, qui poſt adventum Chriſti vixerunt, neque adeo aliam nunc eſſe iuſtitiam obtinendi rationem, ac quidem ea fuit, quæ ſub veteri teſtamento obtinuit.

§. XXVI. Comprobamus vero hancce veritatem *primo* ex propheticis concionibus de iuſtificatione per fidem obtinenda. Talis habetur *Eſai. LIII. 11.* ubi dicitur: *Iuſtus ipſe ſervus meus* (i. e. Meſſias) *iuſtos reddet multos cognitione ſui*; i. e. fide, quæ ſola nos iuſtificat. Nec alium ſenſum quærendum heic eſſe, verba immediate ſubſequentia clare ſatis oſtendunt, quando additur: *eorumque crimina feret*, ut deſignetur ſatisfactio Chriſti, quam fides amplecti debet, ſi coram Deo iuſtificari velimus. Adiungimus huic effato aliud, quod exſtat *Jerem. XXIII. 6.* ubi Meſſias adpellatur *Jehova iuſtitia noſtra*, quod ſane non aliter intelligi poteſt, quam quod *iuſtitia Chriſti*, fide adprehenſa, in actu iuſtificationis pro *noſtra* reputetur, ſiquidem Chriſtus, generis humani redemtor, pœnas pro nobis dederit, legemque divinam impleverit. Cumprimis huc pertinet oraculum ſacrum *Hab. II. 4.* exſtans: *iuſtus ex fide ſua vivet* (2), ubi το יחיה *vivet*, non eſt *futurum* nude *praedicens*, prout quidem exiſtimat VOLKELIUS,

(1) Sunt hæc verba IO. VOLKELII *libr. IV. de verit. relig. chriſt. cap. III. fol. 182.* Reliqua Socinianorum loca, quæ huc ſpectant, ſupra §. *I. not.* (§) *pag. 320.* recitavimus. Cumprimis notanda heic ſunt verba *catech. Racov. cap. XI. de iuſtif. p. 534.* edit. OEDERI exſtantia, ac ſupra *loc. cit.* a nobis recitata. Ex iis enim patet, Socinianos ſtatuere, iuſtificationem quidem in veteri teſtamento *ob fidem* in CHRISTUM, qualem ipſi ſtatuunt, obtigiſſe, quem ad modum in novo fœdere; ſed eandem factam olim fuiſſe *ob fidem* in DEUM; cum Meſſias, ut Filius Dei, ex ipſorum hypotheſi, tum temporis nondum exſtiterit, nec iſta vet. teſt. œconomia habuerit promiſſiones de beata immortalitate.

(2) Hæc verba b. ZELTNERUS in *bibliis* ſuis *gloſſatis* ad h. l. ita exponit: *Wer durch ſeinen Glauben an Chriſtum gerecht ſeyn, und alſo an die Gerechtigkeit im Glauben ſich halten wird, der ſoll und wird geiſtlich und ewig leben.* Conferenda, quæ de hocce oraculo ſacro differit b. GERHARDUS *locor. theolog. tom. VII. loc. XVII. cap. III. ſect. II. §. 122. p. 157. ſeqq.* Iungi meretur CALOVIUS in *bibliis illuſtratis vet. teſt. ad h. l. tom. II. p. 886.* Illorum expoſitionem, qui exiſtimant, vaticinium hocce propheticum reſpicere etiam beneficium temporale, liberationem nimirum e captivitate Babylonica, quam interventu fidei promiſſionis divinæ obtinere debeant Iudæi, cum explicatione Pauliana *Ebr. X. 38.* ita nonnulli conciliare adnituntur

KELIUS, Socinianorum partibus addictus, sed *imperans*, sive futurum *praecepti* ac *debiti*, uti futura decalogi: *non occides, non mœchaberis, non furtum facies* &c. In Christum itaque credendum inque fide perseverandum est, si quis vitam beatam obtinere velit. Ita certe locum hunc explicat gentium apostolus *Rom. I. 17.* qui & eundem repetit *Gal. III. 11.* itemque *Ebr. X. 38.* Atque hoc ipsum præceptum semper viguit, non in novo duntaxat, sed & veteri testamento, omnesque obligat, qui salutis æternæ fieri volunt compotes. Quemadmodum enim præceptum illud in fœdere legali: *homo, qui iussa præstiterit, victurus est per ea, Lev. XVIII. 5. Rom. X. 5.* universale fuit: ita & alterum præceptum in fœdere evangelico comprehensum: *iustus fide sua vivet*, universalem habet obligationem, semperque in veteri testamento viguit. Concionibus hisce propheticis, quas modo adduximus, iungi possunt *constitutiones Leviticae*, itidem fœdere divino comprehensæ Christumque adumbrantes, quibus *peccatorum remissio* olim promittebatur, quæ in *sacrificiis*, tanquam visibili quadam concione, proponebatur.

§. XXVII. *Alterum* argumentorum genus, quo veritas hæc uberius comprobari potest, nobis suppeditant oracula nonnulla apostolorum, libris novi fœderis comprehensa. Hæc enim nos condocent, non aliam esse rationem peccatorum remissionem salutemque æternam consequendi, quam *fidem* in redemtorem universi *Act. IV. 12.* & per *gratiam Christi* æque servari fideles novi fœderis, ac patres, qui veteris testamenti vixerunt temporibus *Act. XV. 11.* (1) item-

tur, ut dicant, sententiam prophetæ *generalem* de fide promissionum Dei recte a Paulo adplicari *specialiter* ad *fidem in Christum*, cum prophetæ pitque Iudæi promissionem Messiæ, tanquam fundamentum omnium promissionum, respexerint. Vid. FRANC. TURRETTINUM in *institut. theolog. elenct. part. II. loc. XVI. §. XII. p. 742.* & ex nostris IO. SCHMIDIVM in *comment. in prophetas minores p. 1089. seqq.* Verum malumus in recepta atque ab ipso apostolo Paulo adoptata expositione heic subsistere, ac dicere, scopum vatis esse docere, fidem solam, & quidem eam, quæ nititur verbo evangelii, *Rom. I. 17.* esse medium obtinendæ salutis, tum temporalis, tum spiritualis.

(1) Verba apostoli Petri, quæ *loco* supra *adlegato* leguntur, ita se se habent: *nos per domini nostri Jesu Christi gratiam servari credimus, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι, quemadmodum & illi.* Secundum communem interpretum sententiam vox κἀκεῖνοι, quæ heic occurrit, referenda est ad patres veteris testamenti, recteque inde concluditur, eandem in veteri novoque testamento obtinuisse, & adhuc obtinere salvandi rationem. Hancce interpretationem ex antiquissimis cœtus christiani doctoribus suo calculo adprobavit AUGUSTINUS, Hipponensium præsul, *contra duas epist. Pelag. libr. I. cap. XXI.* cuius vestigia & alii sunt secuti; ex quibus MARTIN. CHEMNITIUM, *loc. theol. part. II. de iustif. membr. I. sect. V. p. 228. seqq.* STEGMANNUM *photinianismi disp. XXXII. qu. 1, 2, 3.* THUMMIUM in *impietate photinianismi in art. de fide, p. 410.* & *de iustif. err. 2. p. 507.* HIMMELIUM *photinianism. disp. XIII. th. 25. 41.* SCHERZERUM in *collegio Anti-Socin. disp. LXXVIII. p. 682. seqq. edit. tertiæ*, QUENSTEDIUM in *system. theolog. part. I. p. 35, 36.* atque ex recentioribus GE. LUD. OEDERUM, in *notis ad catech. Racov. p. 938, 939* nominasse sufficiat. Ut singulares dissertationes, a GEORG. LEHMANNO, ABRAH. CALOVIO, JO. MEISNERO, JO. ERN. GERHARDO, JO. FECHTIO. aliisque in lucem publicam editas, haud memoremus. Discedunt tamen ab hac sententia SOCINUS eiusdemque sectatores, contenduntque, vocem κἀκεῖνοι non ad patres vet. testam. sed ad gentes nuper conversas referri debere, ac proinde locum hunc Petrinum explicandum esse de apostolis collatis cum gentilibus ad Christi fidem conversis, non vero cum patribus, qui vet. test. tempore vixere. En verba auctoris *catech. Racov. cap. XI. de iustif. quæst. 455. p. 937. edit.* OEDERI. *In eo loco* (Act. XV. 11.) *non habetur vox* patres, *verum eiusmodi oratio:* quem ad modum & illi. *Ea vero vox*, illi, *non refertur ad propiora verba, in quibus patrum fit mentio* (*nec enim de patribus illis erat sermo*) *verum refertur ad verba remotiora, in quibus sermo de gentibus habetur, de quibus proprie agitur, qui superius aliquoties Judæis credentibus opponuntur, prout ipse*

itemque, *unam*, si substantiam spectemus, esse *fidem Eph. IV. 5.* quæ utriusque testamenti fideles in Christo copulet. Unde & *Jesus Christus heri & hodie idem sit, & in secula, Ebr. XIII. 8.* ab omnibus veritatis doctoribus omni tempore prædicatus, ab omnibus creditus, atque a sequuturis quoque, si æternum salvari velint, credendus. Cumprimis huc pertinet integrum *caput XI. epist. ad Ebraeos.* In eo enim fidem ita deprædicat apostolus, ut eidem, quidquid fecerunt acceperuntque veteres, unice acceptum ferat, illorumque exemplum iis, ad quos epistolam hanc exaravit, quin nobis omnibus, imitandum proponat; id quod facere haud potuisset, si fides illa veterum plane diversi fuisset generis ab ea, quæ nobis in libris novi fœderis inculcatur. Idem gentium apostolus *Rom. IV.* ex eo, quod Abrahamus fide iustificatus est *Genes. XV. 6.* nos quoque fide coram Deo iustificari, concludit, quod, nisi utraque fides eiusdem esset conditionis, plane falleret. Nec, quod porro notamus, ulla adparet ratio, cur Abrahamus a sanctissimo, quem modo laudavimus, Christi legato, eximio *patris omnium credentium* elogio fuerit ornatus, *Rom. IV. 11.* nisi in mundi redemtorem, in quem nos credimus, & ipse credidisset. Atque in eadem hac fide *omnes* veteris testamenti patres *mortui sunt*, observante eodem apostolo *Ebr. XI. 13.* inque ea usque ad mortem constanter perseverarunt, *non adepti promissiones*, i. e. ea, quæ promissa erant bona, siquidem nondum erat natus Messias, semen illud benedictum, in quo benedicendæ erant omnes gentes; sed *eminus* tantum promissiones istas *conspicati.* Plura ut hanc in rem addamus, vix opus esse videtur. Nec id moneri necesse est, hoc tantum inter fidelium veteris novique testamenti fidem intercedere discrimen, quod illi in futurum crediderunt Messiam, nos autem in eundem dudum iam exhibitum credimus, &, quod illi paullo obscurius, sufficienter tamen, futura prospexerunt, nos vero clarius ea, quæ iam facta sunt, contuemur; ut supra iam (§. XXV.) innuere cœpimus.

§. XXVIII. Progredimur ad argumenta dissentientium, quibus orthodoxam, quam modo adstruximus, sententiam subruere, atque comprobare annituntur, eam homines iustificandi salvandique rationem, quæ nunc obtinet, in veteri testamento fuisse ignotam, demumque in novo fœdere per Christum promulgatam ac palam adnunciatam esse (1). Provocant *I) generatim* ad scripturam sacram, quæ *nullam prorsus fidei in Christum faciat mentionem, nisi pro*

ipsi Judæi gentibus itidem credentibus, & quæ sunt reliqua. Atque his suffragantur SMALCIUS in *refut. thes. Franzii, disp. IV. p. 96. disp. VI. p. 199.* WOLZOGENIUS, VOLKELIUS aliique, quibus ex ARMINII discipulis CVRCELLÆUS in *instit. relig. christ. libr. VII. cap. VI. p. 454.* iungi meretur. Nec desunt ex nostris theologis, qui eandem huius oraculi expositionem suo adprobarunt calculo. Fecerunt id GEORG. CALIXTUS, in *expositione literali* ad *h. l.* ZELTNERUS, tum in *historia Socinismi p. 847. seqq.* tum in *bibliis glossatis* ad h. l. b. abbas BENGELIUS in *gnom.* ad *h. l. p. 382.* HEUMANNUS in *der Erklærung des neuen Testaments, part. VI. p. 144. seqq.* aliique. Cumprimis notari heic meretur b. HAGMAIERI peculiaris dissertatio Tubing. *MDCCXXXIII.* edita, *quod κακεινοι non sint patres, sed ex gentibus conversi discipuli*, in qua & THUMMIUM sibi in hac expositione præeuntem laudat. Nolumus iam utriusque partis argumenta in medium adducere, eaque sub adcuratius examen revocare. Id enim nimis longum atque ab instituti nostri ratione alienum foret. Hoc unicum adiicimus, nos haud existimare, viris istis doctis, qui ab expositione recepta, ut ut rationibus minime contemnendis suffulta recedunt, alteramque illam, quæ Socinianis arridet, arripiunt, dicam eapropter scribendam esse. Nam, si vel maxime admitteretur, verba gentium apostoli ita explicanda esse, ut volunt SOCINI adseclæ, nihil tamen hac ratione decederet veritati divinæ, quam supra adstruximus, siquidem ea ex aliis sacræ scripturæ testimoniis abunde comprobari potest.

(1) Vid. VOLKELIUM *libr. IV. de ver. relig. christ. cap. III. fol. 181.* & SMALCIUM *contra Frauzium fol. 458.*

pro eo tempore, quo exhibitus iam fuit (2). Adlegare hanc in rem solent locum classicum *Act. IV. 12. non est in ullo alio salus* &c. aiuntque nullam ibidem fieri mentionem *praeteriti*, sed tantum *praesentis: nullum nomen esse: in nullo alio salutem esse;* proinde effatum hocce apostolicum ad novum duntaxat testamentum spectare (3). *Speciatim II)* urgent oraculum sacrum *Joan. I. 17.* ubi dicitur, *legem per Mosen traditam esse, gratiam autem ac veritatem per Jesum Christum factam esse.* Colligunt exinde Sociniani (4), gratiam evangelii non fuisse in veteri testamento patefactam, siquidem *gratia & veritas, quae est ipsum evangelium, per Jesum Christum* demum *facta sit.* Adiungunt *III.)* locum, qui exstat *Rom. III. 21, 22.* ubi hæc leguntur verba: *Nunc absque lege iustitia Dei manifesta facta est, comprobata testimonio legis ac prophetarum. Justitia, inquam, Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt.* Ex quibus verbis patescere arbitrantur Sociniani, NUNC demum (tempore nimirum novi fœderis) *patefactam* esse *fidei iustitiam*, & longe aliam iustificationis rationem olim in veteri testamento fuisse propositam, *iustificationem* nimirum *legis* per opera, cui *iustificatio nova per fidem* contradistinguatur (5). Denique *IV)* caussæ suæ præsidium SOCINI sectatores quærunt in alio effato Paulino *Gal. III. 23.* litteris consignato, ubi dicitur: *antequam venisset fides, sub legis praesidio custodiebamur, conclusi in futuram fidem, quae patefacienda erat.* Ex hocce enim loco firmiter probari posse existimant SOCINI adsectæ (6), fidem in Christum in veteri testamento haud obtinuisse, siquidem ea *venerit sub evangelio, sub quo & revelanda fuerit.*

§. XXIX. Sed facilis est ad singula hæc argumenta responsio. Quod enim ad *I)* attinet, falsissimum est, sacram veteris testamenti scripturam nullam prorsus fidei in Christum facere mentionem. Contrarium enim supra iam luculenter fuit comprobatum. Nec, quod porro notamus, verba *praesentia* semper rem *de praesenti* novam arguunt, sed subinde etiam de iis adhibentur rebus, quæ universaliter veræ sunt, non tantum *de praesenti*, sed & *praeterito.* Quis quæso, quod recte monet SCHERZERUS (7), ferat ita colligentem? Non *est* acceptio personarum apud Deum, *Rom. II. 11.* Non *est* Deus alius, nisi unus, pater ille, a quo omnia & nos in ipso, *1 Cor. VIII. 4, 6.* Per legem *est* agnitio peccati *Rom. III. 20.* lex *iram operatur, Rom. IV. 14.* Justificati pacem *habemus* cum Deo, *cap. V. 1.* Ergo hæ propositiones non *de praeterito*, sed *de praesenti* duntaxat veræ sunt. Ipse certe WOLZOGENIUS, Socinianorum sectæ adscriptus, agnovisse videtur, hanc concludendi rationem haud procedere; unde & *το datum*, *Act. IV. 12.* ita expositit: *nullum est nomen, quod contigerit audiri inter homines.* Non dicit: *contingat*, sed *contigerit.* Contigisset autem olim, si quisquam in alio nomine salutem consecutus fuisset sempiternam. Ad *II.)* ante omnia notamus, in loco adlegato *Joan. I. 17.* haberi oppositionem inter ministerium *Mosis* & *Christi.* Neuter ibidem ut *doctor*, sed uterque ut *mediator* consideratur, *Moses* quidem ut typicus, *Christus* vero ut antitypicus. *Mosi* tribuitur datio legis Sinaiticæ, in toto suo complexu sumtæ, quæ ad prærogativas veteris testamenti pertinebat. De *Christo* autem oppositie ad Mosen dicitur: *gratiam & veritatem* per ipsum *factam*

(2) Vid. SOCINUM in *libello suasor. cap. V. fol. 60. seqq. tom. I. oper. f. 704.*

(3) Vid. SOCINUM *loco excitato.* Conf. *catechisin. Racoviens. cap. XI. de iustif. quaest. 454. p. 933. edit.* OEDERI.

(4) Est hoc argumentum SMALCII in libro modo adlegato *contra Franzium.*

(5) Vid. eundem *loc. cit.*

(6) Vid. *catech. Racov.* itemque SMALCIUM *locis cit.*

(7) In *colleg. anti-Socin. p. 695.*

factam esse. Voce *gratiae* denotantur heic omnia effecta gratiæ divinæ, novo testamento propria. Licet enim *gratia* iam in veteri obtinuerit testamento, atque Israëlitarum gens multis iisque insignibus olim gavisa sit prærogativis, a gentium apostolo *Rom. X. 4, 5.* recensitis; attamen *gratia* illa, quæ in novo testamento ex plenitudine manifestati in carne servatoris fluebat, longe præstantior erat atque locupletior, actuali quippe lytri solutioni superstructa. Erat insuper *gratia* cum *veritate* coniuncta, per quam omnes promissiones divinæ fuerunt adimpletæ, bonaque ipsa exhibita, quorum in lege umbra duntaxat erat. Atque ex his intelligitur, duplici ratione spectari posse *gratiam*, de qua heic sermo est, nimirum vel in *promissione*, vel in *complemento*; *illa* in veteri iam testamento obtinuit; *haec* vero soli Christo adscribenda adeoque novo testamento propria est. Christus enim id, quod patribus in vet. test. fuit promissum, re ipsa abunde præstitit. Atque his prænotatis, facile patet, falsissimam esse, quam Sociniani nectunt, sequelam: *Per Christum impleta sunt, quae de gratia evangelica olim fuerunt praedicta. Ergo gratia in veteri testamento plane non obtinuit.* Infringunt hanc consequentiam prot - evangelium, *Genes. III. 15.* promissio Abrahamo facta, *Gen. XXII. 18.* quotidiana sacrificia expiatoria, quibus mors Christi cruenta *suo modo* fuit repræsentata. Ut alia, quæ dici hanc in rem possent, brevitatis studio prætermittamus (1).

§. XXX. Quod *III.)* ex oraculo Paulino *Rom. III. 21.* argumentum desumunt dissentientes, facile corruit, si, prout par est, observemus, gentium apostolum variatae significationis elegantia heic uti, vocabulumque LEGIS diversa notione adhibere. Dicit, *iustitiam Dei*, (i. e. veram iustificationem, quæ est ex fide,) *manifestatam* esse *absque* LEGE h. e. absque lege *proprie* & *stricte* sumta, seu eiusmodi edicto, quod homini officii alicuius præstationem, ut conditionem vitæ æternæ præscribit. Et mox subiicit, eandem *comprobatam esse testimonio* LEGIS *ac prophetarum*, id est, doctrina in libris Mosis, qui subinde *lex* dicuntur, nec non prophetarum, comprehensa. Sumitur itaque vox *legis* in hisce posterioribus verbis *metonymice*, pro scriptis, a Mose, viro divino, exaratis, quæ etiam *fidei* doctrinam complectuntur, *Rom. X. 6.* (2). Ea enim, quæ in adlegato *tertio capite epist. ad Roman. vers. 25.* de *sanguine Christi propitiatorio* dicuntur, iam sub veteris testamenti œconomia *suo modo* præfigurata fuisse atque adumbrata, nemo temere negaverit. Tantum itaque abest, ut effatum hocce Paulinum nostram destruat sententiam, ut potius eandem adstruat, luculenterque comprobet, *eandem* esse *rationem iustificationis per fidem* in veteri novoque testamento; siquidem *iustitia fidei*, de qua Paulus loquitur, *testimonio legis ac prophetarum comprobata*, est iustitia veteris testamenti, nec ab ea, quæ in novo testamento obtinet, diversa. Et sane eundem esse iustificationis modum in utroque fœdere, ipse gentium apostolus tum ab exemplo Abrahami, *Rom. IV. 2. seqq.* ex *Genes. XV. 6.* tum a

(1) Evolvat, qui plura hanc in rem legere voluerit, THEOD. THUMMIUM in *impietate photin. p. 523. seqq.* FRANZIUM in *vindiciis adversus Smalcium, disp. V. thes. 33.* & STEGMANNUM, in *disp. antiphotin. XX. quæst. 2. obiect. 3. p. 225. seqq.*

(2) Ut sensus genuinus effati Paulini *Rom. III. 21.* accuratius evolvatur, adscribemus heic eiusdem paraphrasin, quam dedit b. HEUMANNUS. Illa vero ita se habet: *In dieser jetzigen Zeit aber ist die gottgefällige Gerechtigkeit, welche ohne das Gesez erlanget wird, geoffenbahret worden, welche auch in dem Buche des Gesezes und den Propheten bezeuget wird: die gottgefällige Gerechtigkeit nehmlich durch den Glauben an Jesum Christum, welche zu allen Menschen, und über alle, so glauben, kommet, (das ist, welche allen Menschen angeboten wird, und welche auch alle, die glauben, bekommen)* Vid. eiusdem *Erklärung des neuen Testaments, part. VII. p. 124.*

Davidis testimonio *Rom. IV. 6.* ex *psalm. XXXII. 1. seqq.* demonstrat. Obiicit quidem SMALCIUS (1): *Si*, secundum effatum apostoli, NUNC *est manifestata iustitia fidei, antea non potuit esse manifestata.* Resp. *manifestata* est NUNC (nimirum tempore novi testamenti) plenius & clarius sine typorum veteris testamenti involucris, ita quidem, ut non in finibus terræ Israëliticæ quasi conclusa latuerit, sed longe lateque per universum terrarum orbem fuerit diffusa. Pergit SMALCIUS, & porro excipit: *iustitiam in lege & prophetis testificatam dici, quia non manifeste revelata, sed levissimis indiciis eam olim patefaciendam esse, indicata fuerit* (2). Verum, hæc facile quidem dicuntur, sed nullo argumento probantur, nec probari possunt. Sufficit, iustitiam fidei in scriptis Mosis ac prophetarum haud obscure, sed satis clare patefactam fuisse. *De Jesu* enim *omnes testantur vates, eum esse, per cuius nomen peccatorum veniam consequantur, quicunque in eum credant. Act. X. 43.*

§ XXXI. Quod denique *IV)* ad locum Paulinum; qui *Gal. III. 22. seqq.* legitur, attinet, is pseudo-theologiæ Socinianorum ne minimum quidem adfert præsidium. Ex toto enim contextu luculenter patet, non de fide novi testamenti in Christum, fidei vet. testamenti in Deum, ut Sociniani somniant, opposita, sermonem heic esse; sed *fidem*, ut sæpe alias (3), ita & heic sumi pro *doctrina fidei evangelica*, quæ dicatur *revelanda*, respectu clarioris manifestationis tempore nov. test. factæ. Exinde autem minime licet inferre, hancce doctrinam sub veteris testamenti œconomia plane fuisse ignotam atque absconditam, cum contrarium clarissimis sacræ scripturæ effatis abunde comprobari queat. Alii per *fidem* heic intelligunt *obiectum* fidei, ipsum scilicet Christum in novo testamento adparentem, qui legem ritualem, sub qua, velut in custodia, concluſi servabantur Israëlitæ, sustulit. Sed quamcunque quis heic amplectatur expositionem, nihil tamen, quod Socinianorum hypothesibus faveat, exinde exsculpi poterit. Neque enim legitima est hæc concludendi ratio: Christus, ut exhibitus, tantum in novo prædicatur testamento. Ergo fides in Christum venturum ad iustificationem olim haud requirebatur.

§. XXXII. Examini controversiarum, inter nos ac Socinianos dudum iam agitatarum, quod hactenus instituimus, nonnullas observationes ad controversias istas propius spectantes, paucis heic subiungemus, antequam tractationi nostræ imponamus finem. Observamus itaque *I)* hypothesin Socinianorum, quod *iustificatio* per *fidem in Christum demum cœperit cum ipso novo fœdere*, in vet. autem testamento iustificatio facta sit per *fidem in Deum*, vel eam ob rationem falsam esse atque absurdam, quia *fides* in *Deum* fidem in *Christum* complectitur, & sine illa esse nequit. *Joan. XIV. 11. 1 Joan. II. 23.* Addimus *II)* ieiunam fuisse, secundum hypothesin Socinianorum, *fidem* illam in *Deum* sub vet. testamento, siquidem Sociniani promissionem *vitae aeternae* ad solum novum testamentum referunt, inque vet. testam. *nullam prorsus bonorum futurae vitae, sive aliqua ratione vitae ipsius futurae factam esse mentionem*, contendunt (4). Licet enim aliquam salutis æternæ præsumtionem veteres habere potuisse, largiantur, eandem tamen non ex revelatione, sed ex obscuris quibusdam rationibus hauriri oportuisse, statuunt. Certe ieiuna, immo ipso gentilismo peior fuisset Israëlitarum religio, ab ipso Deo insti-

(1) Vid. SMALCIUM in *libro contra Franzium fol. 193.*

(2) Vid. eundem *loco excitato.*

(3) Ita vox πίστις accipitur *Gal. I. 23. III. 2.* alibique passim.

(4) Sunt hæc verba SOCINI *miscellaneorum* libro, Racoviæ *MDCXI.* edito, *p. 5.* Add. *catech. Racov. cap. V. qu. 354. seqq. p. 582. seqq.* edit. OEDERI.

institutæ, si veris nominis sui cultoribus nullam post mortalem hancce vitam felicitatem promisisset. Adiungimus *III)* & hoc, ipsam *fidem novi test. in Christum* directam, qualem fingunt Sociniani, in obsequio, quod pii homines Christo eiusdemque præceptis præstant, consistentem, ita esse comparatam, ut omnia hominis probitati, Christo nihil, vel oppido parum relinquatur; cum tamen sanctior scriptura homini in negotio salutis nihil, Christo autem, servatori nostro prorsus incomparabili, omnia tribuat. Illud etiam *IV)* observamus, ex Socinianorum de iustificatione hypothesibus pronam fluere consequentiam, nos *non sola fide in Christum*, sed etiam *fide in Petrum, Paulum, Joannem*, nec non reliquos Christi legatos, coram Deo *iustificari* æternumque salvari, *virosque istos*, virtutis sanctitatisque laude conspicuos, non minus *nostros esse redemtores*, *quam ipsum Christum*. Nam *in Christum credere* SOCINI sectatoribus nihil aliud est, quam præcepta ab eo tradita servare, promissionibus vitæ æternæ, quas nobis dedit, suum præbere adsensum, exemplum eius intueri, eiusdemque premere vestigia. Jam vero *Petrus*, *Paulus*, *Joannes* cæterique apostoli eadem mandata eademque promissa nobis in scriptis suis tradiderunt, quibus peræque credere debemus, ac ipsi Christo. Sponte itaque consequitur, illis pariter ut Christo credendum, confidendumque esse nos salvatum iri, si ea fecerimus, quæ viri isti sancti facienda esse in divinis, quæ nobis reliquerunt, scriptis docuerunt (1). Nec *V)* prætermittendum heic est, *fidem*, qualem describunt Sociniani, ita esse comparatam, ut totum negotium sanctissimæ, quæ a Christo nomen ducit, religionis in honestatem mere externam pietatemque, quam vocant, philosophicam convertat. Eiusmodi enim *fide*, h. e. obedientia mandatorum Dei, hominem contentum esse posse dictitant, quæ præstari queat, si firmiter credat, Deum virtutis studium æternis præmiis aliquando coronaturum esse. Jam vero qui hocce unicum credit, ab externis tantum vitiis gravioribusque peccatis sibi forte cavebit, veræ internæque sanctitatis studio, quod a Christi sectatoribus requiritur, penitus neglecto (2). Denique *VI)* notamus, *religionem christianam* a Socinianis in *merum converti naturalismum*, *quocum doctrinas revelatas*, speciatim eas, quæ ad satisfactionem Christi vicariam eiusdemque applicationem spectant, *conciliare* adnituntur. Utut enim

(1) Debemus hancce observationem SCHUBERTO, celeberrimo quondam Helmstadiensium, nunc Gryphiswaldensium theologo. Extat ea in eiusdem *institut. theol. polem. part. III. p. 504. & p. 507.*

(2) Multum quidem FAUSTUS SOCINUS in libro: *quod regni Poloniæ homines evangelici se debeant Socinianorum cœtui adiungere*, *oper. tom. I. p. 705.* de cœtuum, suæ doctrinæ addictorum, sanctitate, deque disciplinæ in iis vigentis ordine gloriatur. Idem & alii, speciatim MART. RUARUS, *cent. II. epist. I.* STANISLAUS LUBINIECIUS, in *adpend. ad hist. reform. polon.* aliique non sine iactantia fecerunt. At enim vero mores sedati & ad modestiam externamque honestatem compositi, a vera illa *sanctitate*, veræ ecclesiæ ornamento, *Psalm. XCIII. 5.* plurimum adhuc distant. Atque hanc in Socinianorum cœtibus desiderarunt, qui alias pro ipsorum placitis acriter pugnarunt. Fecit id præter alios DANIEL ZWICKERUS in *epist. ad Ruarum cent. I. epist. LXXIII.* p. 273. recteque ex nostris theologis observavit b. WEISMANNUS, in *tota historia*, *toto volumine historiæ* LUBINIECII, *vix ullum adesse specimen seu exemplum pietatis illuminatæ*, *solidæ*, *internæ*, *ex gratia Spiritus S. quæsitæ & fluentis*, *atque in fructibus eiusdem sese exserentis*, *qualem apud veros decet esse christianos*, *esse non desint exempla probitatis naturalis & honestatis externæ*, *litteram præceptorum Christi venerantis*, *sed coniunctæ cum vitiis spiritualibus præsumtionis*, *rationis luxuriantis*, *neglectæque virtutis radicalis*, *quæ fundamentum suum habet in experimentali divinaque cognitione immensæ corruptionis propriæ & Jesu Christi*, *domini ac Dei nostri benedicti in secula.* Vid. eiusdem *introduct. in memorabilia eccles. hist. sacr. nov. test. tom. II. p. 560.* edit. secundæ.

enim ii, qui sectæ huius placita sequuntur, speciem haud vulgarem venerationis erga verbum Dei revelatum præ se ferant (1), atque ad oracula sacra tories quoties provocent, cum primis in *catechismo* suo *Racovienſi*, quem *ex ſacris litteris hauſtum* esse, auctor præfationis persuadere lectoribus conatur, nihilo tamen minus gravissimas veritates, claris & disertis verbis in scriptura revelatas, non ideo credendas esse censent, si a rationis iudicio non adprobentur (2). Hinc ea sacrarum litteratum loca, quæ *proprie* accepta gravissimas continent veritates, *improprie* interpretantur ac subinde misere torquent, si cum rationis suæ principiis alia ratione conciliari nequeant. Testantur id complura teterrimarum detorsionum portenta, per omnes Socinianorum libros, cumprimis eorum commentarios, dispersa, quibus luculenter edocemur, eos solum rationis suæ ductum sequi, luminique naturali revelationem divinam penitus subiicere.

(1) Hanc venerationem Socinianorum erga sacras litteras partim elogia, quæ iis passim tribuunt, partim lectio scripturæ quibusvis christianis commendata, partim denique studium, quod in interpretatione sanctioris scripturæ posuerunt, testari videntur. Noti satis sunt labores exegetici FAUSTI SOCINI, JO. CRELLII, JONÆ SCHLICHTINGII, JO. LUDOV. WOLZOGENII & SAM. PRZIPCOVII; de quibus vid. RICH. SIMONII *hist. critique des commentateurs du nouveau teſtament, chap. LV, LVI, LVII.* & b. BUDDEI *iſag. in univerſ. theolog. p. 1754. ſeqq.*

(2) Hæc sane fuit sententia FAUSTI SOCINI, cuius impia verba supra §. *XX. p. 333.* recitavimus. Plura hanc in rem loca adnotavit b. RAMBACHIUS in *pelle ovina Socinianis detracta, ſect. II. §. 3. not. (e) p. 63. ſeqq.*

CONSPE-

CONSPECTUS

LOCI XVII.

DE

JUSTIFICATIONE HOMINIS PER FIDEM

NEC NON

CAPITUM, SECTIONUM ET RELIQUORUM CONTENTORUM

IN TOMO HOC VII. OCCURRENTIUM.

PROOEMIUM

LOCI DE JUSTIFICATIONE.

Oſtenditur *nexus* hujus loci cum præcedente, §. I. nec non dignitas & utilitas illius. §. II.

Docetur verus vocabuli *juſtificationis* ſignificatus §. III. eumque eſſe *forenſem*,

a.) evincitur argumentis. §. IV - VII. dictis veterum, & quorundam adverſariorum teſtimoniis. §. VIII.

b.) Vindicatur contra objectiones Pontificiorum, inprimis *Bellarmini*. §. IX-XV.

Exhibetur *ſumma* hujus articuli. §. XVI.

* In notis hic occurrentibus diſſerit *Gerhardus* de ſententia Reformatorum in hoc articulo, adponit ſacri codicis aliorumque ſcriptorum teſtimonia, nec non alia quædam argumentum hoc uberius illuſtrantia.

In notis ab *Editore* §. V. adjectis oſtenditur, *juſtificationem* non modo *condemnationi*, ſed & *peccato imputato* opponi, ejusque ſignificatum *forenſem* eſſe, ex *Rom. VIII. 33, 34.* demonſtratur.

CAPUT I.

De cauſa efficiente juſtificationis.

Traditur iuſtificationis *cauſa principalis*, gratia Dei §. XVII. cujus vera notio

1) eruitur ac probatur

locis ſcripturæ §. XVIII - XXI.

teſtimoniis veterum §. XXII. & ipſorum adverſariorum. §. XXIII.

* Obſervatur, nomine *juſtitiæ* in ſacris literis quoque intelligi bonitatem ac miſericordiam divinam.

2) Adverſus argumenta [illegible]is ſentientium, inprimis *Bellarmini* defenditur. §. XXIV-XXX.

* In notis interpretatio dicti *Rom. V. 5.* in textu data auctoritatibus munitur, *Carletonus* in *Bellarminum* adlegatur, imputatio peccati parentum in filios adſeritur. Deinde ſententiam Pontificiorum ab ingenio humano natam eſſe, ex *Thoma* commonſtratur.

Caput II.

De causa meritoria justificationis.

In satisfactione Christi ponitur *causa* justificationis *meritoria* §. XXXI. quam nonnulli *causam impulsivam externam* §. XXXII. ut & *materialem* §. XXXIII. idque recte dicunt: male alii *instrumentalem* adpellant. §. XXXIV.

Disputatur contra *Socinianos.*

1) Error eorum una cum origine sua ostenditur. §. XXXV. XXXVI.

2) Opponitur iis syllogismus generalis §. XXXVII. contra quem IX. ipsorum exceptiones diluuntur. §. XXXVIII - XLVI.

3) Respondetur ad argumenta adversariorum, quæ ex *catechismo Racovienſi* §. XLVII - LII. deinde etiam ex aliis eorum scriptis §. LIII. adferuntur.

* Larga heic occurrit observationum partim ab ipso *Gerhardo*, partim vero ab *Editore* profectarum copia. Differitur in iis de nonnullis doctrinæ capitibus, quæ concedunt *Sociniani*, de historia *Bernhardini Ochini*, de patronis *Socinianorum* variis, de ipsorum contradictionibus in hac materia, de voce ἀντίλυτρον, de Christo mediatore, de redemtione per *pretium*, de *satisfactionis* voce non scripturaria. Dilucidantur nonnulla scripturæ loca, adscribuntur variorum, maxime adversariorum verba ipsa, quibus adhuc alia quædam vel refutationis vel illustrationis gratia accessere.

Recensentur *Pontificiorum* erronea de hoc argumento dogmata. §. LIV.

* In notis loca variorum scriptorum adscripta, deinde alia quædam notatu digna, partim de *Maria tanquam adjutrice in redemtionis opere*, partim in locum *Phil. II. 9.* adnotata leguntur.

Indicatur, *per quid* Christus justitiam nobis promeruerit. §. LV. & in quantum huc *habitualis Christi justitia* referenda sit. §. LVI.

Error *Piscatoris*, qui soli *passivæ* Christi *obedientiæ* justificationem adscripsit,

a) recensetur. §. LVII - LIX.

b) Sententia orthodoxa, argumentis firmata, §. LX. contra *Piscatoris* exceptiones defenditur §. LXI. & testimoniis veterum commendatur. §. LXII.

c) Denique ipsa hujus adversarii argumenta refutantur. §. LXIII.

* In notis varii scriptores & in his maxime patroni hujus sententiæ adlegantur; nostra opinio auctoritate scripturæ & aliis fulcris corroboratur.

Caput III.

De causa justificationis instrumentali.

Traditur *causa* justificationis *instrumentalis* §. LXIV.

Sectio I.

De fide justificante ejusque partibus.

Indicantur *fidei* significationes e scriptis profanis. §. LXV. atque ex sacra scriptura. §. LXVI.

* Hæc in notis ex patribus nec non *Cicerone* illustrantur.

Exhibetur notio *fidei justificantis.* §. LXVII, quæ complectitur

a) *notitiam.* §. LXVIII.

Disputatur de hac contra *Bellarminum.* §. LXIX. Quo facto ejus *objectum* docetur. §. LXX.

* In notis hic occurrunt quædam distinctiones heic observandæ, itemque citationes ex *Bernhardo* aliisque; subjungitur tandem explicatio loci *Job. XIX. 25.*

b) *ad-*

b) *adſenſum.* §. LXXI.

c) *fiduciam.* §. LXXII. ubi XII. argumentis comprobatur, fidem eſſe *fiduciam.*

* In notis textui ſubjunctis variæ occurrunt obſervationes, partim philologicæ, partim vero theologicæ, argumento huic illuſtrando inſervientes. Cumprimis in nota quadam prolixiori diſputatur contra *Socinianos.* Cum gravis heic nobis intercedat pugna cum *Pontificiis*,

1) exceptionibus *Bellarmini* reſpondetur. §. LXXIII.

2) ipſa, quæ is nobis opponit, argumenta diluuntur. §. LXXIV-LXXXI.

* Obſervatio §. LXXIV. adſperſa eſt de *ſubjecto* fidei.

Hiſce adjungitur quæſtio ad hunc locum pertinens: *an homo poſſit eſſe certus de gratia Dei?*

1) Figitur ſtatus controverſiæ. §. LXXXII. LXXXIII.

2) Exhibentur VII. noſtræ ſententiæ argumenta. §. LXXXIV - XC. ac §. LXXXIX. reſpondetur exceptionibus *Bellarmini.*

* Adnotantur quædam ex *Duræo* de verbo πεπεισμαι *Rom. XV, 14.* nec non de *Petro*, qui *ſcivit*, ſe amare Chriſtum.

3) Inquiritur, an *Pontifici* in argumento de reconciliatione hominis cum Deo propugnent dubitationem. §. XCI. & quæ ſit origo hujus erroris oſtenditur §. XCII.

4) Noſtra ſententia effatis patrum §. XCIII. & ipſorum adverſariorum teſtimoniis §. XCIV corroboratur.

Nominantur quoque eorundem hypotheſes, cum dubitationis dogmate pugnantes. §. XCV.

5) Argumenta *Pontificiorum* pro ſtabilienda incertitudine gratiæ divinæ refutantur. §. XCVI - CIX.

* In notulis refertur b. *Lutheri* triſtitia ex dubio ſuorum peccatorum remiſſione orta, poſtea nominantur ſcripta quædam, huc pertinentia.

Sectio II.

De variis fidei diviſionibus.

Diviſiones *fidei* nominantur variæ,

a) ex ſcriptura petitæ,

1) in *hiſtoricam*, *miraculoſam* & *juſtificantem.* §. CX.

2) in *veram* & *hypocriticam*, *vivam* & *mortuam.* §. CXI.

3) in *parvam* & *magnam*, *temporariam* & *perſeverantem*, *perfectam* & *imperfectam.* §. CXII.

4) *concretam* & *abſtractam.* §. CXIII.

neque tamen minus fides dici poteſt *una.* §. CXIV.

b) ex ſcholaſticis

1) in *implicitam* & *explicitam.* §. CXV.

* In notis ab Editore textui ſubjectis nonnulla de *Appelle*, ſeculi II. hæretico, ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis adducuntur in medium, atque ea, quæ a *Gerhardo* hanc in rem dicta ſunt, emendantur ac ſupplentur.

2) in *infuſam* & *acquiſitam*, *habitualem* & *actualem.* §. LXVI.

* In notis ſubjunctis nonnulla ex *Scoto* adnotantur.

3) in *informem* & *formatam.* §. CXVII.

quæ poſtrema diviſio multis argumentis evertitur. §. CXVIII - CXXIII.

reſpondetur hic etiam argumentis adverſariorum, quibus fidem per *caritatem* formari, contendunt. §. CXXIV. CXXV.

* Notæ illuſtrando dicto *Hab. II. 4.* ac propellendis adverſariorum telis inſerviunt.

Sectio III.

De causa efficiente fidei justificantis.

Indicatur primum *causa* fidei *efficiens principalis*, t §. CXXVI. deinde *instrumentalis*. §. CXXVII.

* In nota occurritur errori *Photinianorum*, quo negant, fidem Spiritus s. esse donum.

Sectio IV.

De objecto fidei.

Differitur de distinctione Scholasticorum inter objectum *materiale* & *formale* §. CXXVIII. Deinceps agitur de *articulis* fidei. §. CXXIX.

Postea ostenditur, *objectum* fidei esse pron. ont evangelicam de Christo mediatore §. CXXX. Quod

1) Probatur argumentis §. CXXXI. ac testimoniis patrum. §. CXXXII.

* In nota textui subjecta oracula sacra idem probantia adducuntur.

2) Contra exceptiones *Bellarmini* propugnatur. §. CXXXIII - CXXXV.

* In notis loca quædam *Pererii* & *Corn. a Lapide*, in quibus objectum fidei justificantis describitur, laudantur, & de fide *Abrahami* nonnulla notatu digna observantur.

3) Contra antithesin Romanensium §. CXXXVI. defenditur, qui contrarium tueri volunt

a) ex sacris literis, §. CXXXVII. CXLII.

b) ex traditione ecclesiastica, §. CXLIII.

c) rationibus. §. CXLIV - CXLVIII.

Sectio. V.

De effectu fidei, qui est justificatio.

Docetur *effectus* veræ fidei, *justificatio*. §. CXLIX.

Solam fidem justificare, §. CL. probatur §. CLI. idque ita, ut non modo opera liberi arbitrii fidem præcedentia, sed *omnia* excludantur. §. CLII.

* In notis excitatur *Duræus*, Bellarmino adsentiens, uberiusque probatur, *omnia* opera, sive sint renatorum, sive ea, quæ scholastici *legis* dicunt, excludi ab opere justificationis.

Exceptionibus *Bellarmini* VI. quibus vim nostrorum argumentorum infringere voluit, respondetur. §. CLIII - CLVIII.

* In notis distinctio *Bellarmini* inter justitiam *legis* & *ex lege* seu *in lege* exploditur.

Sententiæ orthodoxæ fundamenta, in nervum redacta, exhibentur. §. CLIX.

* Subjungitur *Editoris* observatio de *Dietenbergeri* bibliis germanicis, nec non *Beringeri* novo testamento germanice edito, qui, ut ut religioni romanensium fuerint addicti, locum tamen classicum Rom. III. 28. ita verterunt: ALLEIN *durch den Glauben*.

Porro thesis orthodoxa fulcitur

a) testimoniis patrum §. CLX. ad quæ exceptiones *Bellarmini* evertuntur §. CLXI.

* Adjunguntur in nota testimonia ex *Anshelmo* Cantuariensi desumta.

b) ipsorum adversariorum confessione. §. CLXII.

* In nota memorabilis *Thuani* locus adnotatur, qui *Carolum* V. in sola fide exclusis operibus acquievisse, cruciatibus amicorum ejus comprobat.

Refutantur ecclesiæ Romanæ sectatores, quorum

1) antithesis exponitur, §. CLXIII.

2) disquiritur, an hac de re nostrates dissentiant? §. CLXIV - CLXVI.

* In

* In notis *particularum*, quæ sæpe parvi videntur esse momenti, necessitas ex historia & scripturis comprobatur.

3) Revelluntur argumenta *Bellarmini* contra fidei justitiam.

a) Examinantur VII. *dispositiones*, quas ad justificationem necessarias judicavit concilium Tridentinum. §. CLXVII-CLXXV.

* In notis illustrantur loca Prov. XIV. 27. & Joh. XVI. 27. ostenditurque, dissentientes causæ suæ præsidium perperam in iis quærere.

b) Infringitur argumentum, si fides a virtutibus christianis separata non justificat, tum etiam non sola justificat. §. CLXXVI.

c) Disquiritur, cur fides *sola* justificet. §. CLXXVII - CLXXIX.

d) Evolvitur distinctio, quod fides non *relative*, sed *meritorie* justificet. §. CLXXX-CLXXXII.

e) Quæstio, an opera ad salutem sint necessaria, sub examen revocatur §. CLXXXIII.

* In nota comparantur, in gratiam versionis b. Lutheri, cum Rom. III. 24. loca hebraica parallela, ubi ejusdem generis adjectiones sunt factæ. In alia citantur versiones germanicæ antiquiores, ubi eadem particula vel synonymæ textui sunt illatæ.

Sectio VI.

De fidei justificantis proprietatibus, an scilicet a caritate & reliquis virtutibus separari possint?

Evincitur, veram ac justificantem fidem a dilectione ac reliquis virtutibus separari non posse,

a) oraculis scripturæ, §. CLXXXIV. CLXXXV.

b) auctoritate veterum. §. CLXXXVI. &

c) consensu adversariorum. §. CLXXXVII.

Conseruntur iterum manus cum *Pontificiis*, eorumque defensore, *Bellarmino*. §. CLXXXVIII-CXCIV.

* In notis oraculo sacro Joh. XII. 42. coll. cap. V. 40, 42. lux adfunditur, atque ad §. 191. luculenter ostenditur, quomodo doctrina *Pauli* & *Jacobi* de justificatione facile conciliari queat.

Caput IV.

De causa formali justificationis.

Justificationis *causa formalis* indicatur §. CXCV. ut simul objectio *Bellarmini*, qui theologis nostris inconstantiam in explicanda forma justificationis imputat, confutetur §. CXCV.

Disputatur hic etiam de *Osiandri* vero §. CXCVI. & *Buceri* fictitio errore. §. CXCVII.

* Notarum una *Osiandrum* sistit a filio defensum, at male a *Pontificiis*, erroris sociis, refutatum, altera justificationis modum distinguit in ςερητικον & θετικον.

Sententia orthodoxa de causa formali justificationis variis firmatur argumentis in varias classes distributis, quorum

Ima classis petita est ex epistola ad Romanos, §. CCI-CCV.

* In notula data occasione confutatur *Socinus*.

IIda classis ex epistolis ad Corinthios §. CCVI-CCVIII.

IIItia classis ex epistola ad Ephesios §. CCIX. CCX.

IVta ex actis apostolorum & ex parabola de publicano. §. CCXI. CCXII.

Ad singula hæc argumenta infringuntur exceptiones *Bellarmini*.

Sub finem subjunguntur hypotheses in hac quæstione diligenter observandæ. §. CCXIII. Sequitur

Vta classis argumentorum quæ desumta est ex testimoniis veterum patrum §. CCXIV.

* In notis subjunguntur testimonia quædam in textu omissa, ex *Gregorio* Nysseno, *Augustino*, *Anshelmo* aliisque desumta.

Adjunguntur hisce ipsorum adversariorum testimonia §. CCXV.

Denique VIta classis argumentorum complectitur ea, quæ ex ratione sunt petita, § CCXVI. CCXVII.

Hisce præmissis pontificiorum de *forma justificationis* sententia

1) exponitur, eorumque in hocce argumento dissensus ostenditur §. CCXVIII. Speciatim de *Bellarmini* sententia differitur §. CCXIX.

2) Confutatur sententia *Bellarmini* in præcedenti §. exposita, & contra eundem evincitur, justitiam inhærentem non esse causam formalem justificationis. §. CCXX.

3) Ostenditur hac occasione, *Bellarminum* perperam adcusare *Chemnitium*, quod non recte formarit statum controversiæ, §. CCXXI.

4) Recensentur variæ justitiæ species. §. CCXXII.

5) Adduntur argumenta *Bellarmini* pro justitia inhærente stabilienda, ac diluuntur. §. CCXXIII - CCXXX.

6) Disquiritur porro: an fides sit integra formalis causa justificationis? quam quæstionem negat *Bellarminus*, cujus argumenta revelluntur §. CCXXXI.

7) Negatur contra istum, justificationem non consistere in sola remissione peccatorum, sed etiam in interna renovatione, §. CCXXXII - CCXXXIV.

8) Adseritur contra eundem, justificationem consistere in imputatione justitiæ Christi, &

a) investigatur significatus verbi λογίζεσθαι, & undenam hausta sit imputationis notio §. CCXXXV.

b) respondetur ad argumenta, partim ex scripturis, partim ex patribus desumta, quibus imputationem justitiæ Christi impugnat *Bellarminus*. §. CCXXXVI - CCXLVI.

* In notis ad §. XLVI. nonnullæ ab *Editore* subjunguntur observationes, argumento huic ex patribus illustrando inservientes.

c) alia quædam *pontificiorum* argumenta pro justitia habituali stabilienda diluuntur. §. CCXLVII. & CCXLVIII.

Caput V.

De causa finali justificationis

quæ consideratur

1) respectu *nostri*, & in hac & in altera vita

2) respectu *Dei* §. CCXLIX.

* In notis textui subjectis *effecta* justificationis, itemque *subjectum* circa quod, nec minus *adjuncta* & *contraria* brevibus comprehenduntur.

Cap. VI.

CAPUT. VI.

De usu doctrinae justificationis.

1) Ostenditur, quæ de gratuita justificatione per & propter Christum hactenus dicta sunt, referenda

a) ad justitiæ ac misericordiæ divinæ gratam agnitionem ac deprædicationem,

b) ad certam conscientiæ consolationem,

c) ad veræ fidei & grati animi per bona opera testificationem §. CCL.

2) Subjungitur definitio justificationis, quæ totius hujus tractationis nervum continet §. CCLI.

* * * * * * *

SVPPLEMENTVM

EDITORIS

EXHIBENS

CONTROVERSIAS DE JUSTIFICATIONE CUM SOCINIANIS AGITATAS.

Ante omnia mens *Socinianorum* de arduo hoc argumento breviter edisseritur §. I.

Deinde *quatuor*, ad quas illa redit, *hypotheses* examini subjiciuntur.

I. Prorsus erroneam *fidei* justificantis notionem animo effingunt, quam in nudo *adsensu* & fiducia generali *promissionibus* Dei nixa, & in *obedientia mandatorum Dei* ponunt. §. II.

1) Probatur nostræ ecclesiæ de fide justificante doctrina §§. III, IV. & V.

2) Respondetur ad præcipua, quibus *Socinian*i hac in parte contra nos insurgunt, argumenta, §. VI. memorata, sigillatim & distincte §. VII.

II. Obsequium nostrum, præceptis evangelicis præstitum, licet valde sit *imperfectum*, nihilominus tamen a Deo per *acceptilationem* quandam pro perfecto reputari statuunt. Quod commentum refutatur §. VIII.

III. Ex hoc colligunt, rationem justificationis nostræ esse *propriam* nostram *obedientiam*. §. IX. Hic

1) Demonstratur nostra thesis de necessitate justitiæ *alienæ*, vicariæ scilicet Christi, §. X. adserta,

a) Ex Rom. III, 24. 25. &

b) Ex Rom. V, 18, 19. §. XI.

c) Ex illis S. S. locis, in quibus Christus *pro nobis* mortuus, traditus, peccatum factus dicitur §. XII.

d) Ex Rom. IV, 3, 5. §. XIII.

e) Ex Rom. VIII, 3, 4. §. XIV.

f) Ex sponsione Christi §. XV.

2) Di-

2) Diluuntur *Socinianorum* objectiones,

ubi objiciunt

a) Deum nos ex absoluta misericordia pro justis habere, nec proinde dici posse, quod aliqua heic intercedat satisfactio Christi, quæ per fidem nobis adplicetur §. XVI.

b) Nullo pacto sustineri posse id, quod statuitur, satisfactionem sive justitiam Christi nobis imputari §. XVII, XVIII.

c) Doctrinam nostram de satisfactione nec expresse totidem verbis, nec verbis æquipollentibus, in sacra scriptura tradi &

d) Deum peccata nostra condonare & de jure suo remittere posse, nulla pro illis a quoquam satisfactione accepta §§. XIX, XX, XXI.

e) Stante etiam satisfactionis dogmate nulla opus esse imputatione, si enim Christus pro nobis satisfecerit, non opus esse, ut nos satisfeciisse censeamur. §. XXII.

f) Enunciatum illud, Christi satisfactionem nobis per fidem imputari, aut se ipsum destruere, aut certe perquam absurdam doctrinam continere §. XXIII.

g) Bina dogmata de satisfactione Christi & de imputatione justitiæ Christi homines ad carnalem securitatem & ad vitæ improbitatem seducere §. XXIV.

IV. Veteris Testamenti fideles *diverso* plane *modo* justificatos esse dicunt ac quidem eos, qui in novo Testamento justificantur §. XXV.

1) Comprobatur nostra huic contraria doctrina

a) Ex propheticis de justificatione per fidem obtinenda concionibus §. XXVI.

b) Ex novi Testamenti oraculis §. XXVII.

2) Argumenta Dissentientium quatuor

a) Scripturam fidei in Christum nullam prorsus facere mentionem, nisi pro eo tempore, quo exhibitus jam fuit

b) Ex Joh. I, 17. colligunt gratiam evangelii non fuisse in vet. test. patefactam.

c) Ex Rom. III, 21. 22. objiciunt, *nunc* demum (tempore scil. novi test.) patefactam esse fidei justitiam.

d) Ex Gal. III, 23. conjiciunt, fidem in Christum in vet. test. haud obtinuisse.

Hæc argumenta §. XXVIII. memorata solvuntur ac refutantur §. XXIX, XXX, XXXI.

Subjunguntur denique sex observationes ad controversias illas propius spectantes §. XXXII.



Jg 1830
(718)

ULB Halle
002 610 809
3

VD 18

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS SEPTIMVS

DENUO EDIDIT
NOTAS PASSIM ADIECIT
ATQVE
PECVLIARI DISSERTATIONE
ADAVXIT

IO. FRIDERICUS COTTA

THEOLOGUS TUBINGENSIS



TUBINGAE
SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE
M D CC LXVIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841102-p0367-6